

Del Coleg. de la Comp. de Sers. de Granada R. 3830  
Del Doctor Bernardo Alarcón (14)

DE INSTAVRAN  
da Religione libri IX. D. Her  
ma Lætmatio autore: quib. alia  
quàm haectenus tentatum est,  
uia, ecclesiasticam con  
cordiam refarcire  
desiderat.

Rationem suscepti ac editi Operis huius, ex præfatione tam ea  
quæ ad CAROLVM IMP. quàm quæ ad  
Lectorem præfixa est, intelligere licebit.

*Accesserunt præterea duo rerum ac uerborum toto Opere  
memorabilium locupletiss. Indices.*

Cum gratia & priuilegio Imp.  
ad quinquennium.

~~BASELÆ.~~



2 400 40 - ~~SEITE~~  
MADE IN SPAIN

Del Calen. de la Imp. Le Tens. de Granada R. 3830  
~~Del Doctor Bernardo Albrecht~~ (1)

DE INSTAURANDA  
Religione libri IX. D. Her  
ma Lætmatio autore: quib. alia  
quàm hæctenus tentatum est,  
uia, ecclesiasticam con  
cordiam refarcire  
desiderat.

Rationem suscepti ac editi Operis huius, ex præfatione tam ea  
quæ ad CAROLVM IMP. quàm quæ ad  
Lectorem præfixa est, intelligere licebit.

*Accesserunt præterea duo rerum ac uerborum toto Opere  
memorabilium locupletiss. Indices.*

Cum gratia & privilegio Imp.  
ad quinquennium.


~~PASILEAE.~~



CAROLO AVGVSTO  
HERMAS LAETMATIVS  
PERENNEM PROSPERI-  
TATEM.

LIBRORVM HOC OPERE  
contentorum Elenchus.

De Religione.	I.
De desertoribus.	II.
De uacillantibus.	III.
De exortu Ecclesiae.	III.
De illustri Ecclesiae progressu.	V.
De ecclesiastica uarietate.	VI.
De ecclesiastica iuris administratione.	VII.
De auctoritate scripturarum.	VIII.
De sacris ritibus.	VIII.



*V*M olim Israeliticæ trib. reliquæ, aduersus solos Beniamiticos cõslicturæ essent, Auguste Cæsar, ut prælij euentus & fortuna dimicationis foelicius succederent, prius de gerendi belli ratione diuinum consulere oraculum statuerunt. non quòd suis copijs diffideret, utpote qui Beniamiticis numero & uirtute præstabat: sed ut quem belli suscipiendi habuissent. autorem, eundem etiam consilij sui ducem et moderatorem sequeretur. Sit (inquit) Judas dux uester. Quam enim singulæ tribus suos haberent duces, haudquaquam bellicæ rei imperitos, qui & boni imperatoris officium, et strenui militis obire munus potuissent: uoluit tamen summi providentia numinis deligere ex illis aliquem, cuius ductu et auspicijs bellum gereretur, quæ penes omnis esset potestas, cuiq; totius reipub. ueluti dictatura crederetur. Quod sanè responsum, non leuiter ad horum temporum rationem pertinere uideatur. cum enim tot sint Christianorum prouinciæ, aliæq; alios sibi peculiare habeant duces et satrapas, ut illæ, quas diximus, Israeliticæ tribus: attamen parum ipsis omnibus uirium sit, nisi unum omnes principem, eundemq; uniuersorum monarcham agnoscant. id quod in urbe Romana grauissimis difficilimisq; reipublicæ temporibus experimento cõpertum est. Et si enim omnes illorum prouinciæ, senatus ipsius aliorumq; magistratuum regeretur auspicijs, unaq; omnes reipub. fide cõtinerentur: quoties tamẽ eò uocaret publica necessitas, ciuitasq; ipsa periclitaretur, unum aliquem deligebat, qui & iuris sancienti, et belli administrandi summam haberet potestatem, omnibusq; modis curaret ne quid reipub. detrimẽti accipiat. quæ reipub. species, primum in Cæsarem dictatorem perpetuo iure confirmata, mox in Augustum eius successorem tota concessit, et post multorum seculorum decursum, magno Christiani populi bono, in tuum ius ditionemq; peruenit.

Nam præterquã quòd tibi par sit cum cæteris, siue electione siue successione cõstitutis Monarchis, & necessitas et conditio, tuis qui legibus subiecti sunt, uindicandi & defendendi: docet præterea singularis illa unctiois ratio, non minus singularem prouinciã Tuæ Maieslati

commissam, nempe ut hac unctione fias nationibus Christianis, quod de uino illo præcepto Iudas fuit factus Israelitis. unum enim cum esse oporteat, quem alium demus uideo neminem. Quare & huius supremæ potestatis electores, quando comitia habent, de sufficiendo in locum defuncti principe nouo, solent solenni se obligare iureiurando, delecturos se iuxta fidem, qua Deo & imperio astricti sunt, temporale caput ( ut uerbis illorum utar ) populo Christiano. non enim huic aut illi populo, sed uniuerfis Christianis principem spondent, quàm maxime possunt idoneū, se delecturos. Quinetiam ante huius ritus eligendi institutionem solenne fuit, huius sui officij commonefacere inaugurandum principem. Cum enim unctor eum baltheo gladioq; cingeret, talibus eum uerbis compellare solet. Accipe hunc gladium, per quem tradita diuinitus imperij potestate, pacem stabilias omnib. ijs qui Christo nomen dederunt: significans, non ad pacē et defensionem Romani, Germanici, aut Francici populi, aut horum simul omnium, sed uniuerfarum Christianarum nationum istam potestatem diuinitus esse institutam. Sed quid ego dico Christianarum nationum? cum illos Christi cultores, qui sub incredulorum tyrannide miserabilem seruiunt seruitutem, etiam sub istius authoritatis protectione constitutos esse, pulchrè non solum intellexerit, uerum etiam re ipsa magno ad posteros exemplo attestatus sit ille, qui exordium fecit Christiani imperij, magnus Constantinus. Hic cum audiret Saporem regem Persarum, Romani autem imperij implacabilem hostem, instigantibus eius regni incolis, Magis & Iudæis in Christianos, qui apud Persas degebant, crudelius scuire: legatos ad regem misit, qui illi ponerent ob oculos horrendas illas res, & casus aduersos nunquam satis formidabiles, qui Christiani dogmatis persecutoribus euenissent: atq; inter cætera referret, quæ rex ipse coram uiderat, quomodo Valerianus, præclarus alioquæ Romanorum imperator, Christianorum uerò persecutor, captus ab hostibus: maximo cum dedecore apud eos consenuerit: ut hoc exemplo perterritus atq; emollitus rex Persarum, cultores Christi sineret digno apud se haberi & honore & loco. Tanta pietate optimus princeps eorum etiam Christianorum habuit rationem, qui procul in terra hostili, ethnicorum imperio premebantur: quemadmodum Theodoritus ijs temporibus in Persia episcopus scripsit, et post eum diligens apud Gallos historiographus Ferculphus. quin et ipsa epistola, quam Constantinus ad Saporem ea de re scripsit, apud Theodoritū etiam num extat. Præclariori uerò ad posteros gloria hoc ipsum & intel-

lexit

lexit et præstitit is, unde materna tibi origo est, Carolus Magnus, huiusce quod tenes, translatus à Græcis imperij primus uindex. De hoc scribit Eginhartus, qui cum illo familiariter uixit, & rerum ab eo gestarum Annales contexit, quod post nomen Augusti susceptum, consuerit non per sua tantum regna, uerum etiam trans mare in Syriam, Aegyptum, & Aphyricam, Hierosolymas, Alexandriam, & Carthaginem, ubi Christianos egestate premi cõperisset, pecuniam mittere, qua eorum succurreret inopia. Atqui hoc fuerit forsitan præuati etiam hominis officium. Verum addit, hunc transmarinorum etiam regum amicitiam ob hoc maximè ambijisse, ut in gratiam sub Christianis sub illorum dominatu degentibus, refrigerium aliquod ac releuatio proueniret: ut ille author loquitur. Tam latè se extendit, optime Caesar, istiusce sublimitatis potestas, ac sollicitudo. Nunc quod eiusdem sublimitatis officium sit, ea, quam res tam ardua fert, breuitate, & instituti operis ratio postulat, dicemus.

Multa sunt, quæ publicæ tranquillitatis conseruandæ causa procurare debent ij, qui ad gubernacula reipub. primi sedent. Verum inter cætera omnia, quantumuis licet necessaria, principem locum omnium iudicio obtinent ea, quæ ad religionem pertinent: ut quæ quasi solum quoddam atq; fundamentum est omnium humanarum actionum, quod ij quoq; uiderunt, qui cum Deum habendum scirent, ignorarent tamen qualem habere deceret. nam & horum primum semper studium fuit, ut deorum cultum, & religionem publicam sanctissimè tuerentur, quod scirent absq; religione homines prorsus obbrutescere: sine religionis uero consensu, neq; aliarum rerum concordiam posse consistere. Quanto ergo diligentiores curæ huic rei impèdere debent ij Monarchæ, qui Christum uerū Deum profitentur? Eo certè maiorem, quo Christiana religio ethnicorum superstitioni præstat. Et cæteris quidè in sua cuiq; ditione procurandum istud est accuratius: istius uerò sublimitatis authoritatè decet, eo promptiorem huic negotio adhibere diligentiam, quo alijs et amplior est, & potentior. nec circa eos dumtaxat, qui communi cum alijs Monarchis ratione tibi subijciuntur: sed & omnes omnino, qui ubiq; terrarum Christi nomen profitentur & agnoscunt: ita ut hanc operam etiam ijs debeas misellis, qui ( ut dixi ) sub incredulorum imperio agentes, Christum animo, & quantum per tyrannidem licet, occulta religione profitentur. Es enim nõ unius populi, sed uniuerfi Christiani gregis ductor: non Mosaicæ, quam in sola Palestina Iudæi conseruabant, sed Christianæ religionis protector: ita ut tua prouin-

tia in non angustiore locum concludatur, aut alijs terminetur finibus,  
 quam Christianæ religionis professio iussa est diuulgari. Vt si qua a-  
 lia, hac potissimum ratione possis ac debeas, quod orbis, quem sinistra  
 gestas, indicat, quodq; tua iura affirmant, terræ marisque dominus, præ  
 cæteris toto orbe Monarchis, unus omnium legitimo titulo nūcupari.  
 Pro cuius etiam potestatis amplitudine soles, etiam si nihil urgeat sup-  
 plicum querelæ, proceres tamen quotannis conuocare, ut tractent nõ  
 solum quæ imperij, sed orbis totius salutē spectant. Quæ certè autho-  
 ritas non ab Octauiano, sed ab ipso Christo, qui omnium quæ in cælo  
 & terra sunt, administrationem sibi seruat, concessa tibi atq; cõmissa  
 est. Nam Augustus solum eò tendebat, ad eum finem properabat, ut  
 deiectis aliorum regnis, totus terrarū orbis suis armis subactus, & in  
 ditionem Romanam redactus, legibus Romanis uiueret, & regere-  
 tur. Christus uerò eam ob causam hoc imperium ad tantum culmen  
 excrescere, altius ante omnia regna caput extollere uoluit, ut cum tan-  
 ta, tamq; diuturna Christiani imperij amplitudine, nomen quoq; Chri-  
 sti pariter apud omnes, toto orbe celebraretur. Quapropter incum-  
 bentium isti fastigio sollicitudinum existimare oportet eam esse præci-  
 puam, ut quod tua Maiestas curauit in insulis nuper inuentis, id ipsum  
 etiam præstet apud barbaras quasq; nationes, quæ infidelium imperio  
 reguntur, ut & populus & princeps Euangelij prædicationem ad-  
 mittant: præsertim uerò, ut ubicunq; hoc fiat, prædicetur incorruptè,  
 hoc est, nullo fūco, nulla falsitate permixta. Hoc optime Prin-  
 ceptis, hoc tandem uerum est protectoris (ut uocaris) Ecclesiæ officii-  
 um, hoc ductoris Christiani gregis proprium onus, hoc dignum Chri-  
 stiano imperatore munus. Hoc est, quod te unctor tuus, cum te inau-  
 guraret, admonuit: diuinitus tibi traditam esse potestatem aduersus  
 Christi aduersarios, aduersus barbaros, & aduersus facinorosos  
 Christianos. barbarorum nomine eos intelligens, qui Christum non a-  
 gnoscunt: aduersariorum autem, qui Christianæ religionis dogmata  
 nituntur aut extinguere, aut labefactare: facinorosos uerò Christia-  
 nos uocans, eos qui Christianam legem cum agnoscunt, impiè ac scele-  
 ratè præuaricantur. Tria haud dubiè non contemnenda hostium ca-  
 stra, quorum cum primo loco eos ponit, qui Christiana dogmata labe-  
 factant atq; conuellunt, seriò admonet, hos ut præcipuos hostes haben-  
 dos esse: ut qui, quantumlibet sint pauci, etiam cum incipiūt exoriri, negli-  
 gi nequeant sine grauissimo dāno: propterea quòd ea sit religionis in-  
 doles, ut cum nulla eius labes non sit exitiosa, quo quæq; minor est, eo sit  
 (mirabile

(mirabile dictu) funestior ac perniciosior. Cum enim cæteris in rebus  
 homines, quo inuicem similiores sunt, eo sint naturæ quodam impetu ani-  
 mis quoq; coniunctiores: contra nescio quo pacto fit, ut qui in religio-  
 ne differunt, quo minus differant, eo grauiores gerant inimicitias.  
 Quis enim nescit, & deus remotiores esse à religione, quam idolola-  
 tras? non memini tamen ab illis, contra uerò ab idololatræ nusquam nõ  
 legimus, & ueteris et nouæ religiõis cultores summa iniuria afflictos.  
 Propius ad ueram religionem accesserunt philosophi ethnici, qui om-  
 nia ingenij acumine perquirentes, unum Deum totius machinæ gu-  
 bernatorem agnouerūt. Quanto autem hi, quam idololatræ, Christi-  
 ano populo infestiores denunciarunt inimicitias, uel unus Iulianus  
 Augustus locuples testis est. quin & hi multo grauius lædunt, cum ua-  
 fris & uerisimilibus scriptis, fūco philosophico connexis (quæ res  
 simplicibus Christianis plus adfert acerbi, quam quoduis tormenti  
 genus) religiosas mentes tentant, & concutiunt.

Perfectior autem, licet non plenè absoluta, religionis cognitio fuit  
 Iudæis: nam præter illum omnium rerum fontem, quem etiam philosophi  
 colebant, Iudæi mediatorem quendam Dei et hominum prædicarunt:  
 qui tamen semper tanta ira in populum Christianum exarserunt, ut &  
 scriptis et tormentis, cū dabatur opportunitas, eum diuexarint: ut phi-  
 losophorū odium, si cum hoc conferatur, nullum sit. Sed quid Mahu-  
 metani? non ne his propius cū nostra religione conuenit, ita ut eam ferè  
 imitentur? habent enim præter ueteris legis scripturas, Euangelicæ  
 quoque historiæ scriptores sibi familiares. At quanto plus, quam à Iu-  
 dæis, & ignominiarum, et afflictionum per tot iam sæcula ab ea gente  
 Christiano populo illatum sit, nemo est qui ignorat. Vt præteream pe-  
 tulantia maledicta, & conuicia, quibus nostræ religionis ingeniosos  
 uiros miserè lacefferunt: quod satis testantur scripta Auerrois, Aui-  
 cebronis, Auenpacis, et aliorū eius gentis impiissimorum scriptorum.

Cæterum cū inter illos iam dictos nemo sit, qui tantum ad sanam  
 religionem accedat, ut ij quos uocamus hæreticos, utpote in uno  
 solum, aut altero, aut certe in pauculis scripturæ locis, aut de sensu  
 tantummodo alicuius scripturæ, diuersum à religioso populo senti-  
 entes, in cæteris uerò concordēs: plus tamen semper & damni & af-  
 flictionis, hi suis subdolis scriptis religioso populo intulerunt, quam o-  
 mnes illi superiores in unum conflati. Sed & re ipsa, atrocius ab his  
 sinceræ religionis cultores afflictos fuisse, ex ijs licet intelligere,  
 quæ de regibus atque imperatoribus Arrianis, Monotheleticis,

Iconomachis memorie prodita sunt, nempe Constantio, Constante, Valente, Anastasio, Leone tertio, & huius filio Constantino sexto, quem & ideo alterum Diocletianum appellitant, qui omnium ab orbe condito idololatrarum planè fuit ferocissimus, ut interim Attilam præteream, Genserichum, Hunerichum, aliosq; innumeros semichristianos truculentissimos. Atq; utinam non essent hodie inter istos, qui hoc dissidium in religione seminarunt, qui nihil aliud summis uotis optant, quàm ut semel se offerat occasio, quo illud re ipsa præstent, quod scriptis suis satis aperte significarunt. Sunt præterea aliæ peculiare causæ, cur tuæ Maiestatis et imperij plurimū inter sit, hoc præsens dissidium componere. Primum, quòd in Germania ortum sit, cui genus & imperium debes. Deinde, quòd (quæ est eius gentis ingenij firmitas, & constantia) quas opiniones semel penitus imbiberit, ægrè aut nunquam relictura uideatur: ut pessimo totius orbis exemplo uenisse uidemus, penè duobus ab hinc sæculis, in illo alioqui florentissimo in media Germania, Bohemiæ regno. Deniq; quòd dissidentibus sic Germanis, non modò tuas, ô Cæsar, uires alioqui firmissimas, impares esse, sed ne totam quidem reliquam Christiani orbis regionem sufficere uideamus, sustinendis insultibus, quos nunquam non molitur ille potentissimus simul ac ferocissimus, atq; implacabilis Christiani nominis, nunc uerò ipsi Germaniæ uicinus hostis. Hæc, hisq; similia, quorsum ego hic commemoro, quæ nemo non uidet, & de quibus profectò nemo non ingemiscit? Tantum sciunt omnes referre Christianæ reip. nedum non tua priuatim, ô Augustissime Princeps, ista tua non solùm ab omni æuo militari robore præstantissima, uerū etiam artibus proximis sæculis inuentis præclarissima Germania, pacatâ ne sit, an perturbata. ob quam etiam causam oportet huic malo uelocissimè occurrere. Verùm id per te fiat oportet. nam qui præter te hoc possit efficere, in orbe noui neminem.

Solebant (fateor) hæreses ab Ecclesiarū rectoribus extirpari, rationibusq; & scripturis conuinci: uerùm & solebant inter solos ferè ecclesiarū moderatores, & scripturæ gnaros nasci. At hæ inter plebeios maxime flagrant: neq; ex scripturarum obscuritate, ut ferè solent, sed magis ex odio sacerdotum natæ sunt. Sequuntur (fateor) alij alios errores. uerùm uniuersi, diuersis licet agminibus, aduersus hunc ordinem ita uno impetu insurgunt, ut bono iure uideri possit bellū non dissimile seruili, ecclesiæ rectoribus communiter à plebeijs indictum. Quod odium usq; adeò iam creuit, ut & monitiones sacerdotum planè

respuant,

respuant, auctoritatem contemnant, doctrinam aspernentur, & omnem rerum ordinem inuertant: dum interim etiam clamitant, sacerdotum uitia grauius odiū mereri. Quibus ita inter se dissidentibus, mihi certè nulla occurrit spes, aut ratio componendi dissidiū, nisi præclaro sanguine nati, & potissimū ista Maiestas, prudenti consilio intercesserit. alioqui uideo idem periculum summis quoq; principibus imminere, si licet ex rebus retro gestis, futurarum rerum euentum conijcere. Nam regnante apud Francos Carolo eius nominis sexto, cum uulgus apud Aruernos insurrexisset in ecclesiarū præfectos, et ad id proceres non nihil conuiuissent, illis haud difficulter contritis, mox et in ipsos proceres arma conuerterūt. Idem planè contigisset ante annos quadraginta in agro Bruchsellano Sueuiæ, nisi auus tuus Maximilianus prudenter, & properè rusticorum furori occurrisset. Quin & te imperante, nempe anno abhinc undeuigesimo, uidimus diuersis in locis Germaniæ, rusticum uulgus ubi rabiem suam exercuissent, primū quidem in solos religionis antistes, paulo post & in equestris ordinis homines seuijsse, quisquis nollet in eorum numerum ascribi. Hoc olim prudenter dixit Aristoteles, Reipublicæ rectores, si concordēs sint, facillè rempubl. moderaturos: discordibus uerò plebem ipsam dominari. Sed ut omnino certum sit, nullum ab his periculum timendum esse principibus, cohereri certè non poterunt, quin pars tandem in partem arma moueat, donec altera alterius uolentiæ planè cedat: ex cuiusmodi seditionibus sæpe legimus & regnorum factas mutationes. Sed esto, nullus metus seditionum habendus est. Num tibi uolupte erit, pientissime Princeps, uidere istis oculis, quod nisi occursum fuerit, omnino uisurus es: sic rem geri per Germaniam, ut sacerdotio prophanato, conculcatis legibus, expulsa omni uita ac morum honestate, pessum eant cum religione, pudoris, probitatis, ac uerecundiæ precia? quando euecti licentia atq; audacia perditissimi homines, sanciant, defendunt, constituunt, quicquid effrenata curq; libido, quicquid nouandarum rerum, qua semper exarserunt, cupiditas, & utraq; maior aduersus omnem publicam disciplinam peruicax contumacia dictauerit, præscripserit, suggesterit? Huiusmodi sanè futura est per Germaniam, atq; utinam non etiam per cæteras nationes Christianarum rerum forma, nisi potentissime Princeps, alia quàm hæctenus ratione, hisce dissidijs te obijcias. Quibus uel è sola Germania sublatis, bone Deus, quanta mox secutura est & in cæteris nationibus tranquillitas? quantus toto orbe Christianæ religionis fulgor: quātus diuinarum humanarumq; rerū decor: quanta

Quanta inter hominum ordines dignitas: quantus item uirtutum omnium genium splendor: quanta rerum omnium uenustas: & ut semel dicam, quam planè aurea secula subito erumpent?

Et de Germania quidem nemo dubitauerit, quin resumptis per concordiam uiribus, sit protinus & priscam gloriam recuperatura, quæ hoc quidem rerum statu uicinis penè omnibus est contemptibilis. Quæ nacta, quid (amabo) non poterit Germania, præsertim te Imperatore? utpote per quem eorum potentia aucta est, opibus tot florentissimorum regnorum, opulentissimorumque populorum, quibus hæreditario iure leges præbes. Quid non Germanica illa seueritas, suauissimorum tuorum morum facilitate & comitate condita, atque temperata? Quid non insuperabile corporum robur, tua ista spectata omnibus, ac planè fatali, incomparabilique fœlicitate adiutum? Certè his medijs futurum speramus, ut multo facilius Bulgariam & Valachiam, Peloponnesum & Achaïam, atque adeo Macedontam & Thraciam, Christiano nomini reddaturi simus, quam olim maiores nostri in Dania, Britannia, Gallia, Italia, Hispania, & Aphrica (quæ gloria Germanicæ nationi penè peculiaris est, & propria) noua regna propagarunt. Ut interim res illas gestas prætereamus, quas strenuè gesserunt contra regnum, quo tempore erat Romanis florentissimum: ac illa uetustissima, quæ Homerus scribit, Cymbros traiecto Põto gessisse procul in Asia, ante Troiam captam. Et si posterioribus quoque temporibus non semel (ut habent Annales) præclaras res gerere potuerunt in Asia Germani, cum à Thraciæ imperatoribus, licet Christianis, fraudulenta tamen perfidia sæpe illuderentur: quid non & magnè & memorabile, sunt facile ac fœliciter acturi per Asiam atque Aphricam, si primùm, Deo propitio, huic imperio etiam ciuitas Constantinopolitana fuerit addita?

Hæc tam immensa bona, optime Princeps, pariet nobis religionis concordia: contraria uerò atque inexpiabilia manent nos mala, si hoc in religione disidiū longius gliscat. Verùm ut nihil malè, aut boni, quod dignum sit ac magnificendum, posset in rebus publicis efficere religio disidens, aut conciliata: in regibus certè plurimum facit. Reges enim quicumque ab omni æuo laudem à posteris consecuti sunt, ut testantur hystoriae, quanto fuerint præstantiore ingenio præditi, tanto & stabilendæ religioni fuere studiosiores. nam ut præteream uetustissimos illos Minoem, Rhadamanthum, & Numam Pompilium, & alios ueteres laudatissimos, Draconem, Solonem, Lycurgum, qui ob id quod religionem

religionem populo tradiderunt, dicuntur ex feris in humanam speciem homines transformasse. ij etiam, qui inter posteriores ingenij acrimonia excelluerunt, nihil prius habendum duxerunt ipsa religione: testes sunt, Iulius Cæsar, & Octavianus Augustus, qui cum summos fasces iam essent adepti, nondum tamen se arbitrabantur culmè honoris ascutos, priusquam maximum etiam pontificatum, hoc est, ornandæ ac ordinandæ religionis summam auctoritatem addidissent monarchiæ. Adeo etiam ethnicorum præstantissimi quique, de sua superstitione, aut certe naturali religiõne et statuenda et confirmanda fuere solliciti. Quin & illi principes, qui omnem religionem animo detestabantur, quo tamen apud populum haberentur uenerabiles, religionem, quam animo oderant, miris technis simulare soliti sunt, ut fuco illo pietatis in hominum animos callide se insinuarent. Non enim ignorabant, populo id semper per suasum fuere s uehementer, principem illum uirtute præditum esse non posse, cuius animus à religione esset alienus. quare & Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus Antonius, et Constantius Magni Cõstantini pater, et alij plures, miris ab historiographis cõmendantur encomijs, & optimi appellantur: qui cum nondum essent Christianæ religionis intelligendæ capaces, bene tamen huius inijtjs fauerunt: & cõtra Neronem, Domitianum, Valerianum, Maxentium, Diocletianum, ut hominum monstra detestantur, qui nascenti religioni, quæ pietatem docet, atrocius resisterunt. Adeo semper fuit in ethnicis etiam principibus, morum probitati studium ornandæ religionis coniunctum. Verum inter omnes illos principes, qui de religiõne nostra bene meriti ab historiographis celebrantur, nullos uidere est ita laudatos, ut quibus cõtigit ijs uixisse temporibus, quando religionis negotiū maxime esset perturbatum. Nec mirum. nam sicut nauclerus nullum præclarum sui specimè, nullum industriæ signum potest exhibere, nisi talis in mari oriatur tempestas, quæ prudentis gubernatoris desiderat operam: ita & principis religiosus animus, quo in sæuiorem religionis perturbationem inciderit, eo fit illustrior. hinc enim sumit occasionem, ut quam gerat animo uirtutem, re ipsa ostendat. Quapropter ij principes longe omnium sunt celebratissimi, qui in tantam religionis turbationem inciderunt, ut nequuerint eam (quemadmodum multum uereor nec hanc quoque posse) alio quam summo remedio, hoc est suprema ecclesiæ auctoritate sedare. Tales fuere Constantinus Magnus, Theodosius primus, Marcianus, Leo primus, Iustinianus, Constantinus ite septimus, et Sigismundus. quorum ultimus (nam de cæteris longum esset,

esset, quàm ea in re singuli operam nauarint, recensere) cum suæ ætatis tempore misere ecclesia schismate laceraretur, atq; esset propter hoc orbis Christianus in quatuor diuisus factiones, multis periculosis, laboriosisq; peregrinationibus terra mariq; susceptis, non prius quieuit, quàm principū animis emollitis, conuocatoq; generali concilio, pax ecclesie restitueretur. Hic ego, optime Cæsar, uidere mihi uideor, te omni mente, cogitatione & cura, uersare insignem illā diligentiam Sigismundi, et ex aduerso præsentem hanc multo illa maiorem rerum omnium perturbationem, atq; nonnihil trepidare (ut solent boni homines etiam tuta timere) ne omnium regum iudex Christus, hoc dissidium tibi uni, uel ob hoc maxime exprobet, aut obijciat, quoniam te imperante, aut certe non longe ante tuum in Imperio principatū, absq; tua licet culpa ortum, usq; adeo creuit, ut per Europam bonā hominum partem, cum magno & præsentis & futuræ uitæ dispendio fascinarit. Cogitas enim, quid esses responsurus, si ad hunc modum Christus te compelleret. Quos Imperator Carole maiores tui, Carolus Martellus, eiusq; filij, & tandē Carolus Magnus, summa difficultate ad ouile ecclesie adduxerūt, tū ne hos religionis ægrè licet susceptæ strenuos ab eo tempore, & constantes defensores, quiq; alijs nationibus in uarias hæreses delapsis, fortiter semper (ut aduersus impositum onus palma) omnium hæreticorum insultibus restiterunt: Tū ne inquam, qui longe pluribus, potentioribusq; populis iura præscribis, quàm maiores illi tui, permittes, quorsum cuiq; libitū fuerit, diuagari? Huiusmodi cogitationes, si recte ingenium tuum nouimus, animo tuo optime Princeps sæpe obuersantur. Sed macete esto uirtute, quam nunc tuæ patriæ lubens debebis: & medicinā tanto, et tam ancipiti morbo congruentem adhibe. Nemo enim ambigit, quin tam desideratum omnibus Christianis, tamq; omnibus sæculis memorandum opus, per te tandem conficietur. Ad hoc enim te diuinitus destinatum, non temere agnoscimus. Monstro autem hoc omnium teterrimo tua dexteritate & sapientia edomito, laudem tibi nominis sempiternam comparabis, longe ampliorem firmioremq;, quàm si Persas atq; Indos deuiceris: cum in bellis primas sibi fortuna partes, magnā duces & milites desumant ac uendicent. hoc uero tuum erit, & quidem peculiariter & in solidum: tua laus ista solius futura est. Exigunt hanc operam à te Cæsar, maiorum tuorum exempla (ut dixi) domestica: requirit perpetua anteaclæ uitæ, morumq; constantia: & super omnia, ea quam debes ecclesie Christi, fides & obseruantia, ut labentem illam, atq; adeo prostratam iacentemq; eri-

gas:

erigas: confractam & dissipatā, confirmes: moestam, multisq; lachrymis tuam opem implorantem, recrees atq; soleris, ut pristino decori restituta, genuinoq; lumine splendescens, ueterem formam recipiat, quàm Paulus Apostolus paucis quidem uerbis, sed mirū quàm suauibus expressit, Ephesijs præscribens ecclesiasticæ uitæ disciplinam. Ambulemus (inquit) ita ut dignum est uocatione, qua uocati sumus, cum omni submissione ac mansuetudine, cum omni animi lenitate, tolerantes nos inuicem per charitatem, studentes per omnem quidem modum seruare unitatem spiritus, per uinculum pacis, in uno corpore atq; uno spiritu, quemadmodū uocati sumus in una spe uocationis nostræ: quia unus Dominus (inquit) una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis.

Cuius perficiendi ratio, quoniam mihi non ita difficilis uidetur, ut multis uisa est, sit tantummodo sacra tua Maiestas eam, qua ualet, dexteritatem, morumq; suauitatem huic negotio adhibeat: ideo, quæ & ego ea de re cogitatione comprehendere & scripsi, Tuæ Maiestati dicere uolui, non tam propter uulgares illas literatorum hominum dicandi rationes, quàm eam quæ est omnium grauissima: quòd omnium mortaliū, alium (ut dixi) uideam neminem, in cuius sinum, cordis mei lamenta, certiore spe solatij effudero. his nouem, reliquos additurus, si ita iusseris. nam his methodus duntaxat ostenditur, qua tam multæ illæ quæstiones, quæ in præsentia, in tam uarias factiones diuisis, ingeniosis hominibus controuertuntur, uidentur facilimè simul & breuissimè explanari atq; dissolui posse. Qui si nihil forsan faciant ad rem, animum tamen hunc scio non aspernaberis, qui quod potest, præstat ad uias pacis, tranquillitatisq; inueniēdis: quib. stabiliendis Maiestatem Tuam

Christus seruet incolumem, perpetuoq; foelicem. Ultraiecti,

Calendis Septembribus. Anno Dominicæ In-

carnationis M. D. XLIIII.





**N** tibi sylvam cogitationum, candidè Lector, quas mihi frequēs dolor animi suggessit, accuratius subinde cōtemplanti, quanto incommodo, hoc in Germania religionis (proh dolor) dissidium, ex parua licet natum scintilla, flammam toto orbe diffuderit. Has quorundam summatum uirorū sollicitæ, & nimis certe acri efflagitationi subito calore congesti potius, quàm scripsi. qui me quoq; si diuis placet, non nihil præstare posse existimantes, ignauia meam uisi sunt quasi reprehendere: ut qui in tãto tamq; præsentaneo maximarū rerum periculo, usquequaq; turpiter sterterē, multis interim alijs post alios, quæ cuiq; uisa sint, sarcindæ concordia remedia confidenter in ipsam orbis lucem proferentibus. Illorum ego monitis hortatibusq; impetu quodã obtemperans, illico ne nihil agerē, cœpi doliū Diogenis, ut in prouerbijis est, sursum deorsum uolutare: non profectō nullius spe fructus, ut ille, sed parī, quo ille, proposito, ut suscipere deq; haberem, si quid interim alijs pro suo uel ingenio, uel affectu, conducibilius faciendum dī iudicarent. Vt enim ille omnium quæ agerentur, ita ego eorum quæ de præsentibus controuersijs & multa scripta sunt, et quotidie scribuntur, securus, ad id unum, aut certe potissimum respexi, ne hoc meo Opere, in quo aliorum scripta non iudico, quis queri posset, suam forsan meliorem operā impediri. Hoc studium meum, hæc tota cura fuit. Et hoc est proinde nunc unicum uotū meum, ut si quod ad fructum: quidem attinet, spe ducar inani: ne amplius saltem hæc mea, quàm illius olim tam nobilis philosophi inanis defatigatio, publico bono incommodet. Quæ sanè trepidatio in causa fuit, cur tametsi cogitationibus meis explicandis uolumen destinauerim triginta sex librorum: tamē hinc eos non simul omnes in lucem ediderim, sed nouem duntaxat: nimirum prout horum genius (si modo ullum habeant) fuerit lectori cōprobatas, reliquos postea uel additurus, uel supressurus: quippe quod conscius ipse mihi magnæ libertatis, multum uerear, operam meam ex tot factionib. nemini (ut misere nūc lacera ecclesia est) satis iri comprobatum: tametsi cum ipso corpore, unde tot partes dissectæ sunt, me studui conglutinare. Eapropter et reuocans; quin etiam expresse et aperte depaciscens, ab hac hora haberi uolo ut reuocatum, sicubi uel latum pilum, & quicquid minus pilo dici potest, à sanctæ ecclesiæ dogmatis aberrauerim: nimirū cuiuscunq; me candidus reprehensor commonuerit, secunda editione, si quando forsan alios addidero, libenter id uel explanaturus, uel emēdaturus. Cæterum cum præter egregia ueterū uolumina, quæ tam multa quotidie typographorum opera in lucem prodeunt, ut quantumuis diligentis uiri studium uix sufficiat omnibus perlegendis: cū inquam præter hæc, etiam huius sæculi tam multi scriptores sua certatim edicarent, quibus meliori studio natos à ueterum, & omnium calculis approbatorum authorum lectione auocāt, suaq; scripta eorum loco exhibent cognoscenda: graue profectō temporis et irrecuperabile dispendium uidebar etiam ego tibi facturum, nisi quanto possem compendio mentis meæ conceptū perstringerem. Vehementi ergo parandæ pacis amore eam ubiq; rationem sum secutus, utinam & affecutus, ut tum breuitate sermonis, tum rerum uarietate, tum sinceritate animi, atq; adeo omni (ut dixi) posthabita contentione, hoc fastidienti sæculo istam delatam mentem cuiusuis siue ordinis siue factionis sis, quantula possem industria inuitarem, ad unicam saltem huiusce non magni Operis perlustrationē: ut quas easdem res uestrum nemo ferè non, sed suo quisq; modo, frequenter animo uoluit, non dedigneris uel semel, quomodo ipse

ipse meis publicæ tranquillitatis sarcindæ cogitationibus eas accōmodarim, animum aduertere. Quod quidem si non impetrauero, inuenturas tamen opinabar & has sua (ut dici solet) labra lactucas: eatenus uidelicet, ut uel ipsa gratia nouitatis, quæ non minus in his ingeniorum mercibus, quàm in alijs solet spectatoribus adblandiri, ut inquam ipsa nouitas, si non rei ipsius, saltem authoris repente prodeuntis, qualescunq; lectores uel tantillo numero alliciat, ut excusori absq; fraude sit tantulum libellorum semel excudisse. Quid enim uetet, me quoq; sperare fructum, quem uideo passim facere omnes, quotquot post ueteres sua hodie sensa edunt: nempe ut ignauos aliquot, alioqui fortè nihil lecturos, noua editione excitent: & eos qui dudum sese euoluendis bonis autoribus foeliciter dediderant, curiosos præsertim, à ueteribus bonis ad suos utinam non malos, nouitatis solum blanditijs alliciunt, qui aliàs eiusmodi quidem rerum argumēta non uersarent. Titulum autem uniuerso Operi inscripsi, De Religione instauranda. Scopus enim hic ille noster est, quod intueri, et ad quem unum assidue mentis oculis intendere per omnes triginta sex libros lector debeat. quo titulo ea ex causa libentius à me inscribitur, quod uidere mihi uideor, dissidentium animos non ita toto diametro pugnare: quin si in odio infatigabilis (quod supremum in hac re puto) intercedat paranymphus, facili momento etiam cum lucro sint in eandem omnes sententiam ituri. Vt quod dicitur, Amantium iræ amoris redintegratio est: confidam in hac omnium certe humanarum, quæ sub cœlo sunt, rerum grauissima causa futurum: hoc est, ut breui totus orbis conspecturus sit, Christianæ religionis cultores sepositis odijs, uno omnes nisu conspiratum ire, in quandam etiam ipsis portis inferorum admirabilem, terribilemq; religionis redintegrationem. Nam eam quidem arbitror causam esse, cur immensa bonitas hoc tam sæuum malum, cui toties frustra remedium comparatum est, & adhibitum, tanto iam tempore tolerarit. Quam tam amabilem rem, cum non credam aliquem esse, cuiuscunq; ille factionis sit, modo Christo nomen dederit, qui non summis uotis optet: ego uero etiam magno desiderio iam dudum magis magisq; expectem: factum est, ut in huius operis titulo dixerim, me ecclesiasticam concordiam desiderare: ut si fortè totus labor alioqui indignus uideatur, qui laudem referat, saltem laudis parentē, animi mei affectionem, prima fronte tibi facerem commendabilem. Congruerat autem cogitationū mearum sylvam uniuersam, & cōfusam, certo quodam ordine digerere in classes, ceu turbam militum in cohortes. Itaq; similia similib. & uicinā uicinis connectens, ueluti exercitum quendam eduxi, dato uidelicet suo cui libet classi militari signo: hoc est, singulis libris sua inscriptione, seu nomenclatura: ut promptum sit ex omnibus argumentis quæ tractaui, quod malueris prægustare: uel etiam solum illud uorare, si fortè cætera nihil fecerint ad tuum palatum. Verum ut illum quoq; lectorem, qui fortè statuerit bonis horis hæc mea omnia pressius examinare, uicissitudine quadã nunc legendi, nunc id ipsum quod legerit trutinandi refocillarē, recrearemq;, orationē concisam quidem, sed eius tamen formæ studui continuare, ut si tantummodo uelis ipsos capitū indices ueluti præterire, eandem legere possis absq; hiatu, hoc est tanquam haud interruptam. Cæterum orationem hic inuenies candidè Lector, simplicem atq; incomptam, atq; utinam non alicubi barbarā: quippe quod præter meam ipsius ineptitudinem, ornari (ut ille inquit) res ipsa negat, contenta doceri: ut quæ non rarò contra decorum orationis, propter significantiam desiderat locutiones Vandalicas, Gothicas, nouas, obsoletas. Itaq; hos nouem, quibus tres, qui hic desunt, propediem adiungam, ueluti trium phalangum primam feci, qui, distincta religione ut accipitur generali significatione, in cognitionem, affectionem, & cultum, de sola religionis

prima parte, nimirum cognitione, proprie disceptant, preparantque animum lectoris ad ea quæ alijs libris dicuntur, quos totidem de affectione, & rursus totidem de cul. u religionis instaurandis iam dudum parturio. Quos donec patriam, hos quæso citra liuorem expendito: et quod offenderit, citra amarulentiam commonefacito. Hæc te ante omnia etiam atque etiam & rogatum & admonitum uolui, optime Lector.

RERVM QUAE SINGVLO-  
rum librorum Capitibus tractantur,  
Index.

## LIBRI PRIMI.

De Origine, causaque religionis.	Cap. 1. Pag. 1
Religionis, & contrarij uitij uarietates.	2.1
Religionis uetustas.	3.2
Quibus partibus religio constet.	4.2
Religio rerum humanarum alpha & ω.	5.4
Variae religionis species.	6.4
Christiana religio perfectiss. & omnium disciplinarum amissis.	7.5
Lapsuum à religionis cognitione gradus quam plurimi.	8.6
Quæ religionis axiomata.	9.7
Quæ reuerentia inspiratae religioni debeatur.	10.8
Quæ utilitas sit sententiarum scholasticarum.	11.10
Christianæ religionis explicandæ plures rerum cognitiones, præter iam dictas, sunt necessariæ.	12.12
Articuli religionis.	13.13
Quod religionis cognitio & affectio, cultu & obsequio exprimendæ sint.	14.13
Qualis sit religionis societas.	15.15

## LIBRI SECVNDI.

Dissidium religionis, omnium pestilentissimum.	1.17
Quid differat desertor ab impio, blasphemus, ac uacillante.	2.19
Desertorum & recusatorum uarium genus.	3.20
Qualis ad pertinaciam progressus.	4.21
Qui desertores dicantur hæretici.	5.22
Hæreticus cur non tolerandus.	6.23
Qui pertinacem docet, operam perdit.	7.25
Quo pacto cum hæreticis siue priuatim, siue publice congregiendum.	8.26

Desertor

Desertor populari, hæreticus etiã publico iudicio persequendus.	9.28
Cui poenæ hæreticus obnoxius sit.	10.29
De naturali religione etiam secularis iudex cognoscit.	11.30
Ciuum potior pars & princeps ad naturalem religionem retinendam, seu amplectendam compellere cæteros possunt, ad suscipiendam uero inspiratam non possunt.	12.31.
Auersus hæreticos iusta belli causa.	13.33.
An hæretico seruanda fides.	14.34
Trium rerum præposterum studium Christianam rempubl. pessum dedit.	15.35

## LIBRI TERTII.

Qui uacillantes.	1.37
Præter uacillantes, sunt & lethargici, & neglectores religionis.	2.38
Quanta sit anxietas uacillanti.	3.39.
Cuilibet parum insolitæ doctrinæ prospiciendum.	4.40
Prelorum curam magistratum habere decet.	5.43
Quatenus ad unumquemque pertineat fulcire uacillantes.	6.44
Quomodo lethargici & religionis neglectores curandi.	7.46
Quomodo uacillanti medendum sit.	8.49
Quomodo occurrendum his, qui in ijs quæ religioni affinia sunt, errant.	9.51.
Quas formas Apostoli tradiderunt ad errores conuincendos.	10.53
Quod diligens omnium quæstionum cõsultatio fieri debeat, ante summum congressum.	11.55

## LIBRI QVARTI.

Quid Ecclesia.	1.63
Quo tempore regnum Ecclesiæ cœperit.	2.65
Quod ipso die Pentecostes gregi Christiano Ecclesiæ uocabulum impositum sit.	3.68
Ecclesiæ, seminis instar, triplex status.	4.70
Vniuersus priorum rerum ordo Ecclesiastici regni nuncijs.	5.73
Quæ Christus à cœna patrem orauit, impetrauit die Pentecostes, quando Ecclesia cœpit.	6.74
Qua forma loquendi prophetæ, Lucas, & cæteri huius dici acta descripserint.	7.79
Mirifica signa ueteris religionis sub aduentum nouæ pedetentim abolita.	8.86
Quod primæ Ecclesiæ gloria perpetua sit.	9.88

b 3 Libri

CAPITVM ELENCHVS.

LIBRI QVINTI.

<i>Ecclesiæ progressus humano fit adminiculo.</i>	1.89
<i>Multiplex opportunitas celeris progressus ecclesiastici regni.</i>	2.90
<i>Ex quibus hominibus Ecclesia propagata sit.</i>	3.91
<i>Apostoli accepto spiritu profecerunt pedetentim.</i>	4.93
<i>Gratiam accepti spiritus Apostoli sensim transfuderunt.</i>	5.95
<i>Quis Christianus Catechismus.</i>	6.97
<i>Quæ Christiana professio.</i>	7.101
<i>Quid auditores fecerint ad Ecclesiæ progressum.</i>	8.104
<i>Ecclesiæ indoles, ut ab oppressionib. redeat ualidior.</i>	9.105
<i>Ecclesia hostes proprijs ipsorum armis contundit.</i>	10.107
<i>Quibus modis Apostoli hoc breui tempore Ecclesiam tam latè propa- garint.</i>	11.108

LIBRI SEXTI.

<i>Quod uaria sint ornamentorum genera in Ecclesia.</i>	1.111
<i>Quod cuiq; membro suum munus &amp; officium sit.</i>	2.112
<i>Apostolatus fons ecclesiasticorum ordinum.</i>	3.114
<i>Membrorum ecclesiasticorum triplex status.</i>	4.118
<i>Quod sit membrum Ecclesiæ perfectum, quod imperfectum.</i>	5.120
<i>Quis uerè dicatur eiectus ex Ecclesia.</i>	6.122

LIBRI SEPTIMI.

<i>Iuris administrandi quot sint partes.</i>	1.124
<i>Iuris administrandi necessitas.</i>	2.125
<i>Iuris administrandi uarijs scopus.</i>	3.126
<i>Magistratum uariæ formæ.</i>	4.ead.
<i>Quæ sit iuris administratio secularis.</i>	5.ead.
<i>Quomodo potestas gladij accesserit.</i>	6.127
<i>Iuris administratio secularis, Mosaicæ religionis aduentu sublata, Euangelio uerò confirmata est.</i>	7.129
<i>Noua religio secularis administrationis censor.</i>	8.130
<i>Christus secularem iuris administrationē sæpius oblatā respuit.</i>	9.131
<i>Rektorib. ecclesiarum etiam species dominationis uitanda.</i>	10.ead.
<i>Præfetti ecclesiarum, præter sollicitudinem, habent etiam iuris admi- nistationem.</i>	11.132
<i>Christiana iuris administratio quæ sit, &amp; quid ea differat à Mosai- ca &amp; seculari.</i>	12.133
<i>Christiani iuris quadruplex genus.</i>	13.135
<i>Ius rerum edendarum immutari non potest, aliud potest.</i>	14.136
<i>Habent ecclesiarū præfetti etiã iuris disceptandi auctoritatē.</i>	15.137

De

CAPITVM ELENCHVS.

<i>De omnis generis controuersijs ecclesiarū præfetti suo modo cogno- scunt.</i>	16.138
<i>In quibus disceptatio ecclesiastica imitetur secularem.</i>	17.139
<i>Iusiurandum ad exquirendam ueritatem necessarium.</i>	18.140
<i>Quod prouocatio patrona sit, &amp; uindex ueritatis, et quare superioris iudicis sententia ualidior sit.</i>	19.142
<i>Quæ &amp; quantarum uirium sit coërcitio ecclesiastica.</i>	20.143
<i>Quod uaria sint anathematis genera.</i>	21.144
<i>Habet præter anathema alias coërcitiones Ecclesia: quibus omnibus qui non paruerit, ad seculare imperium erit remittendus.</i>	22.146
<i>Ecclesiarū præfetti pœnas contumaci præscribunt, quas ipsi infligere non possunt.</i>	23.147
<i>Multa esse utriq; foro communia.</i>	24.148
<i>Quid iurisdictionis ecclesiastici habeant ex hominum donatione, quid non.</i>	25.149
<i>An liceat, &amp; quo animo liceat Christiano litigare.</i>	26.150
<i>Duæ litigandi formæ Christianis peculiare.</i>	27.151
<i>Quæ sit forma Christianæ actionis, &amp; accusationis.</i>	28.153
<i>Cur Christianis tam strictè uetitum, ne litigent apud iudicem infide- lem.</i>	29.154
<i>Quomodo agendum cum aduersario disparis religionis.</i>	30.155

LIBRI OCTAUI.

<i>De origine scripturæ.</i>	1.156
<i>Tam noui quàm ueteris testamenti scripturam diuino afflatu scriptam esse.</i>	2.159
<i>Sacri libri ueteris testamenti qui sint, quibus authoribus, quo loco &amp; tempore &amp; idiomate cõscripti, et in quem ordinem redacti.</i>	3.162
<i>Qui libri qua ratione Hebræorum canoni non ascribantur.</i>	4.164
<i>Qui libri qua ratione à Septuaginta sint translati.</i>	5.167
<i>Quas ob causas oportuit scripturas ante Christi aduentum transferri in aliam linguam.</i>	6.170
<i>Post Septuaginta interpretum translationem, suas primùm Hebræi scripserunt <i>δεντερωσις</i>.</i>	7.172
<i>Noui testamenti libri qui, à quibus, qua lingua, &amp; quo ordine sint con- scripti.</i>	8.173
<i>Scripturæ sacræ, quanquam paris sunt auctoritatis, unatamem pars altera &amp; nobilior &amp; dignior est.</i>	9.178
<i>Vnde discerni queat, sacra quæ sit scriptura, et quæ prophana.</i>	10.182

Sacras

<i>Sacras literas esse uetustiores prophanis.</i>	11.184
<i>Variis scripturæ usus.</i>	12.185
<i>Sacrarum rerum enarrandarum rationem aliam esse, quàm profanarum.</i>	13.186
<i>Sacræ scripturæ sensus mysticus est, &amp; multiplex.</i>	14.188
<i>Quale studium esse debeat sacrarum literarum.</i>	15.191
<i>Directricem Christianæ religionis, non esse solam scripturam sacram.</i>	16.194

LIBRI NONI.

<i>Quomodo primùm nati sunt ritus.</i>	1.197
<i>Quo loco &amp; dignitate habiti fuerint ritus ab exordio rerum.</i>	2.199
<i>A tempore Abrahami rudimenta Mosaicarum institutionum paulatim introducta.</i>	3.200
<i>Præter legem scriptam ritus erant multi, quib. populus Israeliticus gubernabatur.</i>	4.202
<i>Ecclesia solis ritibus primùm creuit.</i>	5.203
<i>Præstantiorẽ partem doctrinæ suæ Apostoli non scripserunt.</i>	6.204
<i>Quod pro temporis &amp; rerum conditione, pedetentim Apostolis, eorumq; successoribus perfectior euangelicæ doctrinæ cognitio data est, &amp; semper dabitur.</i>	7.205
<i>Ritus, controuersiarum omnium, &amp; præsertim sacrarum, supremus censor.</i>	8.206
<i>Præter dictos ritus esse quoddam tertium genus rituum.</i>	9.207
<i>Verbi quàm scripti, &amp; rursus operis quàm uerbi efficacior doctrina.</i>	10.208
<i>Ritus à quibus, &amp; quomodo in communitatem religionis introducantur.</i>	11.209
<i>De ritibus olim non minor patribus, quàm de scripturarum integritate sollicitudo.</i>	12.211
<i>Vnde cognosci queat, quis uerè ritus ecclesiasticus sit, quis non.</i>	13.212
<i>Refutatio quarundam obiectionum.</i>	14.216
<i>Quomodo corruptela malæ consuetudinis tollenda.</i>	15.218

F I N I S.

DE INSTAVRANDA RELIGIONE  
LIBER PRIMVS, QUI EST  
PROPRIE DE RELIGIONE.

De origine, causaq; religionis. I.



INTER Deum, & illud diuini opificij miraculum, quem hominem appellamus, naturalem quandam ueluti necessitudinem esse, quæ facit, ut hominis animo quædam intenta semper in Deum cogitatio insideat, uel illud certissimo iudicio est, quod in rerum toto orbe memorabilium historijs inueniamus etiam efferas quasq; nationes, in ijs quæ sunt supra nos, sit ne Deus, & quid, ac qualis sit, maiorem in modum fuisse occupatas. Minus ergo mirum uideri debet, si easdem quæstiones homines ingeniosi magis sollicitè tractarint: sicut & hodie, quo quisque ab inhumanitate remotior, atq; ingenio eminentior est, eo quoque uehementius id genus inuestigationibus angitur. quæ certè supremæ sunt omnium, quæ in mentè hominis cadere possunt, cogitationū. Constans uero quæ hinc nascitur persuasio, nempe quåndam esse in uniuerso arcanam uim humanam superiorem, hominibus suspiciendam, religio ab omnibus dicitur: siue à relegendis, siue à reeligendis, siue à relinquendis, siue deniq; à religandis (uarijs uarie sentientibus) parū refert. Quam quidem uim, seu naturam, Latini Deum appellant à Græco uocabulo *θεο*, quod timorem notat: iuxta illud Statij: Primus in orbe Deos fecit timor. ut religio sit nō quilibet metus, sed timor cum reuerentiâ rei supra hominẽ uenerandæ. Cum uerò huiusmodi (ut dixi) persuasio fons sit religionis, quæcunq; deinceps ex huiusmodi persuasione ueluti ex radice pululant, facile intelliguntur ad religionis sanctitatẽ pertinere, intraq; uocabuli religionis ambitum aliquo modo comprehendi.

Religionis, & contrarij uitij uarietates. II.

Ta tamen, ut sola, quæ uera est religio, nomẽ hoc mereatur: quæ uerò falsum Deũ, aut uerũ quidem, sed falsò ac uanè metuit, teste Varrone, superstitionis nuncupet. eatenus em̄ superstitionis à religione secernit, quod superstitiosus Deos timeat ut dominos, religiosus uereatur ut parentes. Verum siue uana homines religione, siue uera teneantur, certũ est omnes prædictæ persuasioni, tanquam totius religionis basi inniti. Porrò inde ad ulteriores de Deo siue percunctationes, siue cogitationes progressi, uidelicet quid & qualis sit Deus, & si quæ hinc maiores cogitationum intentiones

A emet.

emergere possunt, inuestigantes, tam uariè semper homines de his sentierunt, & hodie sentiunt, ut nulla nationum fuerit, quæ totam: neq; ulla (nisi fuerit prodigiose barbara) quæ non aliquam certitudinis partem rerum ex fonte religionis prodeuntium attigerit. ita fuit diuersa portione distributa semper religio per omnes totius mundi nationes, quasi sua cuiq; portio fuerit assignata: quare & hodie facile non esset, religionum diuersitatem certo numero & ordine explicare.

*Religionis uetustas. III.*



Rius uero quam pergamus, quid nam rei religio sit, accuratius expendere: quam ea sit uetusta, uideamus. Constat autem ipsam mox à rerum initio unà cum homine natam esse. Hoc præterquam quod scriptura docet, etiã ratione facile est intelligere. Nam primū hominē (dum animo ille uolueret se haud quaquam æternum fuisse, sed nuper ortum) illico cogitasse consentaneum est, quæ illa esset natura, quæ ipsum condidisset. Non enim ignorauit illud postea celebratissimum apud philosophos, nihil posse semet ipsum condere ex nihilo. & cum se unicum, solumq; hominē cerneret, facile intellexit, non se fuisse per aliquam parem sibi naturam productū, quemadmodum homo hominem procreat, multo magis & hoc intellexit, quod neq; per aliquam inferiorem se naturam prodisset: cum per se notum sit, nullam rem posse ultra limites suæ potestatis effectum extendere. Quæ dum mente reuolueret, quomodo potuit dubitare, quin præpotens illa hominis conditrix natura modis omnibus, ne tam præclari beneficii immemor uideretur, sibi esset colenda, obseruandaq;: quandoquidem ipsa per se ratio nos admonet, ut ea quæ eminentioris cuiusdam potestatis sunt, iudicemus optimo iure ueneranda, etiamsi inde nihil beneficiorum expectemus. Cum uerò, ut dixi, homo hæc ipsa secum diligenter animaduersa perpenderet, dubium non est, quin eandem naturam agnouerit uitæ gubernatricem, quam prius agnouerat uitæ suæ autorem. Per quæ duo cum natura conditrix de homine ueluti periculum fecisset, et is se inclinasset in contrarium: eadem pro sua prudentia & nostri sollicitudine, tertium quoddam ad religionem incitamentum addidit. Hominē itaq; in primi status conditione bonis omnibus abundantem, uoluit post scelus admissum omnium rerum penuria premi, ut quem prima illa beneficia satis non instigassent, ipsa multarum rerum indigentia coactū doceret, eius opem, à quo pendere ipsum oportet, implorare: ut ita nouis cotidie beneficijs deuinctus, aliqua ex parte mutuū illi amorem, beneficij q; accepti memorem animū homo præstaret, quod caput est religionis.

*Quibus partibus religio constat. IIII.*



A tribus potissimum partibus absoluitur, cognitione, affectione, & cultu. Quarum duæ primæ reconditæ sunt in homine, illa quidem in intellectu, hæc autem in uoluntate: at cultus

cultus è contrario extrinsecus fit, qui est eiusmodi abstrusæ atq; contentæ in mente religionis exhibitio. Cognitio autem ueluti anteambulo est affectionis, & hæc pariter ipsius cultus: non contra. neque enim affectio nisi præcedente cognitione, neque cultus nisi ambabus illis præcedentibus existit. Itaque si uelis perfectam, & omnes partes suas comprehendentem religionem definire, dicito religionem esse reuerentiæ omnipotentis numinis sinceram expressionem. ita quidem ut cogitatio omnipotentis prouidentiae exordium, reuerentia autem inde enascens progressio: ipsa uerò eiusdem reuerentiæ representatio, cultus, atque adeo consummatio religionis, aut si mauis, consummata religio sit. At dispiciamus, quid nam in rebus humanis ipsa prima religionis pars queat efficere. Ut enim ostium in cardine, ita humanæ uitæ institutio uoluitur sine dubio, reuoluiturq; in ea religionis parte, quæ cognitione constat. Nam hominum uita omnino absque religione uiuentium, quid distat à uita pecudum? At quotquot religionem tenentur, si suam religionem tanquam pro Lydio lapide habent uitæ suæ instituendæ: unoquoq; pro ea quam amplexus est, religionis cognitione, actiones uitamq; suam moderante. ut si qua illius decretis atq; præceptis consentanea sint, tanquam rectè iusteq; factis gaudeat: sin repugnent, quid uitandum sibi, fugiendumq; deinceps sit, illorum admonitu discat. Ita enim usuuenire uidemus, ut pro suo quisq; religionis delectu uel sectetur, tueaturq; uel etiam aspernetur singula & fugiat: perinde ut ab eo probari hæc existimat, quem religionis suæ principem agnoscat. Quod usq; adeo uerum est, ut hac religionis parte, quæ ad cognitionem spectat, uel parum mutata, non aliam mox uideas totius humanæ uitæ mutationem, quæ uidere licet, cum tota nauigij moles aliò, penè dixeram in contrarium uertitur, si parum suo loco gubernaculum moueatur, scopo nempe, quò cursus dirigebatur, transmutato. Hac autem parte ueluti basi constituta, quæ inde exoritur affectio religionis, partim antrorsum respicit ad præuiam cognitionem, partim ad consequentem cultum. Prior enim respectus est, ut uerè uelit & amet eum et talem Deum esse, quæ & qualem religionis cognitio dicitur. Hinc pergens actiones exhibere, quibus studeat numini, quod pro Deo amplexa est, gratificari, iam ad religiosum cultum uergit. ita ut ad primū illum respectum cultus nihil ferè attineat: contra tamē ita à secundo pendeat, ut imperium à causa proxima imperante. Quicquid uero fecerit homo studio gratificandi numinis, id appellamus religiosum cultum. Sed cum horum pleraq; proximorum inseruiant utilitati, sit ut ferè ambiguam habeant significationem: quippe & ad cultum numinis, et ad humanam *οὐρανίαν*, hoc est, si dicere liceat, cōpansionem indicandam, pariter idonea. Quare is demum actus proprie cultus dicitur, qui non nisi cultus est: hoc est ad nihil aliud solitus exhiberi, quam ad attestandam latentem in corde religionem. Cuiusmodi cultum cōsueuimus sacrū quoq; aut sacrificium nuncupare.



Hæc religio unicum rerum humanarum gubernaculum est. Nam licet mutuae opis indigentia coegerit homines in celebratissimas istas societates domorum, pagorum, ciuitatum, prouinciarum ac regnorum: eae tamen omnes dicto citius dissoluerentur, atque adeo rescinderentur, nisi religionis nexu essent ligatae: quod uidelicet tam possibile sit, religione uacuos homines ullam societatem retinere, quam feras beluas placidi conuictus mansuetudinem. qui uero religione ducuntur, dum cogitant gratas esse superis huiusmodi societates, student alter alteri facere, quae purant a numine, quod pro Deo habent, ad earum societatum conseruationem postulari: sicque mutuam uitae consuetudinem tranquillam agunt, ac iucundam. Propterea legum quoque conditores consueuerunt legum suarum auctoritatem, non alio, quam in Deos ipsos referre: ita ut si uere non possent, fingerent tamen eas sibi a dijs singulari dono traditas, ueluti regulas quasdam constituendae ciuili societati maxime necessariae. Quarum, ut par est, primas statuunt, quae ius publicum faciunt: hoc est, quae non ad huius, aut illius partis, sed ad totius corporis politici statum spectant: & quibus multa illa, officijs atque actionibus tantopere inter sese distincta politici corporis membra, in unitate tamen tranquillae ac iucundissimae coniunctionis continentur. Verum in iure ordinando, ea quae ad religionem attinerent, ijs semper proposuere, quae spectarent ad magistratum ciuilem: tanto aestimantes hanc altera parte potiore, quanto diuina potiora sunt habenda humanis, ut religionem ubique gentium uideas omnium humanarum rerum initium & perfectionem.

*Variae religionis species. VI.*



Vm uero percunctationes, quae ad religionem pertinent, supremae, ut ab initio dixi, ac proinde difficillimae sint omnium quae in mentem hominis cadere possunt, cogitationum: profecto in nulla alia re mortales tam facile hallucinantur, ideoque in nullo rerum genere, plus errorum, uastiusque pelagus controuersiarum repereris. Huic malo Deus, quae sua erga homines miseratio est, uolens tempestiue occurrere, iam inde ab orbe condito selectis quibusdam suam illam, eandemque proinde certissimam religionem inspirauit, quam deinceps pro humane mentis captu magis ac magis auxit ac prouexit, quae res peperit religionum uarias species. unam, quam inuentam uoco, quod ea sit hominum industria excogitata: aliam, quae diuinitus est inspirata. Quarum illa intra humanum captum consistit: haec uero omne prorsus ingenium humanum, modo illud simpliciter suis metiamur uiribus, excedit. Et dubium non est, quin unaqueque nationum aliquam inuenta religionis partem habeat. Contra uero fit in religione inspirata: haec enim peculiaris est solis illis, quos ad hoc Deus, ut modo dicebam, ex uni-

uerso

uerso hominum genere selegit: tantum eos supra caeteros omnes homines extollens, ut si alios cum his conferas, alij tanquam beluae, hi uero ueluti dii uocandi, habendi que sint, ipso Deo teste, dum ait: Ego dixi, quod dii estis uos, & filij excelsi omnes. eo nimirum, quod ad ipsos peculiariter admirabilis ille diuinae religionis sermo emanarit. Quibus et si in hoc conuenit, quod utraque religio arcanam illam, & summam omnium naturam agnoscat: differunt tamen quum in alijs, tum in hoc in primis, quod inspirata etiam mediatorem quendam celebrat, qui hominibus, quotquot illi obtemperauerint, uia, ueritas & uita, atque adeo optimorum Dei donorum ueluti fons sit: qui propterea nuncupatus est inter Deum & homines mediator, quod irae diuinae, maledictionisque illi intercesserit, in quam propter insignem a summa natura defectionem, inciderat homo, huius enim culpae deprecandae, diluendae, ac pensandae causa, coelestis illa religio electis hominibus diuinitus fuit inspirata: nimirum, ut eius ductu felices illi ante alios primam conditionem, a qua exciderant, ueluti relegendes, redeant ad mentem, seseque eidem summam naturam religant, hoc est denuo deuinciant, reelecto nimirum Deo, quem reiecerant, & relicta in quam abierant, exitiali illa defectione. Harum rerum nihil nouit religio, quam ipsi homines excogitarunt. Est autem inspirata religio duplex. Altera enim iam inde ab initio apud electos homines regnauit, a magno illo publicatore suo dicta Mosaica: altera uero ab diu desiderato nuncio, Euangelica dicta est. quem enim illa praestolabatur uenturum, haec iam uenisse sibi gratulatur: a quo etiam cognomen illud inclitum ante aliam sortita est, ut peculiariter uocetur religio Christiana. Porro quae per orbem aliae a Mosaica & Christiana fuere religiones, equidem non ausim dicere omnes prorsus fuisse uanas. Nam de quibus Paulus affirmat, quod Deum ipso etiam Deo reuelante cognouerunt, nimirum inuisibilia Dei, per ea quae facta sunt, comprehendentes, ex quo temporis ordine sempiternam illius uirtutem ac diuinitatem intelligentes: quis ausit dicere, Deum alia, quam sana eos instituisse, rectaque religione: tamen si, ut idem ait, maxima eorum pars mox reciderit ab eadem: quod uidelicet Deum quidem cognoscentes, at non ut Deum honorantes, uani stulti que facti sunt, in illis sapientissimis excelsisque cogitationibus suis.

*Christiana religio perfectissima, & omnium disciplinarum amulsis. VII.*



Sed antecellit omni alij religioni Christiana in multis. Primum quod haec sola gloriae de assidua praesentia sui institutoris. quis enim legumlatorum unquam dixit, quod hic suis: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Deinde cum caeteri latores legum magni ducerent, si summi numinis nuncij in legibus suis ferendis haberentur: solus Christi-

A 3 stianae

Mat. 5.  
Ad Hebr. 2.

Christianæ religionis autor, non uolens nuncijs, quod præcipuum maximumq̄ erat, cōmittere, se palam ut autorem, atq̄ adeo omnium dominum gessit, omnis enim alia lex naturali rationi, aut maiori cuidā, quā sit ipsius legislatoris, auctoritati incumbit: Christiana uero eam dignitatem sola obtinet, ut præcipua ex parte omnem naturalem rationem excedens, soli innitatur sui legislatoris, & non aliunde emendicatæ auctoritati. Postremò hęc maximè commendat id, quod ab eo sit promulgata, qui legem omnibus suis numeris absolutam, perfectamq̄ tradidit. Quæ etsi tempore postrema sit, uoluit tamen ut tanta res mox à primo rerū exordio ueluti è longinquo ostenderetur. Nam ut Adam per memorabilem illum soporem, latere suo educam Deo obstetricante uxorem uidit, præsaga mente intelligens, Paulo testante, quid rei factum illud præfiguraret, dixit: Hoc nūc os ex ossib. meis, et caro de carne mea, quam obrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: ihs nimirū uerbis uaticinans (ut quidem Paulus ea prima, ni fallor, primi hominis uerba explicat) è coelis uenturum Christum, qui cœlesti patre relicto carnē induēs, cum humano genere fœdus contracturus esset nunquā dirimendum. Ita ab ipso statim rerum exordio quoddam *ἡγορασθέν*, atq̄ rudimentū fecit Deus perfectissimæ, quæ in fine tandē seculorū futura esset, Christianæ religionis: non aut tunc primū, quando & Abrahā illius aduentū præuidit. Ad hęc religionē, ut ad Lydium lapidē, omnes quæ occurrerint, hallucinationes aut ambiguitates atterendæ erūt et examinandę. Nam cū illa cognitio, quæ alterius futura est directrix, dignior & perfectior esse debet, q̄ sit ea quę ad huius præscriptū fuerit corrigenda, nec alia cognitio præter religionē inueniri posset, quæ dignior sit & præstantior: ipsius religionis directrix regula extra religionē quęrenda nō est. quare quę eminentior alia fuerit, eadē ipsius examinatrix erit accersenda: nempe publica priuata, eruditorū plebeię, inspirata inuente: Christiana autem simul omnium, utpote omnium suprema. Hęc enim cum quasi princeps, omnium aliarū censurā habeat, alterius religionis iudicio nō subijcitur. Cæterū quando hac præcipuè tempestate, huiusmodi hallucinationes & errores, aut si maui præstigia etiā in Christiana religione maximo cum periculo emergūt, hic labor ad hoc unū à nobis suscipitur, ut quid nā illud sit ostendam, quod has circa Christianā religionē quotidie nascētes ambiguitates, ut doctor, arbiter, siue iudex decidere posset.

*Lapsuum à religionis cognitione gradus quamplurimi. VIII.*

**A**T cum nihil ita integrum homo seruare possit, ut in eo non aliquando peccet, certè propter imbecillitatem humanam facilius errauerit in his quæ ad religionem Christianam spectant: & eo perniciosius, quo ipsos fonteis religionis propius læserit. In singulis enim partibus delinquitur, sed non pari flagitio uel culpa. is enim qui in cultu errat, simpliciter errasse dicetur: secus in alijs duabus.

duabus. Nam ab affectione religionis si quispiam defecerit, cultum simul neglexisse meritò uidebit: si uero à cognitione deflexerit, iam certè & ab affectione et cultu (nam hęc duo ab illa quasi à cardine pendēt) alienus erit. Cum aut sint uarij religiosarū cognitionū gradus, prolapsionū quoq̄ à religiosa cognitione par est uarietas. Ut em̄ in alijs omnibus scientijs siue artibus, ita in cognitionib. pertinentibus ad religionem, earū potissimū ratio haberi solet, quæ Græcis axiomata, Latinis dignitates, Ciceroni enūciationes dicunt: nimirū prima illa principia, quæ cum sint omnium fontes, neq̄ his notiora inueniant, ex iisdē omnia alia quæ ad illas cognitiones pertinet, deducunt. Quę uero ex religionis axiomatis, ut sunt multa et uaria, colligunt, spectant quidem, ut meminimus, ad ipsam religionē, sed modo & gradu multū diuerso. quare etiam nō eodem habenda sunt loco, quę inde quoquo modo tracta fuerint. Nam ex eodē axioma aliud alio uicinius profluit, et quę ex axiomatibus nō euidēt, sed probabili deductione cōsequunt, nemo dixerit pari habēda existimatione cū illis, quę ex eisdem necessaria, & euidenti cōsequentiā fuerint collecta. Voco probabilem consequentiā, si uel aliqua propositionū, uel ipsa ratio cinatiōis forma probabilis est dūtaxat. Ut itaq̄ lapsuū à religiosa cognitione differentias penitus perspicias, gradus quosdā cōstituas oportet: nēpe ut eū qui in aliquo axioma errat, grauius dicamus labi, q̄ si offenderet in eo qd̄ ex axioma esset deductū, et in deductis perniciosius peccare, eū qui errat in hoc qd̄ ex euidenti, q̄ quod ex probabili duntaxat cōsecutione manasset, rursus eum in maiore errorē rapi, qui labitur in eo qd̄ ex solis religionis axiomatis sumptū esset, q̄ si quid eis ex prophanis addideris: & ut semel dicā, quod id in quo quis errat, imbecillius aut remotius effluxerit à fōte, hoc est religioso axioma, eo leuius peccat. Has propagationes & deductiones in infinitū trahere licebit: quę tamē omnes, modo necessaria cōsecutione fuerint propagate, sub religionis ambitu cōprehendunt. Et quia hęc deductiones sunt interminatę, fit ut hallucinationes nō minus infinite sint. una tamē eo plus altera exitialis, quo ueritas, quę illis contraria est, propius aut firmiori cōsecutione ab ipso axioma fōte fuerit deriuata.

*Quæ religionis axiomata. IX.*

**S**T aut unum axioma, qd̄ uidet fons esse omnium quibus religio inspirata cōstat axioma: illud nempe, naturā illā suprēmā neq̄ falli posse, neq̄ fallere. quanq̄ alia sunt isto priora, omnibusq̄ tā inuentis q̄ inspiratis religionibus ex æquo cōmunia: ut illa, Deus est, homo est Deo curæ, Deo patent cordis secreta: ex quibus & peculiare illud iam positum inspiratarū religionū axioma, sumptum est. Habet tamen una quæq̄ religio sua sibi axiomata: quæ quidem certum est perpauca esse in ea quam inuentam uocauit, propterea quod rariora in scientijs, artibusq̄ (quas, ut religionem inuentam, natura peperit) inueniri soleant, coalescit tamē hinc magnus deductorū numerus.

quibus artes seu scientias constare dicimus: quod non ita fit in religio-  
ne inspirata: tam enim hic sunt axiomata frequentia, ut oceanum dixe-  
ris, quaecunque enim Deus unquam ad peculiarem, & ueteris & noui  
populi usum reuelauit, axiomata omnia celsenda sunt. Quot ergo ex tā  
magno axiomatum Oceano flumina certarum conclusionum dedu-  
cta putas: quæ per uarios alueos descendunt, multosq; riuulos ingre-  
dientia, axiomatum suorum uim secum deuehunt. Habent autem tot il-  
la inspiratæ religionis axiomata hoc peculiare, ut præter morem alio-  
rum axiomatum, tum religionum, tum scientiarū, artiumq; ipsa ita sint  
inter se conglutinata, ut eorum uel minimo labefactato, simul pessum  
ruant uniuersa: quemadmodum si lapide uno ablato, tota ædificij mo-  
les corrueret. quod in omnibus alijs scientijs seu artibus ita se non ha-  
bet: quia harum unumquodq; axioma peculiarem, & quasi propriam  
lucem, persuadendiq; uim habet: ut si uel maximum labatur, nō sit pro-  
pterea necesse, eiusdem scientiæ aliud quoduis labi. Contrā uerò fit in  
religione inspirata. huius enim axiomata unius numinis autoritate ful-  
ciuntur: ideoq; non diuersam, ut illa, sed eandē ab eodem numine pro-  
bationis rationem trahunt.

*Quæ reuerentia inspiratæ religioni  
debeatur. X.*

20



Vnc quæ cuiusq; religionis cognitioni reuerentia debeatur ui-  
deamus. Varios uarijs modis, ut alicui rei assentiatur, addu-  
ci solere, credo omnibus notissimum. id autem plerumq; tri-  
bus modis fieri uidemus. Vt esse monocerotes, aliter nouit  
Indus, qui hæc animalia uidit: aliter philosophiæ studiosus, qui legit,  
quæ Plinius, aut Solinus de ijs scripsit: aliter uerè religionis cultor, qui  
nō ignorat Mosen, Iob, Dauidē, & Esaiam id genus animantis sæpius  
meminisse. Primus ea nouit per experiētiā, ideoq; euidenter: alter ue-  
rò ex opinione, probabiliter duntaxat: hic autem lōge alio modo, nem-  
pe firma ac stabili fide. Iuxta quam assensuum differentiam fateri oportet,  
cuiuslibet rei ad religionem pertinentis triplicem esse cognitionem,  
quod clarius uidere licebit, si tali exemplo illustretur. Vnū esse Deum,  
spiritus cœlestes euidenter uident: præclarissimi quique philosopho-  
rum probabiliter opinantur: & fideles firmiter credunt. fatendum er-  
go, angelorū, philosophorum, & fidelium religionem, non tam iuxta  
res cognitatas, (quippe quod multæ sint res ipsis tribus cōmunes) q̄ iux-  
ta rationes, formasq; cognoscēdi differre, uidelicet firmiter, probabili-  
ter, euidenter. Inter quas ea est naturæ quoq; diuersitas, ut euidens quidē  
clarior, firmus uerò assensus certior securiorq; sit: uterq; uerò adductis  
aduersus se rationibus nihil cōmoueat, quippe quas ille quidem deri-  
deat, hic uerò etiam oderit, nisi ob hoc fortē habeat gratas, ut allatas iu-  
gulet, quemadmodum in disputationibus fieri uidemus. Assensus  
autem

40

autem probabilis contrā se habet. hic enim id, quod cogitat, uariè ex-  
pendens, modò huc, modò illuc inflectitur. Præcipua autem inter eas  
differentia hæc est, quod firmus amet præ ceteris prodire in lucem. so-  
lus enim eam uim nanciscitur, ut quoslibet cruciatus subire malit, q̄  
occultari uel dissimulari: quem assensum ijs etiam debemus, quæ sunt  
communia principia tam naturalis, quam inspiratarū religionum: ce-  
teris autem non item. Nam humanis excogitationibus haud ea, quæ di-  
uinæ autoritati debetur, fides adhibenda. estq; hæc summa inter inspi-  
ratas, aliasq; religiones differentia. Cæterum quæ hinc iuxta doctrinæ  
ordinem deducuntur, siue ea procul, siue proxime fontem exoriantur,  
non eundem dignitatis gradum, quem prima principia, retinent. talis  
enim ordo doctrinæ esse debet, ut ex notioribus ad ea quæ nota non  
sunt, procedendum sit: non autem ea ratione, qua quidam ex meris du-  
bitijs, siue falsis, subinde etiam impossibilibus euidenter aliquod colligere  
solent. Vnde fateri cogimur, ut quo quid longius, aut propius è fonte  
emanarit, pro qualitate etiā deductionis, qua emanauerit, nempe pro-  
babilis, aut euidentis, aut firmæ, ita minorem uel maiorē assensum me-  
reri: hoc est, aut medium inter firmum & formidolosum, aut medium  
inter firmum & euidentem, aut firmum quidem omnino, sed gradu ta-  
men firmitatis non nihil diminuto: propterea quod omnem fontē co-  
gnitionis necesse sit, ut & paulo antè dixi, non solum notio-rem clario-  
remq; uerum etiam certio-rem esse quibuscunque riuulis, siue proxime  
siue procul ab eodem deuolutis. Si uerò aliquid fuerit, cui dicta re-  
uerentia non deberetur, intra inspiratæ religionis ambitum, etiam si  
uerissimum appareat, non erit admittendum: ne sic ea illi fides adhibea-  
tur, quæ solis inspiratis, & inde deductis esset adhibenda. Quapropter  
magnopere curandum, ut res illa angustissima, quæ diuina religio nū-  
cupatur, non solum ab erratis, sed ab illis etiam ueritatibus, ut liceat ita  
cum schola dicere, purgata sit, quæ an ad eam religionem pertineant,  
nec ne, nondum satis est exploratum. Veritatem itaq; quadruplici ordi-  
ne constituto, uidelicet earum imprimis, quas Deus nō uult scire mor-  
tales: earum postea, quas Deus annuit quidem, ut possumus scire, cer-  
tum est tamen, nihil ad religionem pertinere: deinde earū, de quibus,  
ad religionem pertineat nec ne, adhuc sub iudice lis est. quarum trium  
certum est nullam habendam esse rationē in causa religionis, sed in ea-  
rum ordine consistendum, quas nouimus aut ab ipso numine reuela-  
tas, aut ex reuelatis procul aut propè, euidenter aut probabiliter, neces-  
saria tamen consecutione propagatas. Hoc tamen semper obseruato,  
ut memores simus eorum, de quibus suprā disseruimus: potissimā de  
reuelatis, et de ijs omnibus parem considerationē habendam esse: pro-  
ximam de ijs, quas ex illis euidenter: postremā uerò de ijs, quas proba-  
biliter tantū ex eisdem constat esse profectas: sed de his utrisq; imparē  
hoc est de alijs maiorem, de alijs minorem, prout longius propius uē  
ab ipsis

Cap. 9.



ab ipsis axiomaticum fontibus emanarint: exclusis interim ab omni religionis honore cæteris omnibus quantumuis ueris proloquijs, tantisper nimirum, dum liquidum fiat, & ipsa ad aliquem horum ordinum pertinere. quod quomodo fiet, iam dicemus.

*Quæ utilitas sit sententiarum scholasticarum. XI.*



Vm primus ille Dauidicus psalmus ad summum bonum, quæ est æterna beatitudo, nos inuitans, ante omnia hoc canet, ut ea quæ ad religionem spectant, homo nocte dieque reuoluat & meditetur: ignaui certè meritò iudicabimur, & summo malo digni, si tam salutarì meditationi pro toto nostri ingenij captu, assidue non immoremur. hoc enim præter alia in se habet sedula illa mentis occupatio, ut religiosa inde cognitio magis ac magis meditando augeatur. Fit quoque, cum harum rerum studiosi, ea quæ iam ad religionem constat pertinere, pro sua ingenij acrimonia pensulatius perpendunt, sit inquam, ut illa de quibus dubitabatur, an ad religionem pertinerent, ita tum ob oculos ueniant, nobisque se nudent, ut facile quid religiosum sit, quid non, deprehendere liceat. Quod studium quantopere sit ad alias quoque religionis partes, affectionem scilicet, & cultum, confirmandas, & amplificandas necessarium, quis est qui non uidet? Quemadmodum enim fieri nequit, ut rem prorsus incognitam aliquo affectu prosequamur: ita contra fieri solet, ut quo rem magis nouerimus, hoc propensiores simus ad eam, ita ut uisum fuerit, uel detestandam, uel amplectendam. Cæterum, quia propter naturalem imbecillitatē pedetentim nobis discendum est, nec hoc uno modo (cum ut sensuum, ita et ingeniorum diuersus sit gustus) hinc factum est, quod ingeniosissimi quique, ea quæ ad religionem pertinent, dicto modo pertractantes, uariè admodum senserint. Qualem enim quisque rem aliquam meditatus fuerit, talem eam, sine dubio, prædicare solet: ut uidelicet eadem res huic uera, alteri uana & falsa: & non rarò eadem eidem nunc uera, mox falsa aut inanis apparuerit. propter quam doctorum uirorum discrepantiam, uix licet arbitrari (tantum abest ut possis certò cognoscere) in quam partē subinde se ueritas inclinet. Quam ingeniorum conflictationem non solum tolerandam, sed uehementer etiam laudandam esse, haud grauatim fatebimur, si consideremus quomodo ex eo conflictu præclara ueritatis lux, sicut ex silicis crebro ictu scintilla, tandem emicabit: nempe tum, cum post multam, diligentemque excussionem suffragijs omnium collectis nouerimus, in quam sententiam simul omnes, aut certè præcipua eorum pars conuenerit. quæ proinde solet à loco, in quo de ea uiri ingeniosi sic conflictantur, scholastica ueritas nuncupari. Cuius autores si propter insignem pietatem etiam in diuorum catalogum sint relati, par erit profectò inuenta ab ipsis, propter comprobata autorum sanctimoniam, honestiori loco

loco haberi: ita tamen ne prius intra ordinem religiosarum cognitionum connumerentur, quam per publicam grauissimæ autoritatis approbationē sit populo declaratū, eas ex religiosis axiomaticis necessaria consecutione erutas & propagatas esse. Illi labori iam olim insudantes, semperque insudaturi eruditi & pietatis studiosi, agmina quædam id genus ueritatum quotidie apud illos subnascentium nobis producant, triplicem ad usum utilium. Primò, ut his, ubi res postularit, nouas ueritates elicere possimus, quibus tanquam ad religionem pertinentibus tutò fidamus: perinde atque ex agmine tyronum fieri solet militum electus. Deinde, ut quia sola religionis dogmata omnibus ambiguitatum scrupulis extricandis non sufficiunt, ut nec leges ciuiles omnibus contentionum quæstionibus dirimendis, ut inquam huiusmodi scholasticarum sententiarum adminicula habeamus ad manum, quibus ad dictos scrupulos excutiendos adiuuemur, donec super huiusmodi ambiguitatibus publica autoritas statuerit certiora. Postremò, ut si qua sunt religionis axiomata, aut dogmata inde tracta paulo obscuriora, harum ductu illustrentur: & ea quæ nihil uidentur habere obscuritatis, citius tamen & compendiosius his auspicijs comprehendantur, quæ alioqui sine his duobus non parum negocij facerent. Ex his iam colligere licet, quid utilitatis hæc scholasticarum inuentionum moles, quanquam inter religionis dogmata numerandæ non sunt, nobis pariat, quam in dies auctã nobis reddit piorum hominū infatigabilis diligentia. Non enim uoluit suprema illa sapientia, quantum mihi uideor uidere, in tam immenso axiomaticum cumulo aliquid homini occultare, quod ad Deum, creaturam uel cognoscendam foret necessarium: sed quod tamen non alij scrutari et assequi poterunt, quam quibus propitijs adsit numinis fauor. Alij si tentent, timendum est, ne in errorē prolabantur. Nam hæc, quam pro dolor hodie uidemus, religionis inuersæ tumultuatio existialis, & nunquam satis deploranda, non aliunde mihi uisa est sumpsisse originem, quam quòd inter tot ueritatum genera hominū mentem ex æquo sollicitantia, non sit obseruata debita ordinis ratio: & hoc propter quorundam plus satis sibi attribuētium pertinaciam peruicaciam: dum horum plerique prophana sacris, dubia certis, ludicra serijs, scholastica religiosis: curiosa, quæ Deus hominem scire non uult, ipsi in que nos totos uult incumbere: uana denique ueris adæquant, ne dicam præferunt. alij uero è contrario omnia, si diuis placet, in ordinem, qui sibi uisus est, reponere conantes, ea quæ licet parui quidem faciendæ essent, non tamen omnino reiiciendæ, simili quoque peruicacia nihili omnino fecerunt. Vnde & exorta est ista eruditorum hominum duplex schola: horum quidem, humanas intentiones plus nimio admirantium: illorum contra, easdem plus iusto uituperantium. Cum uero præsentis tumultuationis sedandæ remedium inde potissimum petendum sit, unde insanus iste tumultus primam originem hausit: in

fit: inde in primis auspicandum uidetur, ut cuius dogmati sua honoris ratio deferatur. ita ut si in plebeiorum conuentu religionis dogmata promenda sint, nihil eis obtrudatur, quod certum non sit ad religionem pertinere: sed neque plus quam ipsis omnino sit necessum, ne quod uulgo dicitur, amaricinum suibus. Sin eadem sint coram industrijs exponenda, adducere licebit omnibus ex locis quicquid pro captu auditorum, ad rei propositę confirmationē facere uidebitur: ita tamen ut suus cuius adductorum titulus pro cuiusque generis gradu adiciatur, ne uide licet non dico falsitate, sed præpostero iudicio elusi auditores, honorē huic aut illi deferant, aut detrahant, contra quam par sit, & rei qualitas poscat. ita ut interim cogitemus, suum cuius ueritati locum deberi: nempe suggestum sacris, diatribas scholasticis, scholas autem prophanas inuentionib. purē humanis. Grauius est cauendum, ne quid sine graui causa loco dicatur non suo, & quibus non expedit auditoribus.

*Christiana religioni explicandę plures rerum cognitiones præter iam dictas sunt necessariae. XII.*



Vnt præter iam dictas & alię cognitiones innumerabiles: quę licet neque axiomata religionis sint, neque ex illis deducantur, ea tamen ratione religioni adherent, ut sine his eam uel explicare uel confirmare nequeas. sic sunt hebdomadę Danielis, quę sine Babyloniorum, Persarum, & Græcorum historijs intelligi non possunt: atque si hæc religionis axiomati apte coniungantur, tertiam quandam cognitionē producant, quę quia ex religionis axioma nascitur, etiam ad religionem pertinet, interque dogmata religionis numeranda est: quam tamen docere non poteris, præsertim quantum satis sit, nisi utrunque fontem (unde defluit) ut proli suum utrunque parentem ostendas. Vt enim proles utriusque parentis, ita hæc utrorumque (unde descendit) naturam ac qualitatem refert. quod tali exemplo apertius intelliges. Si scripturis, quibus Lucas præcursorem scribit Euangelicam annunciationem exorsum fuisse anno imperij Tiberij decimo quinto, & Christum ferme trigessimū annum egisse cum à Ioanne baptizaretur, coniungas Hebræorum, Græcorum & Romanorum prophanos annales: colliges, nouę religionis institutorem natum fuisse anno imperij Octauiani quadragesimo secundo, ab Vrbe condita septingesimo quinquagesimo secundo, Olympiadis ceterimæ nonagesimæ quartę anno tertio, regni Herodis Ascalonitę penultimo, sabbato terrę decimo supra ducentessimū, Danielis hebdomadę sexagesima tertia, orbis conditi 3963, indictione quinta, die dominico. Porro ut ea quę extra omnem religionem sunt, religionis axiomatis coniungi possunt, ad tertię (ut iam dixi) prolis productionē: eodem modo possunt & sic producta uel inter sese, uel ipsis axiomatis, uel his quę ex his purē, aut mixtim sunt propagata, uel his etiam quę alioqui nihil ad religionem per-

tinent, coniungi ad plurium propagationem: ut non secus ex axiomatis hæc descendat, ac ex auis proauisque nepotes pronepotesque. ideoque ut hi, quamuis in diuerso gradu, ad unam tamen consanguinitatem: ita hæc diuerso modo sumpta, ad eiusdem religionis interpretationem necessario requiruntur. Eo enim pacto ex hoc, quod diximus, Christum in mundum uenisse anno imperij Octauiani quadragesimo secundo, simul iunctis prophanis rerum postea gestarum historijs, colligimus agi in præsentia annum incarnationis Dominicę quadragessimū quartum supra millesimum quingentesimum: & tamen Christum ipsum nunc peregisse annum secundum & quadragessimū duntaxat, supra sesqui millesimum.

*Articuli religionis. XIII.*



Aeterum ne uulgi hominum tanta rerum ad religionem pertinentium multitudine confunderetur, imò planè sciret, quę ex tanto numero magis ad religionem, & quę minus pertineant, primi illi Christianę religionis diuulgatores pauca quaedam maximi momenti, ad captum tamen uulgi attemperata excerpserunt: articulos uulgo uocant, ex quibus ceu ex fonte riuuli, cætera uel omnia, uel certè potissima emanant. Vocantur & alio nomine rudimenta (ut uerè sunt) catechumenorum, quod ab his expressam eorum fidem, hoc est singulorum firmam, nihilque hæsitantem professionē duces religionis publicè requirant, & solenniter stipulentur, priusquam ad initiationem religionisque consortium quenquam recipiant. Quia uerò primi religionis præcones, horum rudimentorum constituendorum causa congregati, singuli, accedente communi omnium approbatione suum dictum creduntur adiecisse, obtinuit usus, ut symbolum, hoc est plurium in unum collectio uocentur. Atque hoc ipsum maiores nostri in iudicium esse uoluerunt, quo discerneremus (quia hoc multum ad religionem attinet) sinceros ab adulterinis, uti in bello socios ab hostibus: quę altera causa est, cur symbolum uocent, sumpta metaphora à re militari.

*Quod religionis cognitio & affectio, cultu & obsequio exprimendę sint. XIII.*



Actenus de duabus prioribus religionis partibus. nunc ad tertiam transeamus. li qui disciplinas tractant, hoc modo eas diuidere solent, ut alias practicas, alias speculatiuas nominent: ille in agendo, hæc in inspectione (ut ait Fabius) positę sunt. nam ipsa πρακτικη ad uoluntatis, θεωρητικη uerò ad mentis actiones spectat. Habet tamen hic peculiare quid contra aliarum disciplinarum morem religio Christiana, ut etiam ea pars sua, quę maximè in cognitione posita est, assumat multum ex ea priore, nempe ut per exteriorē quandam actionem inspectionis suę uim demonstrat. quod satis testatur magnus ille Euangelij præco Paulus. Corde, inquit, creditur ad iustitiam, ore

*Quint. lib. 2. cap. 19.*

*Ad Rom. 10.*

B autem

autem sit confessio ad salutem. Eius enim naturæ est ipsa religio, ut emi-  
 care cupiat, supprimitur: & tam magnifica res est mens humana, quæ  
 habet notitiam aliquam Dei, ut semper gestiat cum grata recordatione  
 in memoriam reuocare eum à quo orta est, muneribusque si posset, obse-  
 quio & cultu assiduo eum deuincire, ut quæ sibi data sunt, seruet: et quod  
 deest, nanciscantur. Hunc cultum, hoc obsequium exhibent supremo Deo,  
 qui quidem norunt Deum, sed ignorant qualem habere Deum deceat:  
 Quid nobis agendum, quibus religio diuinitus inspirata est: turpe est  
 uinci ab illis qui naturam sequuntur: sed meliora præstemus oportet.  
 Non quod homo boni aliquid aut mali Deo conferre possit, sed quia 19  
 Deus uoluit hæc duo esse in nostra potestate, ut uel augeamus uel di-  
 minuamus gloriam suam: quorum illud quidem per gratum, hoc con-  
 traria inuisum habet: non quod ipsi quicquam inde accrescit, decrescit ue,  
 sed quia nobis mortalibus hinc lucrum damnum ue imminet, ut quibus  
 pro incremento decrementoque notitiæ summi Dei, maior summi boni  
 consequendi opportunitas aut nascatur, aut pereat. Quare ea cognoscere  
 quæ Dei sunt, & præsertim quæ ipse nobis miranda proponit, proxi-  
 mus sanè gradus est ad felicitatem, siue eam desideres quam in hac ui-  
 ta mortali homo nancisci possit, siue quam Christiani post hanc uitam  
 expectamus. Nam cum Deus nulla re magis (de diuinis non loquor) quam 29  
 mortalium prosperitate oblectetur, & contraria non magis ac eorundem  
 malis contristetur: certè non potest non esse gratissima ei suæ gloriæ ac-  
 cessio, unde nostra beatitudo promouetur: & maxime ingratus sui ne-  
 glectus, unde omnis generis miseria miseros nos sequitur. Quæ omnia  
 eum tam factis, quam uerbo fieri possunt, neque in una aut altera duntaxat, sed  
 in omni re, cuius usus occurrerit: eniti semper debemus, ne socordes  
 deprehendamus. Obsequium uero quod sedulo Deo debemus, & quod unum  
 atque solum quimus præstare, haud aliud esse potest, quam ut ea quidem  
 ratione nobis ipsis, & perinde quibuslibet creatis rebus utamur, ut per  
 hunc usum, tanquam per notulas, atque apertas quasdam significationes, la- 30  
 tens in mente nostra religio proximis magis ac magis innotescat. Hoc  
 profecto est obsequium unum & certè summum, quod nos illi summæ,  
 quæ nullius rei indiga est, naturæ præstamus: hoc cursus est beneficii  
 quoque summum, atque utilissimum, quod homines hominibus exhibe-  
 mus. Ita enim Deus ordinauit, ut actu æterno religionem profitentes,  
 eam in alios sic propagaremus, prout alter altero maiorem religionis  
 cognitionem habuerit. Nec erit parui faciendæ eiusmodi cognitionis in  
 intellectu reconditæ externa professio: multa enim bona hinc emanant,  
 primum quod sic facillime alter ab altero discat, quæ sua cuique sit reli-  
 gio. deinde quod tam affectio quam cognitio frequenti professione 40  
 magis magisque corroborentur. postremo quod creatura suum creato-  
 rem iuxta uires datas hoc modo quam potest amplissime ueneretur: ut  
 uidelicet & animi & corporis actionibus summæ naturæ intentus, ue-  
 redi-

re dicere posset homo, Etenim cor meum et caro mea exultauerunt in Deum uiuum. *Psal. 83.*

*Qualis sit religionis societas. XV.*



Ali ergo ratione propaganda est religio, & eius societas con-  
 stituenda. Nam ut in alijs rebus, ita & in religione, societas  
 hominibus necessaria est. Ut enim quidam propter naturæ  
 suæ imbecillitatem in negocijs suis sine socio nihil, cum illo  
 uero maxima quæque moliri solent: ita hic necesse est, ut qui minorem reli-  
 gionis cognitionem habuerit, socium sibi adiungat, quem in hac parte  
 10 magis eruditum cognouerit. Vult enim homo ab homine erudiri, & na-  
 tura homo plus mutua societate gaudet, quam gregaria bruta, quæ etiam si  
 illis negata uox sit, ita tamen sibi similibus coniungi lætantur, ut inter  
 hæc sint, quibus, si à socio amouentur, uita sit morte commutanda.  
 At multo magis à natura ad societatem homo ipse impellitur propter  
 sermonem, quo ea quæ mente concepit, promere loquendo nouit. Bru-  
 ta enim uoce inarticulata satis sibi inuicem commoda et incommoda si-  
 gnificant: hocque homines etiam nutibus faciunt tanto perfectius, quan-  
 to sunt brutis ingeniosiores. Cum ergo præter hoc homini sermo da-  
 tus sit, ob id potissimum factum uidetur, ut iusta & iniusta, atque præ-  
 20 fertim quæ ad religionem pertinent, quippe celsiora, difficilioraque ho-  
 mo hominem commode doceret. ita ut merito possimus dicere (cum ho-  
 minis mentem deorum opinio à natura imbuerit, quod basim diximus  
 eorum quæ à nobis dicentur) ad nullum magis societatis genus contra-  
 hendum huic uni animalium sermonem esse datum, quam ad religionis  
 communionem. Quapropter minus mirum uideri debet, si religionis  
 societas à creato ferè mundo inceperit. nam ut scriptura testatur, ab Enos  
 qui tertius à protoplasto est, instituta fuit. De hoc enim legitur Gene- 3  
 sis quarto, Iste cepit inuocare nomen Domini: nempe sublimè illud qua-  
 driliterum, quod uocant ineffabile. Etenim siue illic legas pronomem  
 30 personam demonstrans, uti uulgata editio habet: siue potius hic, aut  
 tunc, ut sit aduerbium temporis, quemadmodum ex Hebraicâ ueritate  
 eum locum uertunt quidam, sic legentes, Hic ceptum est ad inuocandum  
 in nomine domini, aut Tunc ceptum est inuocare in nomine domini:  
 id ad præsentem quæstionem nihil refert. ij enim qui ueritatē Hebrai-  
 cam sequuntur, rei institutæ tempus: septuaginta uero interpretes, ip-  
 sam personam, id est ipsius in religionem societatis auctorem significare uo-  
 luerunt demonstrantis pronomine, cum uerterent, Iste cepit inuocare  
 nomen domini. Quid itaque putabimus scripturam eo loco significare:  
 an quod eo tempore primum Dei cultus ceperit: certè iam Cain &  
 40 Abel fratres, hic ex pecoribus, ille ex frugibus sacrificia suo Deo obtule-  
 rant: ea nimirum ratione moti, quod patrem sacrificantem imitarentur.  
 Seth quoque horum fratrem quis negaret patris exemplo solitum fuisse  
 sacrificare, etiam antequam illi Enos nasceretur: nempe tunc annos nato

centum & quinque. Neque tunc primum, cum Enos munera sua Deo offerret, ineffabile illud nomen tetragrammaton cognitum fuit, sed iam ante ducentos triginta sex annos auditum. Tradit enim scriptura Euam, cum Cain iam in lucem edidisset, profuisse in hæc uerba, Possedi uirum per Dominum, nempe tetragrammaton: ex quibus facile colligere licet, etiam ante natum Enos, illum sacrificandi ritum per tetragrammati appellationem in usu fuisse. Eua enim cum in homine concipiendo uim illam diuinam in se maiorem sensisset, quam in cæteris creaturis, in gratiarum actionem nihil dignius Deo suo offerre posse uisa est, quam ut se per ineffabile illud tetragrammaton uirum possedisse exclamaret. Sed ut ad locum illum Genesios regrediamur, quid hic significari dicemus? Nihil aliud, quam quod Enos diuini cultus formam instituerit, quam imitarentur illi qui primi parentis monitis obtemperarent: & quod ita homines in unam religionis societatem primus redegerit. Nam per inuocationem, cum dicit, Iste cepit inuocare nomen domini, quid quæso aliud intelligemus, quam publicam religionis professionem, hoc est latentis in mente sua diuinæ uenerationis intrepidam coram omnibus manifestationem? Potest tamen & alia ratione huius publicæ societatis autor Enos dici, quod scilicet in linea primogenitorum (quibus ab exordio rerum suæ familiæ sacerdotium annexum erat) primus iustus, ideoque dignus inuentus sit, cui hoc munus primò crederet. Verum, ut ut hoc sit, dubium non est, quin primus fuerit sacerdos, & primum sacrificandi ritum instituerit. Quia uero omni tempore futurum erat, ut in religionis cultore populo quidam essent ingenio submissiore, quidam contra sublimiore; quidam uero etiam illustrato: huic ingeniorum triplici discrimini Enos publicam religionis formam ita attemperauit, ut nullis seculis, nullique hominum ordini non congrueret, uidelicet tali inuocationis forma sublimi quodam artificio excogitata, quæ quauis una esset, tribus tamen ingeniorum ordinibus congrueret, singulisque proprium quendam pro ingenij capacitate intellectum suggereret, ut in nomine illo ineffabili deprecando, qui submissioris ingenij essent; nomen & gloriam pro data Dei cognitione laudarent; sublimioris autem (de philosophis loquor) professionem illam admirarentur, qua quo plus inuestigarēt, eo minus de Deo quid dicam effari, imò cogitare possent: illustrati uero, spem illam futuri aliquando nominis adorarent: quod Adam in sopore ut cunque uiderat, Esaias uero clarius erat perspecturus, dicens, Ecce nomen Domini ueniens est longinquo, ardens facie, & labia eius plena indignatione, & lingua quasi ignis deuorans. Miris uero ac uarijs tumultuationibus, iactatus fuit religiosus populus, ab eo tempore ut scriptura testatur, usque adeo, ut subinde uix familia fuerit, quæ integram religionis societatem seruaret, subinde uero semine sanæ religionis repullulascens, rursus idem populus in tam ingentem turbam coaluit, ut resumptis uiribus religio diu neglecta, pristino honori resti-

tuta

tuta esse uideretur. quæ nunquam tota (etiam si summè periclitata fuerit) à nobis auferetur, uel ipso Christo teste, qui se nobiscum mansurum promisit. Ad hæc autem religionis longe alio animo homines accurrunt, quam ad domus, uici, ciuitatis, prouinciæ, regni, & similiarum communionem. quia ad has & similes societates stabilendas ægre potest copiosior multitudo in unum cogi: in rebus uero religionis, uult Deus in eandem omnes uoluntatem conuenire. Hoc uidere licet in primo nostro parente Adamo, hunc cum Deus per primi præcepti præuaricationem prima conditæ naturæ sublimitate sciret spoliandum, hoc tamen ei uoluit manere integrum, ut saltem naturalem religionem cum omnibus ex se descendantibus sequeretur. Nec à legis Mosaicæ religionem (quam ad poenam illam abolendam electo populo Deus tradidit, donec Christus consummata religio adueniret) aliquem mortalium excludi uoluit, etiam quantumuis ethnicum, modo ceremonijs Mosaicis initiatus Iudaismum profiteretur. Ac sic quidem res habuit, donec summa illa, quam expectabamus, religio ad nos descenderet, ad quam allatam non solum omnes aduocari, sed & compelli uoluit Deus, ut quisquis eam respueret, sciret æternæ suæ salutis sibi imminere periculum. Adeo Deus à primo rerum exordio studuit, omnes simul mortales religionis concordia sibi mutuò conciliare. Sed finem huic libro facturus, hoc addidero, religionis societatem omnium esse arctissimam, ut alia quanta quanta sit, potius sit relinquenda, quam hæc: cum par sit tanto nos tenacius ac constantius sanæ religionis, quam aliarum rerum societati adherere, quanto Deo magis astricti sumus, quam cuius hominum. Atque hinc celeberrima illa oritur quæstio, num susceptam semel religionis societatem ullam ob causam liceat deserere, quam proximo libro tractabimus.

## DE INSTAVRANDA RELIGIONE LIBER SECVNDVS, QUI EST DE DESERTORIBVS.

### *Dissidium religionis omnium pestilentissimum. I.*



40 **V**ETVS & uerum prouerbum est, quo dicitur; omne simile simili gaudere præter superbiam. hæc enim inter cætera uicia, quæ natura sui studiosos ambiunt, hoc habet peculiare, ut neque superiorē, neque parem equanimiter ferat. quæ res cum homines eò dementiæ trahit, ut etiã in re pessima magno cum dissidio propal- ma certent, seminarium merito dixerimus, & fontem omnium dissidiorum. hæc enim non aliunde nascuntur, quam si arrogantior quispiam,

B 3 om.

omniaque sibi uendicans, sua solius opinione fretus, se à communis societatis corpore subtrahat, conetur que & alios, quotquot potest, eiusdem consortio, reluctantibus quantumuis cæteris, in eandem sententiam pertrahere. Vnde dissidium certè definitur, esse partium eiusdem societatis in contrarias uoluntates pertinax discessio. quo quidem nihil est in rebus humanis perniciosius. Quod enim sol in mundo, hoc constat amicitiam esse in quauis societate: ut quemadmodum sublato sole, mox tenebræ: ita sublata ex hominum societatibus amicitia, mox inter homines tristissima uita futura sit. Fouet enim amicitiam tranquillitas, quam uenenosissima pestis dissidium tollit, in amabilis amicitiae locum execrabile odium suggerens: quo homines inflati, se se eò ferè dementiæ non sine malorum omnium inundatione præcipitant, ut tandem etiam pars partem compellat, uel obtemperare aduersariae factioni, uel communes sedes relinquere. Sed quia multa sunt, quæ nos ad hoc uicij instimulant, & unaquæque res suos habet, qui arrogantius (pro ut cæteris præstare uidentur) se perfectiores artifices iactitant, maioremque cum aliorum contemptu inde laudem uenantur: certè illi, qui ingenio & eruditione plus cæteris præstant, hoc nomine superbire maximè solent, maximumque propterea dissidium, & perniciosissimum pariunt, dum neuter alteri cedit in causa religionis. idque tripliciratione. Primum, quòd rem præstantissimum, religionem scilicet perturbent: deinde quòd societatem omnibus communem, & arctissimam, sua contagione laxent: denique quòd amicitiam soluant, quia neque iucundior, neque sanctior esse potest. quo enim res, in quam se homines inclinant, fuerit præstantior, eo exoriens inde beneuolentia eminentior est. aliter enim opes & uoluptates, aliter literæ & uirtutes homines coniungunt. & quo in eandem rem aliqui feruentius incumbunt, hoc certum est maiorem: & quo tenacius, hoc firmiore conciliari amicitiam. Cum igitur inter omnes res humanas nihil religione præstantius, nihil in quo pari animorum alacritate proni sint homines, nihil etiam cui firmiter adhæreant: necessariò consequitur, ut nulla neque arctior, neque tenacior, neque iucundior esse queat, aut debeat amicitia, quam ea quæ ex Christianæ religionis consensu nascitur. & contra, nullum odium uehementius, pertinacius, & acerbius, quam quòd ex religionis dissidio oritur. ita ut (mirabile dictu) hostiliter se oderint eiusdem religionis professores, in uno aut altero articulo dissidentes, quam qui in alio quolibet negotio dissident: illi uero maximè omnium, qui cum Christianæ religioni se manciparint, super aliquibus eiusdem religionis articulis contendunt: ut in præfatione ad Cæsarem latius explicauimus. Sed si pericula (ut debemus) hinc nascentia penitus inspiciamus, certè ex re maximi momenti, maxima nobis uidere continget. In alijs enim uitæ societatibus huic dissidij morbo obnoxij, non aliud periculum timemus, quam ne ex his parua aliqua hominum portio

tio à cõmunionem alienetur: hic uero ne omnes simul, qui religionem amplexi sunt, concidant. rursus in alijs, ne res minima, cuius gratia homines uulgares illas societates contrahunt: hic, ne summa & omnibus suspicienda. Denique in illis, ne res breui peritura: (ut sunt omnia humana) hic autem, ne religio semper alioquin duratura labefactetur, periculum pro dolor (modo ita sit appellandum, & rei immanitas grauius nomen non mereatur) maximum.

*Quid differat desertor ab impio, blasphemo, ac uacillante. II.*

10



10 **E**orum autem qui religionem contaminant, tria sunt genera, secundum tres religionis superiori libro positas partes: quæ quoniam distinctæ sunt, & una altera dignior, distincta, & cuique contrariæ parti conuenientia nomina sunt tribuenda. Qui enim cultum deseruit, sed cultum duntaxat: aut etiã cultum simul et affectionem, nondum tamen planè dicendus erit desertor, si modo cognitionem religionis retineat, ceu fontem, unde possit & affectio & cultus instaurari. At is tandem desertor propriè dicendus, qui et à cultu & affectione alienus, etiam cognitionem religionis fontem deseruit, ita ut nullum in eo seminarium resumende religionis super sit: impius autem ille, qui in religionem cognitam propensus non est. Blasphemus uerò, qui aberrat à recto cultu. Hi omnes tametsi in eandem religionem, diuerso tamen modo committunt duo isti, quod cum numinis notitiam habeant, conscientia reclamante peccent: impius, dum male numini fauet: blasphemus, dum pro debito cultu ignominiam infert: desertor uerò, quòd (cum religionis cognitionem abijciat) pari omnia temeritate audeat, & cogitet, cum nullam religionis uim agnoscit, quæ eius animum imbuat, uel metu coerceat. qui quis ideò desertor, is & impius, & blasphemus: non contra. Hoc desertoris uocabulum à militibus sumptum, cuius significatio ut apud eos magis innotesceret, hunc ab emansore distinxerunt. ita ut emansor sit, qui diu uagatus ultrò ad castra regreditur: desertor uero, qui à duce suo cum defecisset, inuitus reducit. ille errone, hic fugitiuo seruo similis. Hoc & nos arctius obseruantes, desertorẽ eum uocamus, qui à castris nostris, id est ab assumptæ religionis cõmunionem eo animo defecit, ut nunquam eò regrediat. At ne sic statim dicendus quis desertor, si quidem sermo sit de inspirata religione. Ut enim illum solum, et uerũ religionis sectatorẽ uocamus, qui ita se illi deuouerit, ut ab ea nunquam neque precibus, neque minis diuelli se sinat: ita neque desertor uocandus, nisi qui symbolum, quo prius deuinctus erat, eò animo abiecerit, ut nulla re uelit reduci: quem pessimũ animum pertinaciam appellare solemus. quemadmodum neque recusator dicendus, nisi qui oblatam religionem simili animo repulerit. Qui uero his duobus ordinibus, recusatorum nempe & desertorum, sese nondum deuouerunt,

sed quodammodo medium tenentes incerti sunt, cui parti se addicant, & ita nutabundi magna cum formidine hæsitant, uacillantes dicuntur. Ad Heb. 10. Hos alios ab illis fecit Paulus, ubi docet hunc affectum uiam sternere ad dictos nocentiores: Teneamus, inquit, confessionem spei non uacillantem, in hoc ut prouocemus ad charitatem, & bona opera, non desertentes aggregationem nostri mutuam, sicut mos est nonnullis. Sed de uacillantibus tertio libro fusius: hic de ijs qui religionem deserunt, & repudiant, agendum.

*Desertorum & recusatorum uarium genus. III.*



Orum triplex gradus. Primus eorum qui ueritatem, quam ad religionem pertinere certum est, non quidem negant, ab ea tamen tanquam à re quæ ad religionem non attingat, desiscunt: aut contra, qui id religioni, quod est ab ea alienum, tanquam maximè necessarium pertinaciter ascribunt. Exemplis res aperior erit. Si quis usuram & fornicationem affectus esse malos dicat, neget tamen Christianæ religionis legibus uetitos esse: aut contra, si quis ad religionis, ut uidetur, cognitionem quippiam proponit excutendum, cuius Deus non uult nos curiosos esse, ut si de mortis, aut uniuersalis iudicij die, tanquam de re ad religionem attinente, curiosius quis inuestiget. In his excutiendis, si qui pro rei siue affirmatione, siue reiectione aliquid produxerint, quod dicant ex Christianæ religionis axiomatis emanare, bono iure desertores dicentur: non quod ambo circa ueritatem (necesse est enim horum alterum uerum asserere, quorum unus affirmatiuam, alter uero negatiuam questionis partem studet tueri) sed circa eius qualitatem simul errauerint, cum ad religionem inuestigandam, quod illius non est, adhibeant, et contra. Hic ergo est primus desertorum gradus. Secundo loco habentur, qui illis quæ religionis esse liquet, neque assentire, neque dissentire pertinaciter statuerunt, sed in ijs cum Academicis tanquam in ambiguo fluctuant. Similes hi illis militibus, qui uagabundi huc atque illuc per utraque castra discurrunt, nullo sacramento se obstringentes, neque nomen alicui, quod tamen moris est, dantes. Qui uero ab ijs, quæ certò ad religionem spectant, cum pertinacia discedunt, omnia prout suo palato sapiant diiudicantes, primo religionis fonte, hoc est numinis autoritate neglecta, hi ut transfugæ, sunt tertium pessimumque genus desertorum. Totidem sunt & recusatorum gradus constituendi: in hoc enim differt recusator à desertore, quod hic quam olim fuerat amplexus, ille oblatam tantummodo ueritatem mox aspernatur. Neque eos solum qui tertio loco positi sunt, uerum etiam qui secundo, censendos hostes religionis, illud patrum dictum declarat; Dubius in fide infidelis est. Imò & eos quoque hostes esse, quos primo loco constituimus, illud Christi uerbum testatur: Qui non est mecum, contra me est. Sunt tamen tertij quæ secundi, & secundi quæ primi, perniciosiores.

Imò

Imò neque æquæ semper lance pendent, qui se eidem pertinaciæ gradui deuouerint, nam & hic alter altero grauius: non secus ac superiorilibro lapsuum à religiosa cognitione gradus constituimus, alios alijs grauiores, fieri enim potest, licet aut eiusdem generis desertor sit, aut recusator, alter tamen in axioma, alter in eo quod hinc est deductum: aut hic in propinquiori, alter in eo quod remotius deriuatum est: aut hic in numine, alter in creatura: aut hic in altiori, quam ille siue numinis, siue creature dignitate erret. Ideoque si quis illud quod scripturarum omnium fons est, Deum uidelicet nec fallere, nec falli posse, abnuerit, hic quidem inspirate duntaxat: at qui profusus ne supremam quidem illam naturam agnouerit, ille proculdubio totius religionis extirpatricem cogitationem, omnium quæ in mentem hominis cadere possunt, perniciosissimam hausit. Maledictus sanè furor, quia pertinax est, tribusque memorabilibus, illis in scriptura ultionibus, nempe excæcatione, obstinatione, & obduratione perniciosior: eo quod excæcato Deus, & obdurato, meritis utriusque id exigentibus, opem suam subtrahit: illi quidem, ne uidere, huic uero, ne amare rectum possit. Contra obstinatus, & pertinax, suapte uoluntate refutant: ille quidem uelle, hic uero etiã nosse rectum, ideoque hic illo detestabilior. Atque hæc duæ ultiones superioribus duabus perniciosiores, quod hæc culpa sint, qua illas meremur. Omnium igitur pertinacia maximè abominanda, diabolicæque peruersitati similima, ex eadem enim radice, nempe superbix, oritur utraque hæc peruersitas: diaboli quidem, ex insita dignitate: pertinaciæ autem, ex naturali acumine. in eundem etiam finem tendunt, nempe in exitiale odium: illa quidem diuinæ maiestatis, hæc diuinæ ueritatis. Cui sententiæ Paulus suffragatur ad Hebræos, eiusmodi pertinacem assimilans terræ, quæ cum sæpe imbrem combiberit, ut herbam progigneret, contra spinis productis ac tribulis reproba est, & maledictioni affinis. Quin hos ipsos demonibus magis miseros declarat alius Apostolus, quod mentem, quæ demonibus recta manet, ipsi deprauatam habeant. Illi enim (ut testatur Iacobus) credunt, & contremiscunt: hi contra, quantum scientia, tantum sunt & metu religioso soluti.

*Qualis ad pertinaciam progressus. IIII.*



T autem inuestigemus, quibus gradibus ad huiusmodi miseriam perueniatur, hoc in primis certum est, uti ceterorum uitiorum, ita & pertinaciæ consummationem à philautia proficisci, nam hoc huic uitio peculiare est, ut initium eius sit uelut hemès admiratio proprii ingenij, cui admirationi ferè subit amor propriarum cogitationum, cum admirator ille partem ingenij sui, ueluti simia catulos, plus nimio exosculatur: & primū quidem huic suæ inuentioni leuiter, nec sine formidine assentiens, donec inuentis argumentis, quibus suam illam inuentionem corroborari posse putat, minus iam trepidans audeat se apertioribus, errandi periculis exponere, ut præclarā scilicet illam suam sententiam

sententiam stabilire possit. His deinde sui cōmenti confirmatricibus rationibus turgens, iisdemq̄, ut luti copia sus solet, sese oblectans, summi illius Dei (qui solus ingenij, & salubrium cogitationū autor est) obliuiscitur. quibus si diutius immoret̄, suoq̄ ingenio omnia metiri pergat, nunq̄ ad ueri inuentionis fontem respiciens, fit, ut etiam si ipsius ueritatis autor, modò internis, modò externis cōmonitionib. aures eius uellicet, saniora peruersæ opinionis remedia suggerens, fit inquā, propter illam in aduersum trahentem uehementē oblectationem, ut non libeat ad diuinum instinctum animaduertere: sed tanto magis ueluti eidem fortius reluctans, adhuc alias post alias fucatas rationes uenatur, quibus dictam falsam cogitationem faciat uerisimiliorem: nimirum illecebra eius, quam de sua inuentione concepit, uoluptatis pessundante præclarum illum, inditum à natura mentibus omnium, amorem ueritatis. Sic ergo proiectis à se, calcatisq̄ diuinis instinctibus, nullo iam scrupulo remorante, fortiter credit mendacio: similis factus terræ reprobatae, sole scilicet repulso, cuius radijs animum suum illustrantibus potuisset suæ sententiæ contrariam ueritatem recipere. Quis est qui negare posset, huius perditū hominis mentem, tanquam quibusdam furijs agitari: cum non solum non libet audire, sed etiam odio, qui eum errati commonefaciunt, prosequatur. hæc est ante omnia uera pertinacia, tametsi non summa. Quod si propriæ inuentionis pertinaci amore indies magis magisque gliscente, usq̄ adeò ille insaniat, ut eandem sibi ueluti Deū, hoc est rem supra omnia dilectā constituat (quomodo quibusdam uenter, quibusdam mammon deus esse dicitur) hic erit summus pertinaciæ gradus: in quam qui semel se præcipitauerint, citius mortem, mortisq̄ quoslibet cruciatus perferrent, quàm ab eadem se auelli paterentur.

*Qui desertores dicantur hæretici. V.*

**H**æc tamen quamlibet feralis pertinacia adhuc infra hæreticam rabiem consistit, sed hinc facilis ad eam transitus est. fieri enim ferè solet tam in alijs disciplinis, quàm religionis, ut quod quis uehementius amat, idem cupiat omnes cōtemplari, atque amplecti: & quæ pertinaciter sibi persuaserit, ea in lucem prodatur, firmiterq̄ credenda esse totis uiribus, docere quoslibet conetur. His itaque animi stimulis agitata pertinax ueritatis desertor, continere se non potest, quin præclaras illas (ut putat) inuentiones in uulgus spargat, atq̄ eas (ut simia suos catulos) ostendet. quanquam non hoc solum, sed & alia multa sunt, quæ peruersæ opinionis homines ad eiusmodi furiam impellere soleant: ut auri sacra fames, & popularis auræ captandæ cupiditas. Talis itaque quacunque etiam causa motus fuerit, si eius quod apud plebem declamitat, autor primus sit, hæresiarcha, id est, factionis princeps: si sectator, propagatorq̄, hæreticus, id est factiosus: sin uero se continet, cohibetq̄ ab eo quod iam animo concepit,

cepit, publicando, et neq̄ testes, neq̄ sectatores sui dogmatis captat, desertor nuncupatur. iuxta eam uocum distinctionē, qua Paulus Demā, qui religione relicta præsens seculum amplexatus erat, desertorē subindicat: Hymeneū uero, Philetū & Alexandrum, etiā hæreseos, ceu grauiori nota incessit. sicut et repugnantis Ioannes ostendit maius esse uitium, q̄ simpliciter recusantis: incessens Diotrophē, quod non solū nō recepit fratres, uerum etiā uolentes recipere prohibebat. Quam significationis proprietatem obseruantes Græcarū uocum curiosuli, sic inter *θεσιυ, αλεσειυ, & λουνη εννοιαυ* distinguūt: ut *θεσιυ* uocent, quamlibet admirabilem præstantis alicuius in philosophia uiri opinionē: quæ si ulterius serpat ad eximios, *αλεσειυ*: si ad gregales, *λουνη εννοιαυ* appellant. Quin & Paulus hæreticū nobis ferè iisdem uerbis describit, loquens Ephesiorū præfectis: Ex uobis, inquit, ipsis exurgent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Hac breui periodo totius hæreseos indolem graphicè depinxit, quatuor illis causarum generibus adhibitis, quibus in naturalibus rebus excutiendis Physici uti consueuerunt. Nam in illis uerbis, Ex uobis ipsis, materialē causam exprimit, eos scilicet notās, qui propter ingenij & eruditionis eminentiam populi doctores eliguntur: hi enim hæreticorum ferè seges. Qui ad hoc eos instigat elatus, nemiq̄ cedens animus, significatur uerbo Exurgent: hæc itaq̄ causa efficiens. Huic formā ipsam addēs, dicit Loquentes peruersa. Tandem id quod uerum hæreticum constituit, causam uidelicet finalē subiungens, Ut, inquit, abducant discipulos post se, quos à cōmuni sodalitiō separantes, cupiunt sibi, suæq̄ falsæ doctrinæ addictos. Ideoq̄ lupos neque simpliciter, sed lupos graues appellat: quasi non contentos corrupisse unum aut alterum, nisi dissipent & totum gregem.

*Hæreticus cur non tolerandus. VI.*

**S**ed cum Iudæis Christianæ religioni inimicissimis, lata iam olim super hoc negocio lege, permittatur pacifica inter religionis nostræ societatem habitatio: pari ratione (ni fallor) concedi potest & alijs, quotquot apertè, hoc est sine simula-  
tæ pietatis fūco diuersam, uel etiam omnino nobis aduersam religionē profitentur, ritibus enim nostris inspectis, suæq̄ religione cum nostra discussa, spes est piorum hominū monitis ad nostram societatem posse perducī. Hæreticus tamē nullo modo in nostræ religionis rempublicam erit admittendus, tam propter infatigabile alios corrupendi studium, quàm propter fucatissimæ impietatis, ideoq̄ perniciosissime, latius & latius semper serpens contagium, sub pulcherrimæ (quod periculosissimum est) Christianæ pietatis prætextu, ut difficile sit non tentari, penèque impossibile non inquinari: maximè cum illa in ipsis uirtutum exercitiis conspicimus, quæ etiam in summis uiris desideramus, imò quæ uel martyrum celebratissimorum laudes assequan-

Bernhar. in  
Cant. Hom.  
65. & 66.

tur & exuperent, ut pius ille doctor pulchre ostendit, in illo Cantico-  
rum loco explanando: Capite nobis uulpeculas, quæ demoliuntur ui-  
neas. Vide quæso quàm difficile sit humano iudicio inter hæreticum,  
& uerè pietati deditum, distinguere, si aliunde discrimen, quæ ex dogma-  
tis sumas. Sed neque hoc facile factu erit, præsertim si de principijs, & de  
ijs quæ iam olim publica omnium confessione pro iudicatis habita sunt,  
à ueris Christianis non dissentiant. Non debet igitur aliquis de exorta  
hæresi priuatim iudicare, cum hæc totius religionis quæstio suprema gra-  
uissimaque sit, crimenque hæreseos deterrimū: ideoque hæreseos & dogma,  
& autor, ad eos qui religioni præfunt deferendus. Sed sunt qui hære- 10  
simiam olim præiudicatam mente conceptam, non exprimunt: si his  
peruersæ cogitationis pertinacia absoluta sit, uoluntas uerò cognitio-  
nem illam in lucem prodendi meticulosa, non magis sunt consummati  
hæretici dicendi, quàm ille perfectus religionis sectator, qui quod cor-  
de credit, ore non audet proferre. sin utranque cogitationis, & uolunta-  
tis pertinaciam habeant consummatam, nihilque aliud morentur, quàm  
temporis, loci, & similibus occasionem, ut quod meditantur, comode  
perficiant, iam profectò hæretici sunt: ambo tamē donec ita mente cō-  
ceptum celant, neque ecclesiastico, neque ciuili iudicio sistendi, sed illi diui-  
no iudicio, quo manifestabuntur occulta cordium, prorsus relinquen 20  
di sunt. Sunt præter dicta hæreticorum genera, & alij quidam medijs,  
quos partim præsumptos, partim suspectos libet docendi causa nomi-  
nare. Nam qui quod antè ad religionem pertinere falsus est, nunc idem  
quasi ab ea alienum habet, non est statim hæreticus habendus. quia fie-  
ri potest, ut interim illi cogitatio irrepserit, iustam causam præbens am-  
bigendi. potest item fieri, ut illam suam cogitationem nequeat (ingenij  
uidelicet, aut artis defectu) commode explicare: sed tamen statim hæ-  
reseos præsumptione grauatur, multo quoque grauius, quàm is qui ne-  
gat non id quod quondam affirmauit, sed quod omnes pariter cum ipso  
ingenij, eruditionis, & cognitionis passim affirmant ad religionem per- 30  
tinere. quem nescio quomodo appellauerim, nisi hæreseos nota suspe-  
ctum. Par est enim hūc (cum minus peccet) diuerso ab illo nomine uo-  
cari, quia ille mox in iudicium uocandus, ne alioqui pergat & ceteros  
attrahere: crimineque hæreseos persequendus, donec cogitationem illam  
quoquo modo exprimat, quæ ipsum in contrariam sententiam pellexit,  
uel sua relicta cæterorum sententia accedat. hic contra prius pertentan-  
dus, an insigni inertia hoc faciat, an stoliditate, an magis pertinacia. sed  
et hic forsan tolerandus, quousque de eo iudex pronūciauerit: ille autem  
cōtestata lite mox per modum (ut dicunt) prouisionis ad maiorem ser-  
uandæ religionis illabefactæ cautionem, à consortio fidelium separan- 40  
dus. At qui contradictorio (ut uocant) iudicio hæreseos iam condem-  
natus fuerit, dicet hæreticus conuictus, utcumque ueritas se habeat. quem  
uero iudex ob solam contumaciam sic cōdemnauit, est, & uocari debet  
instar

instar conuicti. At ij censentur ad hæresim procliuēs, qui rebus ueris ci-  
tra delectum afficiuntur: hoc est qui tantum suis, aliorum uel hominum  
inuentis, quantum diuinitus inspiratis delectantur. ij uero propinqui,  
qui ea animi sedulitate, quæ soli religioni debetur, rebus ab hac alienis  
assentiuntur. at multo propinquiores, si rebus falsis idem præstāt. cum  
enim ad religionis quæstionem uentum fuerit, tum quoque pro sua assue-  
ta pertinacia eodem animi uitio contentiosius agunt.

*Qui pertinacem docet operam perdit. VII.*

10



Aeterum cuiuslibet gradus, ordinis, aut qualitatis fuerint: &  
quæcumque etiam res sit, in qua proteruierint siue hæretici, si-  
ue desertores, frustra tuam operam insumpseris, & (quod  
aiunt) laterem laueris, si hos erudire labores: quippe quo-  
rum animus, propter semel pertinaciter conceptam sententiam, contra  
omnem rationem occaluerit, quicquid aures suas obturarint, ne cantus ue-  
ritatis in animos ipsorum admittatur. superbia enim elati nec sanas fe-  
rent admonitiones, nec aliquid, quod eorum sententiæ contrarium est,  
recipient: ideoque surdis omnino cecineris, si alia quantumuis salubria ad-  
hibeas, quàm quibus iam semel animo ipsorum confirmatam senten-  
tiam stabiliri putent. iuxta id quod sapiens ille Hebræus scribit, Sal in  
nitro, qui peruerso cordi carmina cantat. Si uero te hoc alio modo effi-  
cere posse arbitreris, & eos non recta, sed obliqua uia aggrediaris, ne ui-  
delicet dolum, qui tali in negotio bonus est, sentiant, eosque suis iaculis,  
hoc est quibus ipsi alios feriunt, ex improviso uulneres: ut si quædam  
examinanda proponas, quæ uidentur eorum sententiam confirmare,  
ijsque tantisper immoreris, donec in eorum animos totus admittaris: &  
sic pedetentim ad altiora pergas, donec tua simul cum illorum senten-  
tijs inferas: quis est, qui te non laudabit? quis te non optima conari di-  
cet? Sed ubi eò rem uideberis perduxisse, ut iam nihil restet, quin confi-  
cias, quod iam dudum moliris: en ibi ueluti dolo percepto clamabun-  
di resiliunt, nulli rationi acquiescentes, atque bis terque maiore cum uocife-  
ratione suam sententiam quasi præclarum aliquod recinentes, quicquid  
à te concinnatum senserint, repellunt. Tam enim deperditæ naturæ, ut  
& superius diximus, consummata pertinacia est, ut ea affecti mortem, 6  
mortisque quoslibet cruciatus citius sint subituri, quàm à sententia di-  
scendant. ut qui non minus tenaces sint illius erroris sui, quàm celebra-  
tissimi olim Christi martyres fuerint religionis diuinitus inspiratæ. adeo  
ut quod ille in bonum dixit, Fortis, ut mors, dilectio: aptè possit & in  
malum de pertinacia dici, ipsam nullis mortis doloribus cedere. Ideoque  
errorem promouet, tantum abest ut compescat, quisquis pergit cum  
cuiuslibet generis pertinace publice disceptare. Nam præter hoc quod  
frustra operā, ut modo dictum est, in eo docendo insumimus, solemus  
huiusmodi inutili disceptatione auditores ipsos, quotquot non fuerint  
C plane

Cap. 6.

Cant. 8.



planè constantes, reddere magis flaccidos, dubiosq̄. Ille enim cum sua pertinacia rigidior factus, flecti non possit, & identidem obtentæ uictoriae laudè palam cantitet, nulliusq̄ nisi doctissimi hominis sit altercantium partium rationes & uerborum pondera rectè perpendere: facile fit, ut auditores præsertim plebei, ad id usq̄ temporis ueritatem sectati, nunc contrà humanum quid passi, uel studio (ut fit) partium, uel iudicij sui caligine, uel imperitia, incipiant uehementer concuti, & fluctuare. Quanto ergo grauius eos, qui iam antè non nihil uacillabant, accedente eiusmodi cōtentione, ueluti noua procella, percelli existimandū est: Si uerò fuerint, qui priuatam admiserint disputationē, sc̄q̄ sine fraude ad hoc inclinarint, ut animis attentis alium docētem audiant, eiusq̄ rationes non fucatè in mentem admittant: cum ijs certè (etiam si grauius errauerint) non solum disputandum, imò etiam ueluti cum societatis consortibus agendum est. non enim sunt desertores, qui ita correpti à læuo tramite tandem in regiā uiam regrediuntur. Contrà agendum cum his, qui detrectāt doceri priuatim, hi enim si uel leui suspicione notati fuerint, hoc ipso, quales habendi sint, satis ostendunt.

*Quo pacto cum hæreticis siue priuatim, siue publice congregandū. VIII.*

**U**m autem omnis hæresis religioso dogmati aduersetur, **mi**rum meritò uideri poterit, quo pacto peruersas, religioniq̄ contrarias sententias consueuerint etiam hæretici religiosi dogmatis communire. In promptu causa est, quod nisi eorū doctrina tali melle esset illita, non possent illi (quod ipsis moris est) toxicum uenditare pro dogmate religioso. Sed ut illorum ueneno *avriatorū* opponamus, non alia breuior uia esse potest ad uanas uanorum hominum de religione sententias extinguendas, quàm si quibus sua ipsi stabi liunt, nos uicissim ad trutinam examinantes, eadem pro nobis esse, aut certè cum nostris non dissentire apta in unionem conciliatione ostendamus. hanc tamen (quamuis nulla alia uia sit commodior, qua qui hallucinantur, reduci possent) experientia uidere licet, nihil uirium habere in hereticos, ut qui suo omnia ingenio metiri solent. Nam cum rationes sacrarum scripturarum humanum superent captum, eas tamen facilius etiam quàm prophanas scripturas, solent molli flexu in uarios sensus, utcunq̄ uerisimiliter, interpretari: ideoq̄ nequicquam cum hæretico egeris uel rationibus, uel scripturis, ut qui pro ingenij acumine nouerit in suam contraria quæq̄ sententiam torquere. quod nobis tota cohors antiquorum doctorum à principio Ecclesiæ occidit, ac conqueritur. Quo ergo pacto cum eo agendum? dicam. Vulgò aiunt, eum qui ignem extinctū uelit, titiones subtrahere oportere. Erit igitur ante omnia ab admiratione proprii ingenij modis omnib. retrahendus. & hoc si cautè forsan, et quasi per cuniculos, aut insidias (quem conciliandorū animorum modum rhetores appellāt insinuationem) aggrediaris, quo (mihi

(mihi crede) longius processeris, eo plus operæ perdidideris: quoniam re intellecta (ut superius ostendimus) quasi insidijs agnitis uehementius reluctabitur. Erit itaq̄ cum eiusmodi aperto (quod aiunt) Marte agendum: & quoniam ex contrarijs cōtraria magis elucescunt, in primis humani ingenij imbecillitas illi identidem ob oculos ponēda. Huic ex aduerso diuinorum dogmatum sublimitas dignis modis extollenda erit. Deinde diuina illa sollicitudo erga hominē, qui se, suamq̄ mentē Deo suo necessariorum reuelatori submittit, non minus prædicanda. propriæ uerò prudentiæ innitentium uaria tum præsentis, tum superiorū temporum errata ostendenda, quæ & ipsi perniciosissima non grauatim fatebuntur. Nam nemo ferè ita errat, ut non in quibusdam rectè sapiat, aut non subinde resipiscat. Quare & hæc uia omnium efficacissima, ut errores illorū, hallucinationesq̄ commemoras, quas doctiores facti, ut fit, ipsimet deprehenderint, aut forsan scriptis etiam editis recognouerint: quas olim ingenio suo impensius blandientes agnoscere nō poterant, sed potius ut planè solidum quiddam prædicabant, mordicusq̄ defendebant. Hinc iam perges monere, quod oporteat saltem trepidare, ne idem & in cæteris à se excogitatis eueniat, quod perpetuò nobis futurum est, donec in hoc tabernaculo morabimur, maiore uidelicet eruditione quotidie accrescente. Docet enim (quod aiunt) dies diem. Etsi forsan tam fuerit astutus, aut non ita multa ediderit, ut pugnantia in dictis scriptis ue inueniri possint: nemo tamē audebit in eam arrogantiam irrupere, ut audeat dicere se usq̄ à puero ad ætatem grandio rem in nulla re hallucinatum. Quod si fateatur olim quidem se more hominum errasse, sed iam accepisse gloriæ donum numinis, quo fretus postea nunquam sit hallucinatus, hallucinaturus ue: interrogetur, an ne in reliquo coetu hominum, hoc est eorum qui suæ sententiæ non accedunt, quisquam sit eodem numine illustratus? Quod si dixerit, ex cōtrario coetu neminem, ex sibi autem adhærente esse & alios sic illustratos: interrogetur ergo, num quo tempore primum suus coetus numen accepit, quisquam uel tum præsentium, uel quotquot usq̄ ab Apostolis uixere religionis cultorum, fuerit pari lumine donatus? Hoc si annuerit, debet & autoritatē illorum amplecti: sin fortiter negauerit, quid facias illi? iubeas miserum esse libenter. Sed solet ipsa diuina benignitas tanto malo tandē occurrere: ut sicut olim in turris Babylonicæ extructione linguis, ita hic ingeniorum excogitationibus confusis & diuisis: ut inquam, qui initio unam simul opinionem sequerentur, statim in uarias delapsi, uarias sibi constituent sectas. Quod cum fit, iam ipsa se prodit impietas. Nam quo in plures sectas dissecti fuerint, eo certiora aduersus ipsos habes argumenta. ut quos sibi prius doctores habebant, tanquam solos ueros, & numine afflatos: eosdem nunc diffiteri nequeant inter se pugnare, proptereaq̄ illorum aliquos errare. et ut ex illa una prius hæc multæ sectæ ortæ sunt inter sese pugnant, ita & ex qualibet

harum fateri cogentur, alias forsitan exorituras, quarum necessarium erit has, illas uel similiter esse falsas. Vnde hæc certè utilitas saltem uacillantes nascitur, ut resiliant simul, & cautiores fiant, nec sibi tam facile patiantur in posterum ab impostoribus fucum fieri. Quod si autè nec sic corrigantur, nescio equidem aliud sub sole remedium, quàm illud à Christo ostensum (si quod fortè sanet tantam insaniam) quum dixit, *Matth. 17.* Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi ieiunio & oratione.

*Desertor populari, hæreticus etiam publico iudicio  
persequendus. IX.*

10



Act. 9.

Vicunq; uerò eius cõditionis fuerit, debet (si quis alius) iuxta principum tam secularium, quàm ecclesiasticorũ rescripta ad publicum etiam iudicium deferri, ut pariter uexatio det intellectum auditui. Hoc modo Dominus Saulum non sola uoce cœlitus emissa, sed & in terram subita prostratione, & donec resipisceret, cæcitate correxit. Sed est & actionis genus, quod populari iurisconsulti uocant, quo ius suum nõ is solum cui damnum datum est, sed quilibet è populo, priuato iudicio, hoc est in suũ ipsius priuatũ cõmodum prosequi potest. Cuiusmodi esse dicunt, si quis sepulchrum uiolauerit, album prætoris corruperit: aut si qua uulgò itur, aut statur, deijciendo aut effundendo damnum dederit, & alias quàm plurimas. Si hæ actiones cuiuslibet è populo propterea conceduntur, quòd qui in eorum aliquo, quæ illis actionibus coercentur, peccauerunt, in ipsum populum peccasse uidentur: optimo certè iure neq; in hæreticos hæc deneganda, cum nihil tam omnium intersit, quàm ut religio res omnibus cõmunis maneat intemerata. Et quia populares actiones interdũ dari solent, & in eum qui damnum etiam nullum dedit, facit tamen aliquid, unde damni periculum imminet: ut si quis supra eum locum per quem uulgò iter fit, aut in quo consistitur, id positum habeat, cuius casus nocere alicui possit: non possumus non fateri, in desertorem quoq; licet hæreticus nondum sit (si modò se ullo indicio manifestet) saltè popularem actionem locum habere. Licet enim pruritus nondum titillet, ut eandem scabiem cæteris affricet, quia tamen mentis suæ pestem non nihil prodit, uix fit quin lædat: aut si (quod etiam fieri potest) se contineat, ne periculum tamen è proximo immineat, metuendum est. Si uerò quis aliquod dogma in uulgus sparserit, de quo dubitari possit, hæreticum ne esset, an religioni consentaneum, huius dñjudicatio est summo societatis religiosæ tribunali referuanda, ut sapientissimæ potestati difficillima detur quæstio excutienda. Nec em̄ prius inferioris dignitatis personis libera de his sententia dabit, q̄ super iam diuulgato dogmate ita suprema potestas pronũciarit, ut de re iudicata nulla amplius supersit ambiguitas. Si tamen illi quibus harũ rerum summa cõmissa est, seram sint allaturi opẽ, & periculum sit, ne ipsum negociũ in peius serpat, erit

20

30

40

erit interim inferiori potestati huius suspecti dogmatis discussio permittenda: ut tamẽ illi, cum res postularit, superiorib. iudicibus eam cõmittat. hoc propterea cautũ, ne dum superiorũ censura expectat, populo Christiano pestilẽs doctrina pro sano dogmate diuulget. Et quancq; frequens illud totius Christianæ religionis sodalitiũ in multos minores greges, quasi distinctas partes, ne tumultuarent sine ordine confusæ, sit diuisum, *παραικίαις* seu *ἐπισκοπηαῖς* Græci uocant, nos præfecturas nominamus: & suo soli primario, ut tribuno miles, obedire quisq; cogatur, eundemq; solum quis iudicem habeat, sub cuius ditione domiciliũ retinet: si tamen alterius præfecturæ subditus, hæc transiens animos uel incolarum, uel aduenarum, malæ doctrinæ contagione inficiat, non solum eo loco quo degit, sed & quo deliquit, iudicio sisti poterit. Sed merito possit dubitari, an ille qui alioqui huic ditioni subiectus non sit, an inquam ille, si hæc fortè pertranseat, possit, quod alio loco religionem labefactarit, hic deferri: an potius remitti ad iudicem domicilij, uel ubi crimen admissum est, ut ibi supplicio subiiciatur? Certè de criminibus, quæ unam aliquam ciuitatem perturbant, proditum est, delinquentem in aliena prouincia repertũ, remittendum esse ad iudicem suum. at quia proteruus uiolator iuris naturæ, aut gentium, potest quocunq; loco repertus à quolibet hominum iudicio sisti, eo quòd quæ iuris gentium sunt, aut naturæ, debeamus omnes homines omnibus hominibus, siue eiusdem siue diuersæ ciuitatis & regni: non uideo cur non & religionis labefactor (quæ religionis integritatẽ ubiq; seruari, quam plurimi referunt uniuersi religiosi sodalitiũ) cur non, in quã, possit quocunq; etiã loco repertus, ad iudiciũ pertrahi per quẽcunq; eiusdem religionis cultorẽ?

*Cui pœnæ hæreticus obnoxius sit. X.*



30

Actenus de ipsa hæretici accusatione: nunc ad huius pœnam transeamus. Lex Mosaica religionis corruptorẽ morte multandum præcipiebat, qd testatur ille Deuteronomij locus: *Deut. 13. et 17.* Quando inuẽtus fuerit in medio tui uir siue mulier, qui adierit, uel coluerit deos alienos, educes, qui fecerint rem illam iniquam, ad portas tuas, & obrues illos lapidibus, donec moriantur. Quibus uerbis uide quæso quantum confirmetur, quæ superius diximus. Nam præter hoc quòd accusationem popularem, iudiciumq; uult esse publicum: etiam ipsam iudicij executionẽ ad uniuersum populum attinere iussit. Hoc facile colligere licebit ex his quæ eodem loco sequuntur: Manus testium primum erit in eo ad interficiendum ipsum, & postea manus totius populi, exterminabisq; malũ de medio tui. Simile exemplũ iam ediderat libro Numerorũ, cum populus adorasset Baal peor, omnibus principibus populi iussu Dei in cruce actis cõtrã solem. Quòd autẽ dixit de cultu deorum alienorũ, est & de quibuslibet religiosis ueritatibus accipiendum, cum una quæq; inspiratæ religionis ueritas, sit

Num. 15.

quoddam ſicuti diuinum & adorandum dogma. taceo quod & alibi non minus ſeuere interfici eum iubet, qui ſacerdotis imperio cum de alijs, tum de religionis controuerſijs iudicantis non ſe ſubmiſerit. Contra facit nouæ religionis lex, quæ ſi quid peccatum fuerit, magis caſtigat, quàm punit. Non enim uel de maximè pertinace aliam pœnam ſumit, quàm quod eum ut inutile membrum abſcindat, cogat que ut abiectum extra omnis ſodalitij conuentum degere: eo ſolum animo, ut hujuſmodi contemptus pertæſus, ad mentem tandem ſaniorē rediens, incipiat relinquere, quas tantopere amplexabatur, ſingulares illas ſuas cogitationes, cupiatq; ſincero animo in ijs quæ ueritatis ſunt, erudiri. Et quamuis in communis religionis corruptores Chriſtianorum uniuerſale ſodalitium grauiorem non ſanxerit pœnam, quàm ut eos à conſortio, quaſi infecta membra reſecet: unaquæque tamen ciuiliſ ſocietas aliam etiam in particularis ſuæ religionis quolibet corruptores ſtatue re poteſt pœnam. aut quod ægrè queat ſine talis pœnæ metu religionis integritas inter homines eiufdem ſocietatis conſeruari: aut quia eiufce pœnæ ſanctionem unanimus omnium conſenſus abundantioris cautionis gratia (quæ non nocere, iuriſconſultorum prouerbio dicitur) libenter amplectatur. In qua tamen conſtituenda (præſertim ſi nonnulli refragentur) decet eam ſeruare moderationem, ut grauior non inſtituatur, ſi religioni conſeruandæ ſufficiat mitior. ut ſi multa ſatis terreat, ne imponatur pœna corporalis: ſi deportatio, ne infligatur mors. Poſſe autem etiam mortis pœnâ religionis corruptorib. infligi, iam oſtendi ex diuino tum præcepto, tum exemplo: quamuis, ut dixi, hoc uniuerſalis eccleſia non ſtatuerit. Et ſi nullum ea de re uetus aut præceptum, aut exemplum extaret, quia tamen religionis diſſidium initio huius libri oſtendimus pernicioſiſſimum eſſe omnium diſſidiorum, cur nõ religionis ſiue naturalis, ſiue inſpiratæ, ſiue particularis, ſiue communis corruptorem (tam pernicioſi uidelicet diſſidij ſuſcitatore) tanta pœna terrere fas eſt, quanta autores minus lædentium factionum?

*De naturali religione etiam ſecularis iudex cognoſcit. XI.*

**Q**uod autem ſuperius de iudice, cui hæreſeos reus ſiſtendus erat, dictum eſt, non ita ſimpliciter intelligendum. Nam de inſpiratis religionibus non eſt ſecularis iudicis ferre ſententiam: at cur idem de naturali illa religione, qua omnium mentes imbuit rerum parens, non poſſet cognoſcere, equidem nullam uideo rationem. Cum enim hæc (ut certò certius conſtat) cæteris omnibus religionibus ſit prior, hoc eſt iam ab homine nato in omnium mentem recepta, totiq; humano generi à natura inſita, nõ eſt dubium, quin & à rerum initio publica magiſtratus autoritas ſubditos in hoc conſeruarit, ſummâque diligentia, ne quis ab ea defleſceret, cauerit. quis enim alius prima illa dogmata, & regulas religionis obſeruandæ conſtituit: certè non uulguſ. eſt enim hic ſua natura ita ad malum procliuiſ, ut illa ſemi-

ſemina ad uirtutem cum homine nata ui quadam citius euellat, quàm ſe non in omnibus affectui accommodaret. Ne itaq; citius ab innato bono homines deficerent, præſcripta ſunt à magiſtratib. (penes quos erat ſumma rerum) quædam dogmata, quibus rudiores docerentur, quæ iuxta naturæ ſcintillas de Deo eſſent ſentienda, quòd ſcilicet eſſet omnium rerum unus Deus, et in his gubernandis diuina prouidentia: quòd etiam ille uirtutes amet, & uitia oderit. Nec hoc illis ſufficiebat: nam ut ſuum quiſq; de Deo animum publicitus exhiberet, cognoſciq; poſſet, num qui deo eſſent, & propter impietate corrigendi, regulas quaſdam ſimiliter obſeruandas magiſtratus præfixit, quæ quo cultu, quibus externis ſignis, ſuam erga ſummum illud numen ſententiam proſiterentur, docerent. Si itaq; illam autoritatem in religione conſeruanda habuit magiſtratus ab initio generis humani, quis eſt qui eam nunc ei ſubtrahendam dicet? Hoc tamen (quod ſæpius dici uult) obſeruandum, ut Chriſtiana religio agnoſcatur omnium directrix, & moderatrix.

*Ciuium potior pars et princeps ad naturalem religionem retinendam, ſeu amplectendam cõpellerè cæteros poſſunt, ad ſuſcipiendam uerò inſpiratam non poſſunt. XII.*

**Q**ui etiam poteſt ad naturalem religionem iure nature ſuos compellere. Hoc enim permittit, imò uult naturalis equitas, ut omni idololatria & ſuperſtitione eiecta, non ſolum eiufdem ſocietatis una pars alteram, ſed et ſocietas ſocietatem ad naturalem religionem amplectendam (ſi aliter nequeat) etiam bello compellat. nulla enim poteſt tranquille ſubſiſtere ciuiliſ ſocietas, ſi non aliquo ueri numinis timore cohibeatur. Et cum in omni hominum ſocietate duo neceſſaria requiruntur, iuſtitia & religio: licitumq; eſt ſocietatem, in qua horum duorum ratio nulla habetur, etiam priuato cuilibet ibi forte orto, uel aliunde profecto occupare, et utriuſq; adminiſtrationem, iuſtitia ſcilicet principatū, & religionis ſacerdotiū, ueluti rem pro derelicto habitā, iuſto titulo ſibi uendicare: cur non poterit melior ciuium pars, aut princeps omnium nomine reliquos ciues, etiā alios ſine ſocietatis legibus et religione uiuentes ui adigere, ſi uerbis nequeat, ut ſaltē naturalem religionem amplectentur. qd ſi fiat, meliore iure ut prima ætate ſuſceptam religionem retineant & conſeruent, cõpellendi erunt. Ad Chriſtianam tamen ſuſcipiendam nullo modo inuitos cogere uiolentius licebit: eo quòd illam Chriſtus omnibus toto orbe hominibus offerri, nõ obtrudi uoluit, ſicut Moſaicā quondam nõ niſi ultro accurrentibus cõmunicari. Cæterū peculiarē honorē publicitus poſſe decerni, quo ceu *Βραβείον* ſubditi inuitentur ad eiufmodi religionem amplectendam, nõ uideo inſpiratę religionis legibus repugnare. Nam ſi in honoribus diſtribuendis equè idonei proponantur, quibus nihil defuerit eorum quæ ueteres ciuium ſiue leges, ſiue ritus deſiderare ſolent: fuerit tamen aliquis, cui maiores nature dotes contigerint, ut ea ratione aptior agnoſcat, fiet ne iniuria ciuibus?

si propter illud quo cæteris præstat, eligat, etiam si eorū leges eò nō respiciant. nō certe: eo modo & licebit multis idoneis illos præferri, qui ceteros religione præcedūt. Quapropter ij apud q̄s est eligēdi autoritas, possunt si uno anno recturi sunt, annuā legē: sin permanēt, perpetuam de hoc statuere, ut in posterū illud inter necessarias subeundi publici honoris qualitates numeret. Cæterū si tota societas unanimi omniū consensu inspiratā religionem coluerit, nō uideo cur illa non possit inquilinis infidelibus, solum aduenarū iure ibi degentibus iubere, etiam si cōtagionis periculū nullum sit, ut accepto deliberandi spacio uel discedant, uel eandē cum ciuibus religionē amplectentur, secus, si nō in hoc omnes 10 ciues conuenerint. Nam tunc, neq̄ melior pars, neq̄ ipse princeps (qui eam quam habet autoritatē, à populo accepit) poterit ipsos ciues reclamantes incredulorū in eadem societate cōmorantium cōmoditate priuare: multo minus religionē inspiratam illis præcipere. ciuibus aut, ut dixi, consentientibus, nō dubium quin possit locorū suorum habitatio nem ijs negare: ita tamen, ne (si iusto titulo obtinuerint) proprietatem rerū illis eripiat, sed solummodo quotidianę iurisdictionis, quā proprie populo debet, opē neget: dum tamen negociationis, & mutuā mercū facultatem, quæ iuris gentiū sunt, uenientibus, & mox abeuntibus non subtrahat. Nec hoc mirū uideri debet, cum & nobiscū Christianē 20 sentientibus inquilinis possit princeps, præsertim exorta occasione, edicto iubere, ut intra certū tempus ditione sua emigrent: aut se iureiurando ciuiū more subdant, eisdemq̄ legibus, quibus cæteri ciues, se astringāt. Hoc tamen inuitis cæteris potest, & maior pars ciuium & princeps, (quanquam neminem ad inspiratam religionem cogat) ut minori numero frenū imponat, ne ui aut dolo eiusmodi religionis successum impediatur. quin si tota reipublicæ societas fuerit à Christi nomine aliena, armis eam cogere licebit, ut in suis ditionib. Christiana dogmata sināt saltē promulgari. Nam si ea quæ falsa religione ducitur, cōpelli potest, ut naturalem saltē amplectatur, quid ni possit & eanatio quæ naturalē 30 amplexa est, armis cogi, ut quemadmodum negotiatores quoslibet, ita & literarū quarūlibet siue sacrarū, siue prophanarū nihil suæ religioni nocituros magistrōs permittāt aduentare, & quidlibet, q̄d ciuilem societatem nihil perturbaturū sit, & agere & loqui. Est em̄ Christiana religio (tametsi multa tradit quæ supra captū sunt nature) cuilibet sanæ religioni cōsentanea, hoc est nihil illi derogās, aut contrariū docens. Omnia hæc, quæ hæctenus de religione propagāda diximus, nō aliunde scaturiunt, q̄ ex illo principio, quod natura ipsa homo homini frater sit, id est q̄d alter alterū instruere debeat in ijs quæ sunt iuris naturæ. Ad hoc enim cum necessitas, tum ipsa naturalis lex nos omnes instigat, ut eos 40 qui ius gentiū aut naturæ ullo modo, & hoc impunē uiolant, ad meliorem uitę frugē inuitemus, atq̄ adeo quibuscunq̄ modis poterimus, cōpellamus. Non enim solum maioribus, sed omnib. illud cōmune mandatum

datum est præfixū, quo dicitur, Mandauit Deus unicuiq̄ de proximo. ut præteream, quod diuinam gloriam debeat homo ubiq̄, hoc est omnis homo omnibus hominibus prædicare, ut superiore libro ostendimus: & eadem ratione eos quoq̄, qui hoc impediunt, coercere.

*Aduersus hæreticos iusta belli causa. XIII.*



Erunt redeamus, unde digressi sumus: nempe ad poenā, cui hæreticus obnoxius est. Prudēter monuit Ecclesiasticus, Ne sis iudex, nisi uim habeas excindendi peccata, ne quando cōtingat, ut ueritus personā potentis offendiculū ponas iustitiæ tuæ. hæc ille. Multo itaq̄ præstat nullam ferre sententiam, q̄ eam quæ habeatur ludibrio, hoc est quam non sequatur executio. eo quod maiorem ferē rebellionē excitet condemnatū, sed non punitum crimē, quā prorsus dissimulatum. Cuius aut est iudicium dare, eius iuxta dictum scripturę uerbum est, & ratū facere iudicatū, manu etiam, si opus sit, militari. Quam quomodo liceat aduersus hæreticos quoq̄ usurpare, scriptura præclare ostendit libro Iosue, narrans cæteras Israheliticis tribus ascendisse in Silo, ut expeditionē pararent aduersus tribum Ruben, & tribum Gad, & mediam tribum Manasse, eo quod uiderent erexisse schismaticū altare. Cum uerò in illo Israhelitici belli apparatu nufquam Iosue belli ducis mentionē scriptura facit, nihil aliud per hoc in- 10 dicari mihi uidetur, quā sicut illic diuersę tribus inter sese, ita nūc siue populum, siue principē etiam in alieng ditionis hæreticos posse bellum mouere. quod exemplum proximis seculis quidam secuti in occidenti contra Albios, ad Septentrionem contra Statingos copias eduxere, ut in historijs legere est. Nec hoc solum, ut quibusdam uideri posset, in eos qui iam aperte errorem suum conantur inuehere, sed & in eos qui errores suos supprimunt, licitum erit. Si enim, ut superius ostendimus, in desertorem, qui proprio errore contabescens neminem inficit, quia tamen metuendum, ne inficiat, actio sit popularis: quis est, cui non 20 nino cerebrū stultum, qui contra populum desertorem à bello inferendo uicinos dehortabitur: præsertim cum scriptura, cuius iam adducebamus autoritatem, & aliam excluso dicto periculo causam belli ostendit, cum Israheliticis illas tribus inducit loquentes, non propter contagij periculum, sed propter diuinæ iræ timorē, bellicos illos apparatus fieri: Vos, inquiētes, auersi estis hodie à Domino, futurūq̄ est, ut cum uos hodie rebelles fueritis Domino, ille cras contra uniuersam irascatur multitudinem Israhel. Ne dicam omnia facta siue sint præclara, siue mala, eius esse naturæ, ut si publica sint, præter uoluntatem etiam facientis illiciant: mala autem multo uehementius. Vt quod Publius Mimus de iniuria dixit, Qui unam admittit, inuitat nouam: uerē possis de flagitijs dicere in uniuersum. Video autem quosdam in hoc sollicitos, num et in 30 posteros siue desertorum siue hæreticorum, idem genus actionis & supplicij cadat. Erunt hi eadem poena plectendi, si sub Christiani nominis titulo

titulo pergāt in peruerso dogmate paternam contumaciam imitari. Si uerò Christianum nomen non usurpauerint, non uideo, quòd in eos qui ab incunabilis Christianam religionem secuti non sunt, Christiano populo sit ulla querimonia. Si tamen religionem semel amplexi, non solum se, sed sua quoque religionis legibus subdiderint, (ut mihi quidem planè uidentur subdidisse) qualicumque modo ab ea deflexerint, etiam in eorum possessiones agere poterunt Christiani: easque (si aliter fieri nequit) publica uis priscæ religionis cultui restituere. eadem enim obligatione, qua se Christo deuouerant, etiam eorum possessiones ad Christianos deuoluere debent, ut in eis prior diuini cultus forma maneat. Durat propterea eadem actio in ipsos desertores, etiam si Christianum nomen omnino exuerint, suamque habitationem ad alias sedes quærendas immutarint. Si enim hoc generaliter omnibus societatibus conueniat, ut sociorum alter altero inuito dissolui non possit: si quoque nullum sit uinculum (etiam inter ea quæ mutuo consensu non dissoluuntur) quod arctius ligat, quam quo religiosum sodalium connectitur, de qua infra fusius: non uideo, qua ratione quis se conuentu, cui sit uinculo indissolubili annexus, eximere queat. Quod si facere (ut ipsa res indicat) non possit, cum per religionem non solum ipsi numini, sed & communi sodalitati sumus deuincti: quis eandem actionem in Christianæ religionis ἀποστράτας, hoc est, 20 qui abiecto Christiani titulo aliò transfugerunt, Christianis denegabit?

*An hæretico seruanda fides. XIII.*



Ed frequens quæstio est, an hæretico seruanda fides. cuius explicatio ex illa quæstione pendet, sit ne hosti seruanda fides. cum autem hostem dico, publicum intelligo, quæ perduellem uocant, hoc est, qui aduersus reipublicam hostilem animū habet. cui perduellionis crimini cum alij alias ob causas obnoxij reperiuntur: huic tamen maxime obnoxius est hæreticus, quòd religionem supremum reipublicæ bonū (qua tota humanæ uitæ societas conseruatur) in dissidiū uocet, hostilique animo concordiam religionis, omnium gaudiorum fontem, expugnet. cuius conditiones si penitus introspiciamus, quomodo non solum iam hunc, iam illum pedetentim inficiat, uerum etiam aliam post aliam religionis partem in suum errorem, uelut in aliam formam transformet, non secus sua contagione religionis cultoribus nocens, ac cancer, ut Paulus ait, passionem habens: quis quæso mentis compos eum negauerit parū uideri, ne quid durius dicam, religiosum, qui minimam etiam hæresim non grauissimam pestem iudicaret: quis non eum imprudentem, qui huiusmodi uenenosissimi hominis commercium non estimaret periculosissimum: cum scriptura dicat, Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea. Detestatur & alio loco hæretici hominis consuetudinē Euangelicā lex, quā rebelles dicit habēdos tanquam ethnicos & publicanos, hæreticos aut omnino fugiēdos. Attamen cum is, quantum ad dictam legem, nondū sit communibus commerciorum com- 40 modi-

moditatibus exutus, quas aut natura constituit, aut ius gentium adiecit: (quia fieri posset, ut per pia monita etiam pertinacissimus ad saniorē mentem redeat) uidetur non esse uetitum, eorum quæ ad naturæ aut gentium ius attinent, habere cum hæretico commercium, præsertim quòd incolumi religione haberi posset: nihil que minus illi, quam religionis sodali fidem seruandam, præsertim quam illi prius addixeras, quam in hæresim incidisset: aut si in eam iam lapsus, nondum talis fuerat declaratus: ita tamen, ut sit in re non uetita, hoc est quam exclusa hæresi obligatus esses præstare. Et quòd ad sacras leges attinet, haud dubium est ita planè rem habere: secus uerò, si placita consideremus legum ciuiliū. Etenim si uerum est uulgatum uerbum, ut est uerissimum, In turpi promisso rescindendam fidem: & alterum nihilo minus celebratum, Turpis est omnis pars quæ non congruit suo toti: profectò quanquam ei qui priuatim tibi hostis sit, certum est debere te seruare fidem, quæ nullam secum ferat turpitudinem: nullam tamen ei quem ciuilis societas (cuius & tu pars es) perduellem declarauit, nec promittere debes, nec si promiseris, præstare opem, aut usum, quòd publica illa promulgatione, tibi atque adeo omnibus eiusdem societatis consortibus iussus sit haberi publicus, hoc est uniuersorum, & proinde singulorum hostis: ita uidelicet traditus in manus omnium & singulorum, ut illum queat unusquisque dare internecioni. Nec alia ratione tractandus, cuius hæresim siue ob contagionis uehemens periculum, siue alia ex causa ciuilis etiam potestas condemnauit instar perduellionis. Contrà uerò quamcumque fidem cuius homini dederit ipsa publica uel potestas, uel autoritas, eandem debet illi ipsi quantumuis etiam hæretico, aut perduelli, exactè non solum ipsamet societas, sed & quæcumque eius pars seruare: si modo, quòd addixit, non sit de illo genere rerum, quas lex aut inspirata, aut naturalis uetat præstare. publica namque autoritas nullius partis sue siue magnæ, siue paruæ, sed à Dei uoluntate, imperioque dependet: contrà, ab istius imperio pendent omnium & singulorum, qui sub eo comprehenduntur, uoluntates. Hæc de hæretico leges ciuiles statuunt.

*Trium rerum præposterum studium Christianam rem publicam pessumdedit. XV.*



Rium uerò rerum præposterum studio factū arbitror, quòd religionem Christianam ex tanta amplitudine, (ut olim per totum ferè orbem sua brachia extendebat) uideamus hodie in tam arctos sinus contractam. Primum quidem, quòd præpostera facilitate sepe desertores diutius ac dissimulantius tolerati sunt, furo interim suo passim imponētes simpliciorum sincere religioni. Multo uerò magis, quòd quem publica autoritas declarauerat planè fugiendum, subditi præpostera eum humanitate prosequētes, dum non uitant, errorum pedicis illaqueati sunt. Aut denique, quòd è contrario præclaro ingenio homines quorundam præpostere anxia religio odiosius uexauerit, quòd affirmassent aliquid quod

quod scrupulosis fortè uidebatur ad religionem pertinere, alijs contra non uidebatur satis esse compertum, pertinere ne ad religionē, nec ne: aut si compertum erat, rationibus tamen, ita ut sit, in utranq; questionis partem occurrentibus, animo illud uacillanti tantummodo, non autem obdurato affirmarant. Vnde sæpe euenit, ut quod sponte sua non fuissent facturi, ea occasione desertores, hostesq; facti, contraria religioni dogmata pro eximij ingenij acumine tanta uerisimilitudine excogitarint, ut religionis antistitibus difficile fuerit, seductis subditis dogmatū falsitatem fūco denudatam demonstrare. Sic enim fit, ubi non satis perpenditur discrimen inter hæreticum, & uacillantem. Quod quam latum sit, Paulus detexit locis non paucis: atq; eò clarissimè, quem habes in Epistola ad Titum, Hæreticum hominem post unam atque alteram correptionem fuge. Cum enim dicit post unam atq; alteram admonitionem, planè indicat non facile quenquam pronunciandum hæreticum, sed debere eum prius publica autoritate examinari, quid sentiat: hoc est non solum quid dicat, sed quo in sensu id ipsum quod dicit, intelligat: nec non an flaccidè id, an uerò pertinaciter sentiat. & si sic hæreseos damnatus fuerit, semel atq; iterum admonendus: & si nihilominus perseuerauerit, hæreticus declarandus, ab omnibus deinceps et publice & priuatim, tanquam æternæ salutis præsentissimum toxicum uitandus. Nam subuersus est, inquit, qui eiusmodi est, eruto nimirum totius scelicitatis fundamento, prima religionis parte: & digna Deo diuinarum rerum cognitione sprete. Sed insigniter addit, Deccat per se cōdemnatus: quasi diceret, ut cognoscatūr quis hæreticus sit habendus, nō aliunde, quàm ex ipso hæretico testimoniū accersendum. eius enim pertinacia nisi semetipsam prodat, non potest hominibus esse perspecta: quā dum prodit, se ostēdit, quòd à societate sit segregatus. At idem Paulus locis multo pluribus longe aliter locutus est de uacillante, in literis ad Romanos, Infirmū in fide suscipite. item, Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere. alibi sic, Factus sum infirmus infirmis; ad mores uidelicet sese attemperans illorum, Vt infirmos, inquit, lucrifacerē. & alibi, Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos. Sed alia id genus alijs locis tam multa, ut frustraneū sit enumerare, sub nomine infirmorū eos intelligens, quos nescio quo alio uocabulo, uocare licebit uacillantes. de quibus sequenti libro, nam sic ipsa res postulat, dicam.

De

DE INSTAVRANDA RELIGIONE  
LIBERTERTIVS, QUI EST  
DE VACILLANTIBVS.

Qui uacillantes. I.



VANQVAM in negocijs transigendis tum demū homines conuenire & congruere uidentur, quum plures de eadem re idem sentiunt, in rebus tamen religionis, præcipuè inspiratæ, tam facile ad consensum debitum non peruenitur. Hic enim non plures, aut potior pars, sed omnes simul animo firmo & stabili de eodem negocio, una & mente & uoce consentire debent. Nam (ut primo libro diximus) inter cætera omnia nulli alij rei præter religionē, nec omni, sed soli inspiratæ firmi assensus honor tribuendus est. Id ipsum planè & de dissidio rerum ad religionem pertinentium intelligendum. hic enim quamuis alter affirmet, alter neget unam & eandem rem, non tamē eos dissidere prius iudicandum, quàm certum sit hoc animis obfirmatis fieri. Nam si tantum in quibusdam hæsitant, aut de aliquo forsitan timide dubitant, non hostes, sed uacillantes dicendi erunt. Horum autem, ut ex superiore libro colligere est, tria sunt genera. Primum eorum, qui hīs quæ ad religionem pertinent assentiuntur quidem, sed formidolose, non attribuentes religioni Christianæ (qui inspiratis debetur) firmi assensus honorem: quem etiam si talem haberent, ut omnia quæ pertinent ad religionem, probarent, quia tamen animo erga eam nō sunt stabili & firmo, diximus inter sectatores numerari hos nō posse, quanquam ueris sectatoribus sint uicini. Inter uacillantes itaq; repositi, primum genus uacillantium faciūt. qui uerò hīs quæ ad religionem pertinent, non assentitur, neque dissentit, sed ambigit duntaxat, hic iam longius, quàm primus, euagat. Qui si hoc facit animo obfirmato, eum libro superiore numerandum dixi inter desertores: sin formidoloso, de secundo genere uacillantium est. Quisquis uerò ab hīs quæ ad religionem pertinent, prorsus dissentit, sed animo non obfirmato, tertium genus uacillantium efficit. atq; hic tamen iam proximus desertori (quippe qui excepta pertinacia per omnia ei similis sit) desertor tamen nō est. Quos ut nomenclaturis quoq; distinguamus, primos non uideo quomodo aptius nucupem, quàm trepidantes: medios autem, ambigentes, seu nutantes: extremos uerò, discrepantes. Distinguntur & conditione, quòd hi falsitatem dedocendi sint, medijs autem ueritatem docendi: illis uerò ueritas confirmanda duntaxat, quippe quā nouerant quidem prius, sed languide. At hīdem in hoc inter sese similes sunt, quòd cuiuscunq; etiam generis uacillans, beneuolus sit, docilis, & attentus: per

D quæ

Cap. 3. que tria diximus superiore libro, uacillantē toto genere differre à recu-  
 4. fatore, et desertore. Verum cuiq; uacillantium generi ordines diuersi. si  
 enim in axiomatis uacillant, siue in eo quod inde tractum est, totidem  
 erunt fluctuantium ordines, quot fuerint axiomata, aut necessaria conse-  
 cutione ex ijs deducta: quorum tamen dignitatis ratio erit habenda. fit  
 enim, ut alterū altero præstantius sit, pro ut longius uel uicinius tractū  
 fuerit, in quo si nihil differant, axiomatis, unde alterū ducitur, qualitas  
 examināda erit, num hoc ad eminentiorē numinis dignitatē pertineat.  
 Sed hoc admonuisse sat est; fufius em̄ tractata sunt superiore libro. Hi  
 uerò quanquā simul uacillant, non tamen in totam religionem cōmit-  
 tunt. Contrā uerò faciunt Academici, et nunc quidam eorū sectatores.  
 est enim inuenire ex ijs, qui non solum de religione, sed de omnib. disci-  
 plinis, errantem & uagam sententiā habeant: ita ut nihil quantumlibet  
 manifestum eis proposueris, quod prorsus affirmēt, aut negent. quod  
 equidem non arbitror quenquam facere ex pertinaciā, cum omnibus  
 hoc à natura sit inditum, ut primis saltem principijs, & omniū disci-  
 plinarum fontibus applaudamus. Sed esto, quod quis ex pertinaciā hoc  
 faciat: is sanē hereticus fuerit, non religionis tantum, sed omnium planē  
 disciplinarū. Facilius autem hoc acciderit ex metu: ut sunt, qui metuūt,  
 ne sub omni lapide lateat scorpis. sed hi licet uideantur posse inter am-  
 20 bigentes numerari, sunt tamen omnium à religione desciscientium ne-  
 quissimi, ut aptius quartum eis locum constituamus.

*Præter uacillantes sunt & lethargici & neglecto-  
 res religionis. II.*

Psal. 35.



Reper hos plus æquo sollicitos, et trepidantes timore, ubi nō  
 est timendi causa, alij sunt nullius animi homines, in quos  
 apte quadret illud Dauidis: Noluerunt intelligere, ut bene  
 agerent, non aliā forsan ob causam, quā ne si plurā scirent,  
 de multis dubitarent. breui enim quadam religionis ratione cōstituta,  
 prout illorum ingeniū ferebat: ad eam sibi peculiarem uitam instituūt,  
 nihil interim curiosi de quibusuis alijs quæstionibus ad cōmunem re-  
 ligionē pertinentibus. Horum autē duplex est ordo, nam quidam au-  
 dientes intelligunt quidem quæ dicuntur, sed præscripto sibi illo reli-  
 gionis modulo impendiō addicti, laborem omnē subterfugiant discu-  
 tiendi, num quæ præterea dicuntur, uera sint, an falsa. quos nescio incur-  
 rios ne, an ignauos, neglectores uel potius debeam nominare. alij uerò  
 nullo modo animum adijciunt, ut quod audiūt, intelligant, ueluti quen-  
 dam lethargum passi: quos propterea lethargicos appellauerim. am-  
 bo ab illa anxietate, quæ uacillantib. ex mentis suspensione oriri solet,  
 liberi, Epicureorū more in religionis negocio agunt securi. Et qd ad cæ-  
 40 teras quidem disciplinas attinet, nemo nō est lethargicus in quibusdā:  
 quia natura nō sumus omnes ad omnia idonei. Contrā fit in religione.

ita

ita enim diuinitatis cognitio (quod etiam fundamentum huius operis  
 ab initio constitui) homini à natura indita est, ut etiam inter moriones  
 uix reperias, qui non aliqua religionis sollicitudine tangatur: adeo nu-  
 men religionem rem esse omnibus cōmunem uoluit, talis si quis inue-  
 niatur, huius sicuti apud Deum nulla imputatio, ita neq; penes homi-  
 nes ulla curatio est. Sed nemo, inquit, tam sapiens, qui non in quibus-  
 dam religionis mysterijs cæcus sit, in ijs præcipue, quæ imbecillis men-  
 tis captum superāt. Fateor equidem hoc usuuenire: sed si ijs inuestigan-  
 dis nihil diligentia adhibeat, ut mera fœcordia, nec alijs rebus impedi-  
 10 tus eorum notitiam non assequatur, non ne hic lethargi uicio laborat.  
 Sic. Illorum autem lethargicorum, ut uacillantium, triplex ordo est.  
 Vereor enim ne sint, quibus ne ipsa quidem principia unquam in men-  
 tem ueniunt, ut qui nunquam cogitarunt, regantur ne res diuina pro-  
 uidentia, nec ne: & hi primi. Alij, qui ut de his quidem cogitent, ad illa  
 tamen mentem haud satis adijciunt, quæ ab inspiratæ religionis candi-  
 datis profitenda, & ab huius professoribus exhibenda sunt. Tertij sunt  
 ordinis, qui ad quædam horum applicant, ad quædam non applicant.  
 Quibus omnibus hoc commune est, ut quo moribus uehementior, eo  
 sit quisque securior: quare & eo diligentior ijs opera adhibenda, quo  
 20 minus expetierint.

*Quanta sit anxietas uacillanti. III.*



Vulgare & uerum uerbum est, rara auis perfecta uirtus. nec  
 minus illud uerum, stultorum infinitus numerus. Quibus  
 admonemur, mediocriter proborum & improborum ho-  
 minum maiorem esse multitudinem, quā sit eorū qui uir-  
 tutum & uiciorum culmina ascenderint. Sic uidemus hodierno die fir-  
 mos Euangelij sectatores perquam raros: eorum uerò, qui timide mo-  
 do in hanc, modo in illam partem fluctuant, ueri cognoscendi gratia,  
 30 numerum ferè infinitū. Hi sunt quos uacillantes statim nominauimus.  
 qui quoniam animo obfirmato contrā religionē non sentiunt, sed tan-  
 tum hæsitant in quibusdam, hostis nomen non merentur. Non enim  
 statim religionis hostis dicendus, qui parum ex regia uia deflectens du-  
 bius obambularit, quā sit ingrediendum: nec odio dignus, qui nō sem-  
 per firmiter steterit. quamdiu enim uacillantes à nobis nō prorsus de-  
 fecerint, neque castris aduersariorum nomen dederint, pro nobis stare  
 dicuntur: etiam si non tam firmo animo hoc agitent, ut illi qui nuncq;  
 à ueri cognitione deflexerint. nam ut dicit scriptura, Qui non est aduer-  
 40 sus nos, pro nobis est. Cuiusmodi homines quanta cōmiseratione di-  
 gni sint, uel ex eo licebit perspicere, quod animo meliore sui parte cru-  
 ciantur. quanto enim animus corpore est præstantior, tanto necesse est  
 animi cruciatum esse maiorem. Cuius cum sit duplex cruciatus, men-  
 tis & affectionis, alter tamen altero grauior est, mentis enim secum fert.

eum, qui est affectionis: hic uerò non item. Nam cruciatus affectionis est, anxietas quædam ex conflictu spiritus & carnis orta, animum uarijs modis sollicitans, quid uelis: alter uerò, quædam nutatio est animū in dubio retinens, quid credas, nascens ex uerisimilium pugna mentem ita distrahentium, ut homo nesciat, cui parti se debeat dedere. unde fit, ut animo nutans non solum quid sentiat, sed etiam quid uelit, incertus sit. Hic est cruciatus animi uacillantis: quem non parum auget religionis dignitas, qua nihil præstantius esse possit. Nam quo res, de qua quis hæsitat, maioris est momenti, eo angorem animi grauiorem fore certum est.

*Cuilibet parum insolitæ doctrinæ prospiciendum. IIII.*



Ntè omnia igitur occasiones, quæ improbas quasque uacillationes important, summa cura sunt summouendæ: quod quia nostra ætate, ut aliàs quoque, negligenter curatum est, nec adhuc, sicut oportet, sarcitur, uacillantium multifariam plena sunt omnia. Et si nominatim fontes ipsi designandi sunt tantū mali, hos potissimum duos esse dixerim. alterum, quod non sit docendæ plebis seruatus idem tenor: alterum, quod sit librorum excusoribus nimia quilibet excudendi permissa licentia. Cum enim siue hæreseon, siue uacillationum, siue lethargorum, siue ignauitæ, & aliorum id genus animi morborum nunquam non futurum sit plus satis, quippe ex ingénita homini corruptione continenter scaturientium: quantum putas inundabit eorundem, si præter eam quam homines secum ferunt ad mala facilitatem, etiam illi occasiōē dederint, qui & impediendis eisdem, ne nascantur: & ubi eruperint, ilico tollendis sunt præfecti: quod notius est, quàm ut dicere oporteat, inde euenire, quod speculatores citra delectum animarum curam committunt quibusuis: & si idoneos præfecerint, mox uelut somno sepulti, pastores in lupos, doctores in seductores, custodes in dissipatores conuerti patiuntur: ut meritò exclaimare possimus, quis custodiet custodem? Quæ perniciēs ut neglecta initio serpit citissimè, ita ægerrimè sistitur, & ægrius sarcitur. eoq̄ par est diligentissimè, uel priusquàm eueniat, curare, ne oriatur: uel quod proximum est, ut orta quàm primum sopiatur. Quod optimè fiet, si sedulo curetur, ut idoneis doctisq̄ præfectis instituendi uulgi idem usque sit, & perpetuus tenor. Itaque primæ & minimæ dogmatum insolentiaeprouidendum à religionis antistitibus, ne nō sint, cuiusmodi oporteat. non ob id tantum, quod præstet scintillam extinguere, priusquam in flammis euaserit, quæ forsitan restingui non poterunt: uerū ob id etiam maximè, quod uel minima sacræ religionis particula cōuulsa, ipsa mox tota prosteratur, ut libro primo ostendimus. Quot autem sint insolentiaespecies, Paulus locuples testis est, eiusmodi enim dogmata distinguit

distinguit in noua, peregrina, uaria, & inania: quæ dein ceps singula latius diuiduntur. Et noua quidem uide obsecro quanta diligentia scripserit esse exploranda, in fine literarum ad Timotheum, quas ultimas & feruentiore animo scripsit. ubi inter cætera præcepta (quæ ibi non minus præclara, necessariaq̄ docet, quàm multa) hoc unum sedulo incultat quasi alta mente reponendum: O Timothee (exclamatione dormiscentem fortè lectorem experge faciens) depositum serua. quasi diceret, eam docendi rationem, quam tibi præceptor discipulo ueluti depositum tradidi, quæq̄ mihi abs te repositenda est, an qualem tradiderim seruaueris: eam inquam rationem diligenter obserues, deuitans prophanas uocum nouitates. Deinde ut eorum qui hoc faciunt, uenenosum animū exprimat, addit, Et fugiendas oppositiones falso nominatę scientiæ. nihil aliud his uerbis notans, quàm inanem alicuius excellentis eruditionis gloriam, quam nouorum dogmatum diuulgatores uenari solent. Sed uide quæso quantum hic periculi: Quam nonnulli (inquit) profitentes, à fide aberrauerunt. Viden, quod Paulus noua dogmata principium faciat ἀπροσαρτίας: Sed ut hoc magis innotescat, nō illud solum ut nouum dogma habendum est, cuius contrarium passim præcones Euangelicos declamitare uidemus: sed hoc quoque, quod nunquā antea fuit solitum promulgari: aut si promulgatum fuit, non tamen simili modo propositū. Vt si quod prius inter ueritates habebatur, aut prophanas aut scholasticas, nunc dicatur ad sinceram religionem pertinere, aut è diuerso. Non minori diligentia idem scripsit Hebræis, Doctrinis uarijs ac peregrinis nolite abduci. doctrinis, inquit, uarijs, quas tertium: ac peregrinis, quas secundum genus fecimus insolentium dogmatū, ne circumferamini. Quomodo autem doctrina peregrina differat à noua, quid attinet dicere: cum nemo nesciat eam dici peregrinā, quæ alijs quidem iam dudum solita, huic tamen aut loco, aut auditorio insolita est: tanquam merx non hic nata, sed aliunde inuecta. Vt si ea quæ in prophanis scholis ueteri more disputantur, incipiat aliquis in sacris diatribis: aut quæ in diatribis ambiguè (quo modo solet) disceptantur, pergat coram plæbe proponere è suggesto: multo magis, si quæ nec in scholis, nec in diatribis hætenus consueuerint tractari, nedum è suggesto publicari, ea quis ueluti postliminio apud ueteres reperta, nihil tamen ad præsentem populi statum attinentia, cœperit iam tractare, ideo fortassis quod ea auditoribus placitura credat. cum tamen contra τὸ πρῆγον, hoc est decorum, naturamq̄, & loco quo non congruit, hoc faciat: quicquid horum facit, peregrinam doctrinam inuehet. At qui neq̄ nouum, neq̄ peregrinum, sed omnino consuetum aliquod dogma proponit, quod initio tanquam tota oratione prosequendum instituerat, cœpto itinere non prosequens, media oratione aliò prorepat, huius doctrina uaria est. A quo & Paulus optimo iure monet cauendum, quod is mos illis ferè proprius esse soleat, qui aliud simulant, aliud moliuntur:



sub prætextu illius salutaris dogmatis (quod initio tanquã tota oratione prosequendum proposuerant) rerum inter se falsam aliquam cõparationem studentes, tanquã melle litum uenenũ propinare. qd tali exemplo apertius erit: Si quis docere uelit, quod sola opera hominẽ saluum faciant, sed hoc publicẽ tentare non ausus, procemio suæ orationis de operum laudibus se dicturum promittat, eaq; multis & ueris laudibus efferat, donec ad mediũ orationis peruenerit, ibiq; prima propositione neglecta de fide se non minora dicturum polliceatur, faciat tamen hoc parcus, quã in laude operũ prius egerat. Hic tametsi in fide & operibus laudandis nihil (non dico) falsi, sed neq; noui, neq; peregrini adduxerit: quia tamen à re proposita deflexit, censetur sua artificiosa inconstantia, uel potius fraudulentia suasisse auditoribus (non minus ac si à principio expresse dicendum suscepisset) fidem nihil, aut parum facere ad salutem. At multo acrius admonet Paulus, ab inani doctrina cauendum. nam Ephesius scribens ait, Ne quisq; uos decipiat inanib. sermonibus. ad Colossenses uerò multo diligentius: Videte, inquit, (quasi innueret, nisi sagacitatem adhibeatis, nõ facile posse cognosci) ne quis sit qui uos deprædetur, nempe ex improuiso incautos adortus, à sincera rapiens in aliquã supersticiosam religionẽ: per philosophiam, inquit, aut inanem deceptionẽ. insigniter cõiungens philosophiam ac uanitates, quas quartũ genus fecimus insolentiũ doctrinarũ. cuiusmodi fucũ illi faciunt, qui (qd solent garruli philosophiæ ostentatores) inter cetera dogmata probanda, aliquod, etiamsi uerũ, dogma inserũt, quod *ὁὐδὲ μὴ πῶς διόγουσιν*, id est nihil ad argumentũ propositũ faciat: nempe qd neq; id qd simulant, neq; id qd moliuntur, tueat: neq; ut omnia semel dicã, aliquo modo ad religionẽ pertineat, sed saltem ea ratione inter alia religionis argumenta ab illis produciãt, ut ad eam pertinere sub falsa specie uideatur. qd ab ijs qui hoc facere dolo solent, non alio animo fieri certum est, qd ut ijs quẽ uaria ratione uera sunt, unum aut alterũ falsum immisceant, quod sub uerorum acruo asconditum etiam pro uero recipi posset. qui uerò dolo hoc non facit, is uana gloria, aut certẽ stoliditate huc adigitur. quocunq; aut modo faciat, constat minime idoneum plebis esse doctorẽ. Hæc sunt igitur præstigiaticis doctrinæ quatuor, in multa rursus membra distincta, genera: quorũ artifices multis Paulus locis monuit summa diligẽtia esse uitandos, eo quod, ut maximẽ initio nihil falsi tradãt, successu tamẽ temporis cõparantes sibi fidẽ atq; autoritatẽ apud auditores, sensim eò prouehunt audaciã, ut uel gloriã, uel similis rei cupiditate pellecti ad imposturas cõuertantur. Quarũ cum proxima ætate nulla, aut qd minima ratio habita sit, factũ est, ut cõcionatorib. ubiq; gentiũ licuerit, quicquid libuit. Quibus qd uoluerint & no-

40

Pre-

*Prelorum curam magistratum habere decet. V.*



D quæ cohibenda, aut saltẽ impedienda, ne latius serpat, occupentq; tandẽ omnia, illud uideãt in primis necessariũ hac in re, (quanquã et hoc nõ minus necesse est meo quidẽ iudicio in alijs causis) ut qd seuerissimẽ cohibeatur, quã secundo loco dãnamus, licentia, qua nimium lasciuentes hodie pleriq; typographorũ, typographiã rem præclarissimã ad omne malũ publicandum usurpãt. Nequaquã certẽ præclarũ illud auorum nostrorũ memoria apud Germanos, ut pleraq; alia multa, repertũ artificium, & inter summa numinis dona censendũ, in hunc usum, uereor ne pro rei dignitate leuius loquar, excogitatũ fuit. Verum quemadmodũ in omnib. fieri solet, ut qd quæq; res præstantior, atq; eius usus utilior, eo eiusdẽ abusus sit perniciosior: ita & in mirando chalcographiã artificio usuuenire uidemus. hinc em̄ ubiq; terrarũ tota plaustra anilium deliramentorũ, stultarũ historiarũ, publico malo effictorũ rumorũ, spurcissimorũ amorum, obscenarũ cantionum, superstitosarũ preclarum, famosorũ in omnes omniũ hominum ordines libellorũ profiscuntur. quibus præterq; quod referatũ sint passim officinæ, tabernæ, mensæ, etiam in compitis, triujs, foris, atq; omnis generis publicis locis occurrunt: & quasi hoc parũ sit, nusq; non assidue obambulant institorculi, clamq; palamq; huiusmodi ingereutes. Sed non deerant ea, fateor, prisca quoq; temporib. Verum huius artis abusu sit, ut quæ olim pauca in paucorũ, nunc innumera in omnium sinu gestentur, senũ, uirorum, iuuenũ, adolescentulorũ, atq; adeo puellorum, ac puellarũ: perinde ac si data opera ab ipsis penẽ uberibus teneros omnium animos festinaremus omnibus omniũ uanitatũ, uitiorumq; generibus contaminare. Quanta õ bone lesu rudium animorum pernicies: satis magna profectò, & iusta causa, etiamsi nullum præterea malum accederet, cur debeant, qui rerum potiuntur, sedulitate tanta re digna curare, ne summo artificio abutentes astutiores quidam sordidi lucelli gratia, pergant impune amplius omnẽ ætatẽ & sexum perdere, cum flagitiosissima quæq; imprimunt. Hæc tamẽ omnia nihil ad eam rem, quã nunc, ut sunt peruersẽ maleuoli, clanculum cõmittunt quidam omniũ scelestissimi: qui huius artis ope, præstigiaticis (ne quid addã) doctrinis in multa exemplariũ millia transfusis, sicq; in omnes orbis angulos diuulgatis, religionẽ ipsam, hoc est totius probitatis caput atq; fundamentũ demoliant. Quod uirus plusq; uiperinũ, etiã si non tam late serpsisset, esset tamẽ summa cautione excidendum. At nũc præterquã quod nullum sit genus eruditorũ, quos hæc nequitia nõ fecerit huius mali consortes, quippe quod ea indole est, ut gestiat omnes sua contagione inficere (quanquã alioqui homines suapte natura ad omne quidẽ malum proni, ad hoc aut pronissimi sint) inueniuntur tamen hodie pleriq; docti homines huius rei usque adeo studiosi, ex ijs etiam quorũ professio nihil attinet ad religionẽ, ut in libris, quos edunt, quia

D 4 neque

nequeunt in prophano argumento rem religionis tractare) obiter uel in exemplis suę artis, uel captatis etiam pro causa digressionibus, hoc non celent. Imò (ò singularem impudentiam) sunt ex his, qui cum ueterum autorum libris epistolas proponunt dedicatorias, annotatiunculas, paracleses, methodos, censuras, scholia, antidota, argumenta, cõiecturas, aliasq; id genus appendices adiiciunt: sunt inq; qui hic lectores suo illo ingeniorũ letali ueneno clam aspergant. Quid, qd̄ idem audent uetustis autorib. noua somnia adscribere, et ipsos suis uerè autoribus adscriptos libros, imò (horrendũ dictu) ipsa etiã adoranda scripta uerbulo uno altero uel clanculũ aut addito, aut dẽpto, aut mutato, prout cuiq; ad suã rem facere uideat, uitiare. Huius itaq; tam late serpentis cõtagij equidem nõ uideo remediũ, nisi qua dignũ est diligentia curetur, ne uisq; locorũ, quouis idiomate, siue serij siue ludicri libri aut libelli imprimant, uendantur, importent, legantur, habeant, nisi q̄s publica autoritate delecti censors approbarint. ita planè, ut officinę ipsæ excudendorũ librorũ posthac publicę ubiq; autoritati pareant: nõ secus ac iam olim officinę cudendæ monetæ. & hoc tanto maiore sollicitudine, quãto par est existimandũ plus interesse reipublicæ, religionẽ incorruptã esse, q̄ monetam. Ita demũ futurũ crediderim, ut presentaneũ hoc uenenũ non modo deinceps tam facile corripere ac corrũpere passim tã multos desinat: uerũ etiam ut toto orbe præclaro ingenio homines ea prodeuntũ doctrinarũ sinceritate pellecti, maiore & numero & impetu appellant animum ad optimos quosq; autores siue nouos, siue ueteres euoluendos. quorũ nunc animus è cõtrario ob scripturas omnis generis multorum cõmentis infectas tam à ueteribus, q̄ à neotericis autorib. legendis est alienatus. Hac ratione arbitror, ne præsens lues latius grassetur, duas illas pestilentissimas huius scatebras & amputandas, & compescendas.

*Quatenus ad unumquęq; pertineat fulcire uacillantes. VI.*

**M**ul̄i in hunc angorẽ inciderunt, summo animi cruciatu hæsitantes, in quã sententiã eant. Hęc prima (ut nunc sunt tempora) & amplissima messis, in horreum Dominicũ inuehenda. Nam qui pertinaciter ita alicui opinioni adhæserint, ut ab ea nullis neq; precibus, neq; minis diuelli se patiantur, sed firmiter sui animi cõceptum defendant, nõ possunt (si etiam doctissimus quisq; omnes suas uires ad hos reducendos exprompserit) in rectam uiam reuocari. quoniã (ut superiore libro ostendimus) laterem lauat, qui eiusmodi homines docere conatur. Contra uero fit in uacillantibus, qui sanis rationib. auditis, non minus firmiter credunt, ac illi qui in his docendis fidelius insudant. Porro nõ omnis uacillatio improbanda est, sed quædam tolerabilis, quædam etiam laudanda. Nam si sollicito mihi de sana religione (ut fit) nouũ quid occurrat, tanq; ad religionẽ pertinens, cuius fortè utramq; partẽ discutiens, neutrum tamen amplectar, donec utra uerior sit, mihi

fit, mihi planè sit cõpertum: quis non dixerit hanc animi mei cunctationem, si laudare nolit, saltem tolerabilem? Et si exoriens quispiam religionis præco incognitũ dogma incognitus magno fastu detonat, qd̄ ego dixerim diligentius expendendum, priusquã uel laudem, uel damnam: quis hoc non etiam laudi uerterit? Veruntamen nõ me latet, qd̄ qui iam prouectiore ætate est, non sine magno crimine eorum aliquid reuocet in dubium, quæ cum esset initiandus Christianis mysterijs, patam professus est: uel initiatus consueuit solenni ritu statis temporibus re ipsa exhibere. Verum in cæteris rebus quamuis etiam firmiter Christiano homini credendis uacillatio, quæ in uno religionis cultorum esset uituperanda, in altero tolerabilis, aut etiã laudabilis esse potest, pro modulo uidelicet ingenij, & ordinis gradu, quem in religioso sodalicio sibi quis uendicat. Quin cum nemo hominum teneat axiomata omnia Christianæ religionis: rursus neq; ea ipsa quæ memoria tenet, exacte intelligat: profectò nemo est uel sapientissimus, qui non etiam absque noxa dubitet de quibusdam. præsertim cum neq; hoc facile sit decernere, quantum quisq; religionis debeat pro modulo ingenij, uel gradus ordine expresse tenere. Est proinde omnibus, cuiuscũq; ingenij uel eruditionis fuerint, summo studio conandum, si uelint uerè homines dici, ut quæcũq; ad religionẽ attinent, pro suo captu diligenter inuestigēt, donec eorũ cognitio innotescat: & ea quę mentẽ angunt, eò usq; excutiant, donec quid certò debeat credi, nihil hæsitent: & si quid erit quod periculosius animũ uexet, doctior qui est, id depellat. hanc enim curam debet Christianus uacillanti. Nam ut frater fratri ægrotans, & parentis filius ualetudinarius maiori curæ sunt, quã si rectè ualere: ita uacillantes cuiuscũq; siue generis siue ordinis sint, debent Christianis maiori curæ esse, quã qui in religione perstant immobiles. ex eisdemq; ad sanam mentẽ reductis non minus, imò plus gaudij concipere, quã ex illis quos nunquam aberrasse constiterit. Hoc autem non solum eximia doctrina præditis, sed omnibus quotquot in religionis sodalicio cõtinemur, uidetur Petrus præcepisse. ut sitis, inquit, parati semper ad respondendum cui libet petenti, ut loquamini de ea quæ in uobis, spe. Hęc non solum doctoribus esse dicta, facile ex illis colligere licebit, quę cum his cohærent. cum enim alios mulieribus, alios uiris præscripsisset mores, sermonẽ ad utrosq; conuertens, inquit, Sitis parati, etc. Hoc nõ minus clarè testat Paulus, cum maritis magisteriũ concedit in cõiuges: his contra præcipit, ut publicè cũ silentio audiant: et si qd̄ discere uelint, domi uiros suos interrogēt. ubi maritis officiũ traditũ uides, ut uacillantes uxorũ animos suffulciat, etiã si doctores nõ fuerint. tã sollicitè mandauit Deus unicuiq; de proximo suo: ita ut improbus omnino sit, qui cõtra hoc uel hiscere audeat. q̄s ergo nõ laudabit, qd̄ ipse Petrus præcepisse uidet, si ancilla dominã, filia matrẽ, socia sociã, et præsertim si ethnica fidelẽ interroget, altera alterã prõpte et beneuole, et (ut Petrus ait) cũ

mansuetudine & reuerentia ita doceat, ut ambiguitatibus satisfecisse uideatur: ut spem, quæ in ipsa est, fidemq̃, cui illa spes innitur, poscentibus & doceri cupientibus exhibeat. Sed hoc tantū intelligendum est iuxta modum, & gradum suæ conditionis & facultatis. aliud enim est edifferere aliquod dogma, aliud interrogationi cur hoc, & qua spe facias, suauiter respondere. Nam illud perfectionē quandam sonat: hoc uerò non. Hoc intelligebat Petrus cum diceret, De ea quæ in uobis est, nempe ut quisq̃ pro suo modulo & ingenij, et uocationis gradu responderet. Idem innuere Paulus uoluit, cum dicit, Ne quis arroganter de se sentiat, suprâ quàm oportet de se sentire, sed ita, ut cuique Deus partitus est mensuram fidei. Altiora qui interrogant, remittendi ad eos qui præter gradum, etiam sapientiam eminentiorem consecuti sunt. Nam hi maiori diligentia id curare debent, ut quibus id officij præcipue incumbit: cæteri solum fraternæ uacillationi, quantum uires ferunt, occurrent.

Ad Rom. 12.

*Quomodo lethargici & religionis neglectores curandi. VII.*



Ed in ijs sanandis, quos modò uenenum corripuit, par est medicorum consilium imitari: qui si corporis mala nequeant omnia, certo quodam ordine, atque illud prius, quod uel grauius lædit, uel aliorum causa est, depellunt. Erit itaq̃ prima cura adhibenda lethargo, qui est grauissimus animi morbus ex ijs, qui medicam manū non recusant. deinde ignauo seu neglectori succurrendum erit: non nihil em̃ iam promouit qui *ἄν λήθαργου* abegit. tum ad extremū uacillantibus remediū adhibere oportebit. Lethargico itaq̃ in primis proponendum erit, in rebus esse aliam aliā præstantiorē, ut spongiam plantis, brutum spongia, hominem brutis, solem astris, coelum elementis: omnium autem id esse præstantissimū, quod ab omnibus uernacula lingua Deus appellatur. hoc præterea, quo quæq̃ res dignioris efficacix fuerit, eo præstantiorem existimari: ut res sentientes rebus non sentientibus: illis autē præferri res intelligentes. & inter res intelligentes, quo quæq̃ uel plura, uel meliora, & ea perfectius intelligit. Inculcandum & hoc, cognitionem rerum futurarū magis esse admirabilem, quàm sit qua præterita cognoscimus: præteritorum nobiliorem, quàm sit qua præsentia intelligimus: eam rursus qua abstrusa cognoscuntur, ei præstare qua lustramus in aperto posita: sic & eam quæ præter seipsam & alias res cognoscit, præstantiorem esse ea quæ tantum sui solius cognitionem habet. summam autem cognitionem esse prouidentiam illam, quæ planè omnia cōplectitur: hoc est, quæ uniuersa nō solum præsentia, sed præterita etiā & futura, sensibilia & intelligibilia, tum abscondita, tum manifesta, quàm perfectissimè cognoscit. Hanc, diuinam prouidentiam appellari dicemus: sicut eam naturam diuinam,

nam, quæ omnium rerum nō solum sensibilem, sed & intelligibilem, nec solum manifestarū, sed & occultarū perfectionē summo, quo fieri potest, gradu cōprehendit. His et similibus propositionū explanationibus efficies, ut quisquis ille sit (si planè lapis nō sit) ad id ducatur, ut incipiat saltē cogitare, an Deus sit, an sit summè bonus, an sit omniscius, aliaq̃ similia, in quib; religionis principia cōsistunt. Quo facto, etiam si tantum non effeceris, ut certi quid statim de ijs sibi statuatur, quæ docuisti: amabili tamen quadam metamorphosi fecisti hunc ex lethargico, uno gradu propinquiorem sanitati. habet enim hic iam quādam principiorum cognitionem, et animo eadem utcunq̃ reuoluit. Deinde eius animo inculcandum, quòd maiori culpæ obnoxius futurus sit, si ueritatem ad mentis suæ ostium iam pulsantem non intrōmiserit. Necessè proinde erit, ueritatis eum amore uehementius inflāmare: dignisq̃ laudibus ueritatis pulchritudinem, utilitatem, & necessitatem apud eum prædicare, atq̃ ostendere: non hominem, sed humana specie beluā fore, si ueritatem ultro sese ingerentem contemnat. Post has & id genus exhortationes commonstres rationes quasdam (nisi ipse hoc ultro faciat) ueluti ueritatis inueniendæ uestigia oportet, quas secutus, facile sit desideratam ueritatem, ceu prædam comprehensurus. nam illa non ita statim omnibus ob oculos uenit. Si enim res laude aliqua dignæ difficilioris sunt inuentionis, certè ut ipsa ueritas sit quàm maximè abstrusa, necesse est: ut quæ omnium rerum laudabilem primum fundamentū est. quod præclare etiam testatur de multitudine rerum temporaliū loquens sapiens ille, cum exclamatione: Cunctæ res difficiles, non potest eas homo sermone explicare. Sed neq̃ hoc ethnicos præclaro ingenio homines latuit, quorum hic quidem indagādi uerum strictas esse semitas dixit: ille tenebris esse circumfusa omnia: alius, ueritatem in puteo demersam sic alto, ut nullus possit attingere: alius, post tota uitā exantlatos inuestigandæ ueritatis causa labores exclamauit, hoc demū scire se, quòd nihil sciret. Quod ipsum eo cuiq̃ etiam magis euenire, quo fuerit doctior, pulchrè Menedemus notauit, quū ait: qui Athenas se conferrent, primū esse sapientes, deinde fieri philosophos, postremò idiotas. Atq̃ hæc quidem ea difficultas est, quæ ex ipsa re cognoscenda oritur. At est præterea & alia quædam, eaq̃ grauior, quæ oritur ex ipsa animi nostri inconstanti fluctuatione, qua fit, ut uerum etiam sedulo quærenti aliæ plerunque res occurrant, quibus homo ab re instituta distractus, aliò mentem destinat. quam humani animi inconstantiam idem sapiens eodem libro graphicè depingit, dicens: Verti cor meum, ut discerem, & inuestigarem, & quærerē sapientiam, & rationis acumen: scirem quoq̃ impietate, stultitiam, insipientiam, atq̃ amentias: & ecce solū modo hoc inueni, quòd Deus fecerit hominē rectū: ipse autē se infinitis immiscuerit quæstionibus, aut (ut quidam neotericorū uertit) ipsi aut quæsierūt ad inuentiones multas. Hæc ille. Quæ sic ultro occurrētes animorum

10

20

30

40

Ecclesia. 12.

Ecclesia. 1.

Ecclesia. 7.

morum cogitationes, ut plurimū false sunt. cum enim uni ueritati plura falsa respondeant, facilius euenit, ut in aliquod eorum quę multa sunt, incidamus, quàm in id quod certum est. Sed ut acciderit omnes ueras esse, si alienę tamē sint ab illo uerò, quod unum quærebat: aut sint, ut optime acciderit, partim proprię, partim alienę: profectò occurrentiū rerum diuersitas, si non multum lædat, mentis tamen intuitū à ueri, quod querebat, consideratione auertit, ut non progrediatur quò instituerat. Sed fieri potest, ut à priore instituto mentem non distrahant. eę tamen cogitationes, quę alienę sunt ab instituto, sæpe uehementius se offerēt: sæpe etiam plures erunt, quàm eę quę idoneę sunt ueritati inuestiganda: ideoque ad illarum aliquā facilius se mens conuertet, ubi inuestiganda ueritatis nullum est uestigium. Quod si pari & numero & luce occurrant, nescio quā hominum infortuna accidit, ut ad alienas tamē sapius se conuertat, quàm ad eas quę quęsitę ueritatis uestigia ostendūt. & hæc quidem altera difficultas est inueniendi puram ueritatem. Iam uerò cum hostilis ille spiritus humano profectui nunquam non insidietur, atque uarias quærat occasiones, ut in calles suos prædam compellat, nihil tamen prius habet, quàm ut hominem à ueri, & præsertim religionis cognitione, quę omnium uirtutum basis est, abducatur. aut si hoc non potest, suis technis efficiat, ut adductis in contrarium fucatis uerisimilitudinibus, à ueri cognitione, quam iam adeptus erat, homo decidat. Huiusmodi constat fuisse primum illum assaultum, quo spiritus ille malus primos humani generis parentes à ueritatis cognitione, quã eos Deus docuerat, deturbauit. quo modo & postea Christum quoque conatus est per scripturę fucum in eum errorem pertrahere, ut superuacanea Dei fiducia fretus sese præcipitaret. Qua ex causa impostor ille, uocatur Paulo spiritus erroris: Ioanni autem, seductor orbis uniuersi. Quò etiam Paulus respicit, quando commemorat doctrinas demoniorum. Ex his igitur tribus causis, difficultates totidem oriuntur inuestigandę ueritatis. Faciunt etiam hæc cognoscendę ueritatis difficultates, ut dum neglectorem erudire, atque eius quęstionis ueritatem docere laboras, quã cogitabundus animo uoluit, & alias ei post alias rationes inculcas, quę ad illius quęstionis confirmationem facere uidebuntur: faciūt, inquam, hæc cognoscendę difficultates, ut priores nostras rationes non tam cito approbanti, quàm intelligenti, alię rationes (si nõ studio, certè uel ultro, uel ex diabolica impostura) occurrant, quę ipsum ita in contrariam partem rapiunt, ut miser stet inter has quę sic occurrunt, & eas quas tu adduxisti, ueluti medius & dubius, ad quas se inclinare debeat. Ex his si neutrę alteris cedant, fiet ex neglectore ambigens: si illę uincant, quę aliunde occurrerūt, fiet discrepans. at si præualeant, 40 quas tu adduxisti, iam trepidantem feceris: qui est proximus ad sanitatē gradus. Hactenus quomodo ij qui pessimo lethargo & negligentia laborāt, curandi sint: nunc alijs duobus remediū adhibeamus. Hos siue

lethar-

lethargicos, siue neglectores, facile erit ex naturalis religionis cognitio iam principijs, perducere ad summę illius quęstionis cognitionem; quę religionis inspiratę initium est: num scilicet Deus (qui plus est quàm humanę mentis imbecillitas queat comprehendere) res aliquas arcanas, quas per se non possit, auxilio autem diuino possit homo intelligere, electis ad hoc hominibus peculiariter reuelarit. Quod ubi suaseris, ostendendū, si qua diuinitus in ulla natione reuelata sunt, non esse uel alia, uel certe potiora, quàm quę in ijs scripturis digesta sunt, quas sacras uocamus. tum declarandum, ex ijsdem scripturis eos articulos pro compendio excerptos esse, qui Christianę religionis symbolum uocantur. denique ad extremū dictis symboli articulis proximo gradu adhærere eas res, quas solenni ritu Christianum sodalitiū certis temporibus publicitus exhibet. Hoc modo reddideris & hunc ex neglectore uel discrepantem, uel ambigentem, uel trepidantem. Lethargicos autem et neglectores tertij generis, hoc est qui circa unum aliquod quod profiteri oportet, male sunt affecti, interrogare oportet, num quadret aut summę bonitati in minimo decipere, aut summę sapientię in minimo decipi. tum articulum, uel religiosam obseruationem, circa quam haud recte affectus est, ex diuinitus reuelatis necessaria consecutione inferre oportebit. & sic, ut statim diximus, reddideris uacillantem, hoc est uel discrepantem, uel ambigentem, uel trepidantem. His quomodo succurrendum sit, nunc considerandum.

Quomodo uacillanti medendum sit. VIII.



T medicina pharmaca damnant, quę humorem uiciosum cient quidem, at non eijciunt: ita & in uacillantibus sanandis agendum erit, ne quis hunc animi morbum suscipiat curandum, nisi diligenti præmeditatione rationū formas, scripturarumque locos paratos habeat, ut aciem instructam, quo penè certa spes sit uictorię. periculum alioqui erit, ne quem expectas reductū iri, non solum non reducatur, sed etiam turbetur magis: ut qui sic ad controuerse rei considerationē obtusior euadat, quàm fuerat prius, & proinde morbi quoque tenacior. Quapropter meo quidem iudicio, hoc præfenti tumultui sedando ualde fuerit necessariū, ne passim cuilibet liberū sit semet ingerere, ad uacillantes siue lingua siue calamo reducendos: sed tantū publica ad hoc autoritate delectis liceat, ne dum sutor, quod aiunt, ultra crepidam, illius unius ineptudine fiat ridicula hostibus, reliqua uerę religionis multitudo. & quod plus est, ne in ipsa religiosorū cohorte, qui non erant uacillantes, efficiantur: & qui prius fuerant, magis uacillare incipiant, cum imbecilli & minus ualida rationatione, ueluti pharmaco non satis forti illorum animi mouentur, sed non uincuntur. Ut autem istud sceleriter præstes, nihil in hac re prius erit, quàm ut exordium sumas, quod rei quam docere conaris, et illius ingenio quent

E docen.

docendum suscepisti, conueniat, & aptum sit. quorum alterum si defuerit, frustra sudaueris, quantumcunque labores. Sed nec ista suffecerint, nisi materia docendae parem te etiam fore credas: ut illud Horatii nobis dictum putes, Sumite materiam uestris, qui scribitis, æquam Viribus. si secus feceris, te illi & omnibus deridendum expones. Non igitur cuiusuis erit hoc foeliciter prestare. Hic enim quamuis difficile forsitan tibi non fuerit cognoscere, aptum ne sit & rei docendae, et tuis uiribus exordium, quod sumpseris: non tamen ita facile erit perspicere, an eius ingenio, et eruditioni, quem docendum suscepisti, respondeat: quod nosse non poteris, nisi ex longa cum illo consuetudine. Vt itaque aduersus omnem casum paratior sis, optimum erit, uaria huic materiae apta exordia ad manum habere: ut hac uia si non successerit, alia eum aggrediaris. qua de re multa à nobis dicta sunt libris superioribus: quare his nunc super sedendum arbitror. Sed nec sic hoc negotij satis foeliciter exequenturi sunt, nisi & ea dexteritate praediti sint, quam solemus in magnis medicis laudare: id est, ut religiosarum rerum egregie docti, neque minus humanæ mentis infirmitatum tractandarum periti, noscant etiam sollerti animi acumine earundem origines et occasiones considerare. Tanti refert, ueram morbi causam cognoscere. Qua probe perspecta, ueluti iam uia gnarus, qua eundem sit, facile uideris, quid conuellere oporteat, quid contra corroborare. Et si uerum est quod Comicus scripsit, Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur: ambigens, quoniam rationibus utrinque ueluti in æquilibrio pendentibus agitur, si uel modicum aut ueras corroboraueris, aut conuulseris contrarias, illico feceris ex ambigente trepidantem. Pari modo, sed maiori negotio, ex discrepante feceris ambigentem, si praeualentium rationum turbam ita infirmaris, ut uis rationum contrariarum (tamen si eadem quæ prius) magis magisque emicans, incipiat tandem illis æquiuale: aut si eas rationes quæ uidentur succumbere, sic corroboraueris, ut aduersariarum per hoc rationum uis facile contemni possit. Illud notius est, quam ut ad monitum oportuerit: quo circumspicius egeris cum huiusmodi uacillante, eo ille ex trepidante euasurus est constantior. qua tamen sola uia nunquam eum firmum reddideris. Firmitas enim persuasionis omnem planè humanam industriam exuperat. Nam adductis quotquot uolueris, & humanum ingenium inuenire potest, cogitationibus, quibus & tuas rationes corrobore, & aduersarias infirmes: ut feceris forte ex trepido magis magisque constantem, nihilo tamen feceris firmiorem, nisi & tuæ operæ & illius conatui propitium numen aspiret: quippe sine cuius singulari afflatu ne mediator quidem noster, qui caput est inspiratarum religionum, agnosci potest. nisi quis Paulum dicat falsum scripsisse Corinthijs, Nemo potest dicere Dominum IESVM, nisi in spiritu sancto. monuit idem ad Ephesios: Gratia, inquit, seruati estis per fidem, idque non ex uobis, quippe quod donum sit Dei. Potest itaque trepidans

1. Cor. 12.  
Ephes. 2.

dans humana diligentia & animari, & constantior reddi: sed nequaquam ad perfectum, qui religioni debetur, assensum adduci, nisi in his quæ ex ijs principijs descendunt, quibus iam per gratiam numinis assentitur. Quomodo autem primum progrediendum sit, ut religionis firmitatem assequamur, pulchre docet Paulus ad Hebræos: Qui accedit, inquit, ad Deum, etc. nam uerbum accedendi usurpans, initium planè indicat non displicentis Deo uitæ. Qui accedit, inquit, ad Deum, hunc credere oportet esse Deum. ecce primum quod credi uult à suis Deus, cui mox addit secundum, Et esse remuneratorem quærentibus ipsum. Hæc duo quo pacto sint religiosæ cognitionis primordia, facile est colligere ex eadem epistola, dum eorum textit catalogum, qui per fidem placuerunt Deo. ut inde fateri oporteat, fidem, de qua eo loco sermo fit, rem esse minime omnibus obuiam. Quantum autem differant, assentiri Deum esse, et credere Deum esse: item, assentiri Deum prius fore remuneratorem, & hoc ipsum credere, etiam si nusquam alibi legeretur, prædictus scripturæ locus uel solus satis explicat. Illud enim commune est omnibus penè hominibus: hoc uero Paulus in dicta epistola diligentissime ostendit, peculiare fuisse paucis electis. non enim difficile est cogitare Deum esse, atque assentiri eum esse bonorum hominum remuneratorem: quum ex naturæ lege consentaneum sit, beneuolis beneuolentiam, beneficis beneficentiam uicissim rependendam. Hoc ipsum autem credere, non tam facile est. horum differentiam explicuimus latius libro primo. Inter omnes ergo humanæ mentis firmos assensus dicti duo primatum obtinent, & ex ipsis quælibet alia religiosa cognitio deducitur. Ex ijs enim progressus, facile persuaseris, usque ab orbe condito Deum illis qui diligerent eum, maiorem rerum excellentium cognitionem reuelasse, atque inter diuina munera reuelationes diuinas non esse postremo loco habendas: easque (si usquam alibi) præclarissime omnium inueniri in scripturis, quas sacras appellamus. tumque monstrata scriptura quæ rem controuersam euincit, æquè facile persuaseris, nisi fatearis eo loco sacram scripturam falsam esse, oportere id de quo quæstio est, uerum esse, utpote ex illo loco necessaria consecutione aut longè, aut propè deductum. Qua deductione abs te satis explicata, atque ab illo item recte perpensa, non poterit non libenter, si modo pertinacia, aut ingenij obtusitas non obstiterint, sententiæ tuæ acquiescere.

*Quomodo occurrendum his, qui in ijs quæ religioni affinia sunt, errant. IX.*

**S**unt præter hæc & alia, eaque non pauca, quæ quamuis non planè ad religionem pertineant, ita tamen sunt religioni affinia, ut si inter religionis sectatores super his discordia exorta fuerit, conuictus non queat consistere tranquillus. huiusmodi sunt patrum ex diuinis scripturis profectæ dissertationes, quæ primum in scholis diu multumque iactatæ, unde eas primo libro scholasti-

cas quæstiones nuncupauimus, tandem in uulgus longe lateq; dimanarunt. quas tametsi non omnes, aliquas tamen diuulgari admodum utile est: quippe sine quibus nequeas discutere, tam multos suborientes in uulgus hominum scrupulos, ut primo quoq; libro ostendimus. Conuenit aut inter acutissimos, eas uniuersas uelut in tres classes diuidi: ita ut maxima pars earum sit, quarum utrancunq; uelis, siue affirmatiuam, siue negatiuam partem, sine periculo tueri possis. has uocare potes utrinque probabiles: quæ tam multæ sunt, ut superuacaneum sit exempla proferre. Quarundam uero neutram partem seorsum, at bene utranq; simul, ceu æque ambiguam licet defendere, quod eas neutram in partem expediat nos certò cognoscere: quas uocare licebit utrinq; ancipites, ut sunt illæ quæstiones, quas multi etiam in scripta redegerunt, de coniectura diei nouissimæ. Tertia classis, earum quas uentilari quidem in utranq; partem non sit inconueniens, sed non nisi in alteram partem fas sit defendari. Et huius generis illa sunt, quæ tametsi nondum compertum est pertinere ad religionem, constat tamen nouos simul et ueteres scriptores hæcenus in unam omnes de his sententiam conuenisse: quam sententiam propterea uocamus receptam. Cum enim scholæ in hoc institutæ sint, ut in eis acuantur ingenia ad hæreticorum confutationem, uacillantiumq; corroboracionem: oportet totas in hoc uersari, ut etiam ea quæ uerissima sunt, quia à peruicacibus ita, ut fieri uidemus, negari possent, doctorum aliquo modo hanc, modo contrariam partem tuente, cæteri omnes ueluti umbratili quadam pugna, quanto possint ingenij artificio eadem conentur conuellerè. nihil enim potest uel tam consentaneum, uel tam absurdum inueniri, quin liceat, imò expediat quoq; in diatribis in utranq; partem agitari, quamuis non defendari. nam ut sustinenti partes defensoris in glorium esset, aliquod per se notum defendere, quippe aduersum quod non habeat humanum ingenium, aut certe uix habeat, quod cum ueri similitudine saltem opponat, qua posset inescare incautos: ita uel boni, uel prudentis uiri de se apud alios opinionem minueret, qui prodiret in eiusmodi arenam, defensurus id quod constat omnibus esse falsissimum: neq; etiam gloriosum esset antagonistis huiusmodi falsum conuellerè: illiusq; esset intolerabilis arrogantia, qui se hoc defendentem existimaret nullius posse ingenio prosterni. Quare par est in scholis eius generis quæstiones disputandas proponi, quæ sunt utriq; laudem allaturæ, oppugnantibus quidem acrimoniæ ingenij, defensori uerò circumspectæ eruditionis. Ex tertij autem generis quæstionibus eæ sunt potissimum cautè tractandæ, quæ hominum quotidiana commercia respiciunt: eo quod si de his populus incipiat dubitare, quæ hæcenus consueuit habere pro certis regulis instituentiæ uitæ, illico toto orbe uniuersus hominum cõuictus perturbabitur: ut sunt innumeræ illæ diu multumq; agitate quæstiones, de contractibus siue simoniacis, siue usurarijs, quos & si non liceat forsan firmiter appro-

approbare, quia nondum compertum est planè ad sinceram religionem eas pertinere, expedit tamè his fortissime assentiri, post firmum illum assensum, quæ soli religioni debemus: nimirum ut religione incolumi, sit et cõuictus religionis, quantum fieri potest, tranquillus. Quamobrem & hic debet pastor quibuscunq; potest rationibus sollicitus esse, ut in aliquo horum uel discrepantem, uel ambigentem, aut etiam lethargicum, mox quibus poterit, ex scripturis tum sacris, tum prophanis, sumptis quam uerissimimis rationibus, reddat, licet non firmiter, tamen constanter assentientem.

10 *Quas formas Apostoli tradiderunt ad errores conuincendos. X.*



10 **N**ec fuerit fortasse difficile pastoribus hanc curam, & sollicitudinem adhibere, si ilico (ut primum de aliqua siue religiosa, siue scholastica ueritate unus aut alter ambigat, aut discrepet) dicto modo festinarint laboranti succurrere. At quid facias, si per longam moram hoc malum penè omnes, uel certè plurimos religiosi sodalitij cõsortes ita peruaserit (quomodo nunc ferè euenisse uidemus) ut contra sententiam, suamq; illam sententiam neq; prorsus dissimilibus ueri rationibus mordicus asserentium, penè æqua pars sit, aut etiam numerosior: Liqueat profectò, eo euentu sollerti arbitro opus fore, qui eiusmodi animorum procellas prudens compefcat. Cuius tamen opera inanis futura est, nisi ea quoque sit autoritate præditus; ut decreto suo sint uniuersi protinus obtemperaturi, ubi super re controuerfa iudicium suum seriò protulerit. Quale tribunal an nobis è cælo expectandum, an relictum in terris (quomodo in ueteri lege habebant propitiatorium) an potius sit in hominibus inueniendum, in quibus quoq; & qualibus: hæc summa est, fuit, atq; erit semper omnium digladiationum, quæ inter nouæ religionis sectatores oriri possent. Et quamquam Christianus orbis diuisus sit hodie ob innumeros errores in factiõnes innumeras, harum tamen sex esse quasi præcipuas uidemus. Nam hunc summi tribunalis honorem aliqui tribuunt sacris literis, alij toti Christiano sodalitiõ, quidam summo præfulum senatui: non pauci collegio piorum, atq; à Deo electorum hominum, quos sibi solis notos esse putant: nonnulli sibi ipsis id honoris uendicant, ut suum unicuiq; supremum tribunal sit, quem in se habent, ut aiunt, Diuinus spiritus: sunt qui hoc ascribunt Romanæ sedi. Quæ iam sententia ex his enumeratis uera sit, illa demum mea est desiderabilis præda, quam toto hoc opere uenari constituimus. Sed nunc modum ipsum curandi uideamus. Stultissimè, meo iudicio, & perniciosissime faciunt, qui undecunq; ortam hæresim mox traducunt, ueluti palam confutandam popularibus concionibus. Nam dum hoc faciunt, efficiunt sanè, ut qui error prius unius fortè, aut alterius mentem concutiebat, incipiat animos complurium perturbare, si non conuellerè: ut est humanum ingenium &

audum rerum nouarum, & in cuiuslibet noui deteriore ferè partem procliuius. Eo ergo modo agendum erit, quem antesignani illi nouæ religionis suo olim exemplo dilucide tradiderunt. hi enim concionum, disceptationum, & consultationum formas nobis reliquere. Nam concionum formam nusquam ferè non habes, tam in Actis, quàm in Epistolis apostolicis. disceptationis autem, præclare habes eo loco Actorum, quo discipuli disceptant aduersus Petrum, quod ad baptismum admitterat incircumcisos. & in epistola ad Galatas, ubi Paulus enarrat, quam disceptationem habuerat Antiochiæ aduersus Petrum, super obseruatione eorum quæ legis essent: & sæpe alias, ubi disputauit aduersus Iudæos, aut Græcos. consultationis uero exemplum eo loco Actorum pulchre describitur, quo Petrus et Paulus & Iacobus, cæteriç seniores super eadem controuersia in commune conferunt. Quas tres agendi uias non alio inter se differre constat, quàm quòd concio sit unius, qui multos ueluti sponte sequentes sua oratione ducit: disceptatio, duarum plurium uel partium à se mutuò dissentientium: consultatio uerò, plurium super re communiter ad ipsos attinente, in utramq; partem conferentium. Et propterea concionantem quidem nemo reprehendit: contra uero disceptantes, se ultro citroq; coarguunt: consultantes uerò, sine aliqua contentiosa redargutione multorum sententijs propositis et examinatis, tandem illis accedunt, quæ uidentur ualidioribus, euidentioribusq; rationibus confirmatæ. Nec omnes uno & eodem modo duci uolunt: sed ita natura comparatum est, ut pro ingeniorum diuersitate diuerso modo reduci soleant. Nam plebei suapte indole magis ducuntur splendidis concionibus: contra uerò ingeniosi, trahi malunt acutis disceptationibus: assueti autem rebus moderandis, solent grauitate consultationum plus commoueri. Pro alia igitur & alia conditione hæresiarchæ, est eidem hæresi aliter et aliter occurrendum. Error ergo docti hæresiarchæ mox coram eiusdem populi doctis tantummodo hominibus conuellendus: uia quoq; qua docti consueuerunt uehementius moueri, hoc est disceptationibus. Primatis uero uiri error maturis consultationibus euincendus, neq; id coram alijs quàm eminentibus authoritate uiris, ut hac uia sine aliorum periculo hinc citius præmuniatur, qui propterea quòd eiusdem ordinis sint, magis uicini creduntur contagionis periculo. hos donec non peruaserit error, facile etiam non poterit ad alios penetrare. Cæterum maiore cautione opus est in conuellendo errore hæresiarchæ plebei. Nam cum hoc oporteat facere coram plebe, & populari concione, omnino oportebit id ea orationis forma fieri, quam uocant rhetores insinuationem. Atq; hic erit diligenter obseruandum, ne speciem præ te feras, quasi aliquod nouum dogma sis confutaturus. ita enim illis qui adhuc integri sunt, cautum erit, dum hoc astu fallis illam audiendi noui dogmatis libidinem, quæ alioqui ad primam nouæ rei significationem illico sese esset erectura, insu-

per

per sic errore iam inescatos, ceu incautos, nihilq; renitentes ex improviso adortus, suauius faciliusq; emolliueris. qua in re habes graue, prudensq; Dionysij Areopagitæ consiliū, in epistola ad Polycarpum. Sed si omnes inuasit error, atq; disturbauit, succurrendum erit in primis digniori ordini: non secus ac solent chirurgi, præcipui membri præcipuam habere rationem, cum totum corpus curare uolunt. Nam sicut mobile mutatur semper cum principe uulgus, ita rudes & imperiti ab ingeniosioribus plerumq; pendent: ut frustra inferioris conditionis homines correxeris, superioribus neglectis. Nec statim suffecerit ista ratio, nisi ex his diligentius medeamur illis, qui pertinacius errori adhaeserint. Hi enim non suo solum, sed & cæterorū eiusdem corporis membrorum periculo ægrotant, ut his ægrotantibus nequeant, aut certe uix queant alij sanari: contra, si illi prius pristinae sanitati fuerint restituti. Sed ut corruptos humores sequi solet tabes, nō solum carnes, sed et ipsam medullam ex intimis ossibus exugens: ita (proh dolor) hac longa pestilentissimorum errorum mora adeò totum penè Christianæ rei publicæ corpus contabuit, ut nescias, unde eius cura potissimum sit inchoanda, nisi circa digniorem, ut dixi, ordinē publica authoritate fungentem prima cura instituatur. hoc enim ordine reducto, non solum plebei, sed & eruditorum magna pars eorum sententiæ subscribent: & si qui perstiterint in errore, summam uirorum metu pestilentem saltem liuidi oris sui petulantiam cohibebunt. quo impetrato, spes est nec uana, ut arbitror & opto, præsentis errores celerius, quàm creuerint, interituros.

*Quod diligens omnium quæstionum consultatio fieri debeat, ante summum congressum. XI.*

**C**æterum tam primatum, quàm ingeniosorum & doctorū uirorum animos, priusquam grauiora tententur, censo preparandos, longe alia ratione & modo, quàm proxime factum fuit. Nam consultationem quandam ab utraq; parte super suscepto negocio fieri uellem, ut suarum uirū hinc inde quot fieri posset modis, periculum facerent ante summum congressum: data unicuiq; cuiuscunq; etiam status & conditionis fuerit, copia & libertate, sui animi sententiam exprimendi. Et dubium non est, quin sic alia proponentur, quàm quæ proximo (quod uocant) colloquio contentiosius inter paucos quosdam hinc inde tractata fuere, idq; quasi illa fuissent præsentium controuersiarum præcipua. nihil enim eorum attigerunt, quæ necessario præcedere oportet: de ratione scilicet et modo conuocandi, agendiq; summum conuentum: de authoritate ipsius, & alia id genus. Quæ nisi prius discussa sint, omnis conuentus inutilis erit, imò et perniciosus. Quin si & hæc & alia, quæ uel necessaria uel præcipua sunt, tractauissent, deq; omnibus planè inter eos conuenisset, nō crediderim tamen alios, qui plurimi sunt, doctos, seuerosq; homines li-

E 4 bentes

benter fuisse cessuros illorum quantumlibet eruditorum authoritati. ut prætereā, quod in tam paucos, remq̄ apud se tractantes facile incidisset suspicio corrupti muneribus iudicij, si aliter quàm prius, uerbo, scripto uel ipsos constitit docuisse, nunc statuissent. Si uerò huiusmodi fieret consultatio, seu colloquium, ut me optare iam dixi, in apertam lucem uenirent non solum quæstiones, sed & ipsa quæstionum momenta, quæ præter doctos etiam minimi faciendi homines in pectore gerunt: sicq̄ detegerentur omnes omnium qui curandi sunt, morbi: nec laterent falsæ illæ doctrinæ, quæ hodie in tam multis pestilentissimis, & uario idiomate conscriptis libellis circūferuntur, ut uix homo suffe- 10  
cerit perlegendis una lingua conscriptis. Quæcunq̄ uero nemo doctorum hominum dignatus fuisset in hoc colloquio proponere, per hoc cognoscere liceret, indigna esse, quibus summi uiri in supremo cōgressu occuparentur. hæc enim (compositis uel in hac consultatione, uel in futuro postea et summo conuentu, quæ dignæ disputatione sunt, quæstionum controuersijs) ultro se sunt suffocatura. Sed quomodo hæc institui debeat, dubitari poterit. qua in re, ut mihi liceat cum meæ nationis hominum uenia meam sententiam dicere: conuocandi erunt ad certum diem omnes illi, qui ex officio adesse deberent, si in Germaniæ re- 20  
gno conciliū ob rem quampiam prophanam conuocaretur. Redintegrata enim religione in Germania, facile & in alijs nationibus restituetur. Vocandi erunt (inquam) cum diligenti huius causæ expressione, scilicet ad dissidium religionis, si fieri possit, componendum: simulq̄ monendi, ut doctos quisq̄ suos, quos ad eam rem idoneos iudicauerit, secum ducat, quotquot uoluerit, cuiuscunq̄ siue status, siue conditionis. Publice quoq̄ hoc in negotio erit contestandum, quod quisquis ad dictum diem non adfuerit, non erit in tota hac consultatione, neque etiam, si res ita postularit, in supremo Ecclesiæ congressu ad ullius officij functionem admittendus, nec aliquo modo audiendus: qui tamen huius decretis uelit nolit subijciatur, qui uero ad diem præfixum con- 30  
uolarint, uniuersi conscribendi erunt, quisq̄ sub sui patroni classe. Interim non solum eo in loco, ubi hi erunt congregati, sed per singulos eius regni sacros coetus, quotidianæ preces erunt effundendæ: atq̄ enixe deprecandus Dominus, omnis ueræ religionis numen, ut sua bonitate ineffabili, & ui efficacissima patrū conscriptorum mentibus afflet ueritatis lucē, ad amabilis suæ, & Christianæ religionis concordie reintegrationem. In primo aut̄ confesso princeps, aut is qui præsidet, post expositā coacti conuentus iam sæpius infortunatè tentati utilitatē, & necessitatem, proponet quo initio, qua serie, & in quem finem nunc res sit prosequenda: nempe ut non solum quæstiones, sed & quæstio- 40  
num momenta planius detegantur & examinentur, propter quas inter se Christianæ religionis focij iam pridem dissentiunt: de quibus post eam consultationem, si opus sit, statuendum erit in summo atq̄ omnibus

bus iam pridem optato Christiani orbis conuentu. Porro æquum fuerit, ut qui huiusmodi ingeniorum conflictum sunt inituri, ita inter se constituantur, ut quantum fieri potest, sint æquales: id est, ut ab utraq̄ parte æque docti adhibeantur, ne pars partem obruat. Sed cum inter Germanos sint, si omnium opiniones consideremus, factiones religionis (proh dolor) innumeræ, atq̄ singulæ suos habeant fautores, aliæ plures, alię pauciores: ita tamē super cōtrouersia, quæ de authoritate sedis Romanæ est, omnes, quantumuis uariæ factionis sint, stant uniuersi uelut in duas æquales partes diuisi, ut nunc quidē nequeant ad æqualitatē propius reduci. In hac itaq̄ consultatione disputaturi duas in cateruas erunt diuidendi, prout alius aliter de hoc senserit: hicq̄ Romanæ sedis authoritatem agnoscentes, illic non tam multum illi attribuentes, erunt cōstituendi. Quo facto, utraq̄ pars sibi paucos quosdam, aut si placet, ternos uiros deligat, prudentia & eruditione præstantes, qui rerum agendarum supremi sunt futuri directores. deinde bini scribæ (notarios uocant) cū literis tū fide præstantes constituendi, quibus tuto prouincia mandet̄, ut quæstiones tractatas & utriusq̄ partis acta cōscribant. tum ex reliqua eruditorum caterua maiorem numerū, nempe octonos, aut denos, aut duodenos licebit addere. Sed esto, ut sint ab 20  
utraq̄ parte duodeni, ad quos triumuiri, quoties uidebitur, confugere habeant, super re proposita eos consulturi: ut sic his sex uiris, duobus scribis, et uigintiquatuor consultoribus totum tractandarum quæstionum pondus incumbat. Quo peracto, præses si uisum fuerit, delectos uiros, & uniuersum coetum cum Paulo sic cohortabitur: Obsecro uos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, neq̄ sint inter uos schismata: sitis autem integrum corpus, eadem mente, & eadē sapientia. Iubebit prætereā, & ueluti stipulabitur, si quæ inter tractandum occurrent, quæ religione incolumi & affirmari, & negari possint, ne ea ipsius religionis, aut animorum concordiam interturbent: quia in his unicuiq̄ sentire permittitur, quod sibi uidebitur 30  
magis ueritati consonum, cum unicuiq̄ sua mens, nulla illius qui contradicit ratione habita, sibi satisfacit: ut Paulus testatur scribens Romanis, Unusquisq̄ in suo sensu abundet. At non licebit interim alijs, cuiuscunq̄ etiam conditionis fuerint, quàm sex uiris directoribus, aliquid inter se ea ratione tractare, quasi ad religionem pertineret. quin & hi se orsim, hoc est nemine præter se, scribæq̄ præsentē, hoc faciant: idq̄ his & similibus (nā id tūc temporis opportunitas docebit) locis & modis. Quantum ad locum, sint ubi conueniendum erit, tria diuerticula longiuscule à sese distita: in quorum primum sex uiri cum scribis se recipiant: duo alia uigintiquatuor uiris referuentur, ut utriq̄ factioni suus sit locus. sit prætereā quartus locus capacissimus, in quem confluant uniuersi. Tempus antemeridianum similiter sit dictis duobus & triginta uiris distinctum, primum sex illi ad hoc delecti tractent inter sese scri-



scribis præsentibus. Mirificè autem faciet ad compendium, si is qui quæstionem proponit, eam quotquot potuerit rationibus, primùm in unam, deinde in contrariam partem communitam relinquat ueluti in medium, à quinque cæteris dijudicandam. postea de sic utrinque rationibus munita quæstione, singulorum sententiam primum ab aduersæ partis, deinde à suæ partis collegis uenetur: tum ipse tandem confutatis ijs quæ (siue ab ipso adducta, siue à cæteris) suæ sententiæ uidebuntur contraria, suum iudicium proferat. Quo facto, hinc inde terni cum sua scriba eum locum petant, ubi suæ factionis homines duodecim sunt congregati, certiores eos facturi de rebus tractatis. singulorū autem sententiam, sententiæque momenta expiscati, ad suum designatū locum regrediantur, & quæ audierant, secum conferant: inde non exituri, donec de eo articulo iterum (quomodo paulo antè) interrogatis singulorum sententijs, certò inter se statuerint, & scribæ, quibus ex causis ipsi sex uiri uel conuenerint, uel discordarint, redegerint in scripta. Pomeridiano uero tempore in quarto loco conuentus fiat, ubi principe totius concilij præsidente, cum proceribus tam secularibus (ut uocant) quàm ecclesiasticis, & affluentibus huc, quotquot ad hoc negocium fuerint conscripti, ille ex sex delectis uiris, qui antemeridiana disceptatione quæstionem primùm proposuerat agitandam, eandem coram omnibus diligentius, & quæ ultro citroque circa eandem uarie iactata fuerint, ad uiuum recitet, hinc scriba, qui omnia scripto mandauit, in quam sententiã sex illi uiri descenderint, pronunciet: simul & promulget, quibus rationibus impellentibus consenserint, aut contra. His auditis, siue hinc inde trium uiri concordarint, siue discordarint, liberum sit unicuique præsentium (modò sit de numero conscriptorum, & se credat aliquid allaturum dignum tanto auditorio) exurgere, procedereque in medium, & locum super tractata re amplius differendi exposcere. Quod si nemo expoposcerit, sit ea, quam scriba legit (siue trium uiri concordarint, siue discordarint) ultima ea de re, quod ad hanc quidem digladiationem attinet, censura. Sin uero unus pluresue id expoposcerint, danda erunt eorum nomina præsidi: qui sequenti die, cum locus à præside fuerit datus, super ea quæstione latius disceptabunt. Vbi uero omnes perorauerint, protinus delecti suum in locum se recipiant, non digressuri, donec eodem modo, quo pridie, primùm inter sese, deinde utrinque cum suis duodecim uiris, diligenti adductarum in ea concione rationum discussione, quæstioni agitatae extremam manum imposuerint, tempore pomeridiano promulgaturi coram uniuerso cœtu quam in sententiã super ea quæstione descenderint. Et si conuenire nequeant, non tamen erit illa quæstio tertio retractanda, sed publico examini, hoc est, generali totius Christiani orbis conuentui referuanda. Tota autem discussio, qualiscunque ea fuerit, mox ita ut eam scribæ conscripserint, scripto, aut magis prelo, toto Christiano orbi promulganda

da erit. In omni uero quæstione tractanda, in primis ad hoc respicere oportebit, cõfusè ne, an distinctè interrogetur: hoc est, definita ne sit, an infinita quæstio. de quibus satis multa Cicero uarijs in locis, ut opus non sit hic repetere. Istud tamen hoc in loco admonere uolui, quòd necessarium sit, si quæstio infinita proponatur, eam ad definitam reducere. Ita enim futurum est, ut hic aut affirmatiuè, aut negatiuè respondeant, cum uagæ interrogationi uagè responderi possit. Quod uero rhetores definitum, hic distinctum: quod infinitum illi, hic uagum appellare placet: ut in rei similitudine conueniamus, quod tali exemplo clarius erit. Si quæstio oriatur, qua in re hominis iustificatio consistat, uagum quiddam proponitur, sub tali forma. nullo igitur modo disputandum, donec in hanc, aut similem formam redigatur, in fidè ne precipuè iustificatio consistat. Qua in re & hoc diligenter erit obseruandum, ne in quæstione proposita amphibologia, aut æquiuocatio aliqua incidat, ut uidere est in uerbo iustificatio, et Fides: quæ erit tollèda, priusquam de ipsa quæstione disputetur. nam hinc sæpius magnum tumultum etiam inter doctos ortum uidemus. Sed & ipsius quæstionis natura erit perspicienda, sacra ne sit, an tantummodo scholastica, (hanc enim concordiam ad Christiani sodalitij tranquillitatem multum facere diximus) aut an penitus prophana. Si quas sex uirorum maior numerus prophanas iudicarit, eas arbitror ab hac tractatione omnino excludèdas: quas uero scholasticas existimauerint, post sententiam de his prolata, uerè ne an falsæ sint, eadem opera declarare debent, cui scholasticarum quæstionum classi sint subiectæ. nam triplicem superius harum fecimus classem, utrinque probabilium, utrinque ancipitum & receptarum. Sed cum in magna frequentia alij alijs rationibus moueri soleant, ut supra diximus, & quædam rationes alijs comitatae plus urgeant, quàm si solæ profiliant ad pugnam: quædam rursus cum non satis aduersus reluctantem ualeant, ambigentem tamè pertrahant, trepidantemque stabiliant: ut mos geratur singulorum affectibus, expediet unamquamque quæstionem quot fieri potest rationibus agitari. Quod breuius, atque maiore cum fructu fiet, si illi qui hanc rem sunt tractaturi, omnium rationum (quibus sua probabunt) certum quendam ordinem inter se instituerint, à quo inter tractandum deflectere non liceat. Et quoniam paulo antè sex factionum stationes enumerauimus, sex quoque rationum adducendarum agmina erunt constituenda. singulae enim stationes illis rationibus magis commouebuntur, quæ ex ea re sumptæ fuerint, cui summi tribunalis honorem deferunt. Vt primæ stationis factiosos nulla re magis moueris, quàm sacris scripturis: secundæ, generalibus toto Christiano orbe obseruationibus: tertiarum, decretis quum particularium, tum generalium conciliorum: quartæ, eorum sententijs, quos non possunt negare Deo fuisse electos: quintæ, occultis in mente scriptis digito Dei rationibus: sextæ, Romanorum

pontificum factis olim constitutionibus. Si enim talem tractandi ordinem instituerint, neque tractantibus liberum erit quidlibet quouis modo blaterare, neque auditoribus difficile uniuersorum dictorum uim memoriam mandare. Quare multum profuerit, si princeps quaestiones quasdam selectas, ceu omnium rerum tractandarum fundamenta proponat, eas (nisi ualde hallucinor) oportebit has nouem esse: quas totidem sequentibus libris explicandas sumpsi, ita ut non liceat etiam maxima ex causa alias, dum ea tractantur, in disputatione producere, nisi quas forte princeps pro illarum maiore elucidatione duxerit ueluti succenturiandas. Quibus tractatis, licebit unicuique ex illis sex uiris, quascumque libuerit discutiendas in medium adducere, ne quis conqueri possit, non fuisse de omnibus satis disputatum. Nihil tamen adducant, nisi quod ad religionem, aut ad Christianae tranquillitatis redintegrationem pertineat. Et ne de ordine (ut solet) contentio oriatur, quis alteri ex sex sit praefendus, ut quaestionem primus producat, ac tandem promulget: e duodenis uero, quis suam de proposita quaestione sententiam primum sit dicturus: par est, ut quo quisque ordine a suarum partium caterua nominatus fuerit, eo & sedeat, & loquatur. Caeterum bonum fuerit, si hi sex uiri bini coniungantur, hoc est si ex utriusque cateruae delectis primus primo, medius medio, postremus postremo opponatur, ut quam quaestionem quis ibi proposuerit, eam (ubi inter sex uiros satis uidebitur agitata) socius proponentis ad suos duodecim uiros deferat examinandam: eidemque assistat, cum alter coram uniuerso coetu hanc sit promulgaturus, ut si quid exciderit, suggerat. Sed ne inter hos duos contentio nascatur, uter prior quaestionem sit producturus, si nulla sit inter eos alia dignitatis ratio, ob quam alter alteri libenter cedat, is honoris teneat principatum, qui etate antecellit. Sed & simplex oratio (nam talis est oratio ueritatis) huic consultationi seruiet. Quocirca erit hic & illud obseruandum, quod de Areopago scribunt, qui enim in eo erant dicturi, ab his abstinere debebant, quae solent in oratione mouendorum affectuum causa intertexti: ut sunt proemiorum, digressionum, epilogorum, & id genus alia artis rhetoricae lenocinia. Protinus igitur in exordio simpliciter exponant, quae sua sit de proposita quaestione sententia: mox aperiant ex quot, & quibus classibus (nam hinc rationes sumendas, superius diximus) suam sententiam sint confirmaturi: neque ipsas alio ordine, quam quem dixi, aut de quo inter tractaturos conuentum fuerit, prosequantur: ita ut si alicuius scripturae, ad sententiae suae confirmationem adductae, sensum quis uelit explicare, eo quod uel ambiguus, uel obscurior sit, idque alia uia faciat, quam per scripturas, sciat se iam primam classem egressum. cuique enim probationi certa debet esse statio, ut superius diximus. Hunc ordinem si recte seruauerint, minus erit difficile auditoribus, quantumlibet multi differuerint, quid quisque dixerit, quidue nouarum rationum adduxerit, memoriae mandare. Quisquis uero differ-

differentium dictum rationum adducendarum ordinem non obseruarit, aut fucorum lenocinio orationem infecerit, is si iussu praesidis admonitus pergat etiam secundo idem facere, erit per praesidem monendus ut sequentibus dissertationibus sententiam suam, confirmatrici suae sententiae rationes scripto committat, per publicum praecorem aut scribam pronuntiandas. Scribae semper propius, ut in subsellis, aut ubi commodius fuerit, locum capiant, semper parati, ut si quid illis committatur annotandum, excipiant, ne memoria excidat. diligenter autem dictum classium ordinem obseruent, ubi ad singulas sententias, adductas rationes sint ascripturi. Duplex itaque his labor erit, ubi sex uiri discordarint, primus in colligendo numero eorum, qui alicui sententiae accesserint: alter in conscribendis rationibus, quibus sua probarint. idque ita fiat, ut unaquaeque rationum sub sui agminis titulum redigatur. Caeterum quid quis senserit, ne annotent scribae, sed tantummodo quot in utram sententiam conuenerint, hoc est suppressis nominibus numerum tantummodo consignent, sic aut secus sententium. Similiter et in rationibus adductis agendum, non enim quas quis adduxerit, sed quot ex sex uiris hac aut alia ratione suam sententiam confirmarint, diligenter annotent. Quod ut facilius intelligi queat, ponam exemplum utriusque. Si concordarint, poterint scribae hoc modo extremam tractationis conclusionem annotare: Hanc quaestionem sex uiri uno ore affirmarunt, multis in primis scripturarum locis, ad rei probationem adductis. sex hoc Pauli ad Romanos: quinque hoc eiusdem ad Ephesios: quatuor illud ex priore canonica Petri: tres illud ex posteriore eiusdem: duo illud Mathei: unus illud ex Actis apostolicis in sententiae suae confirmationem adduxit. Deinde quid quisque ex generalibus Christiani populi obseruationibus in sententiae suae probationem assumpserit, erit simili modo subnectendum: ut si quatuor uiri illam, quam iam a mundi exordio constat obseruatam: alij aliam consuetudinem allegarint. Idem ordo in alijs rationibus ex alijs classibus adductis obseruetur. Quod si super quaestione suffragia uariarint, erunt & contradicentium momenta simili modo, & forma adnotanda. Quod facile factum fuerit, si cuilibet quaestioni tractandae duas paginas, alteram approbantibus, alteram reijcientibus: & unicuique paginae sex titulos iusto interuallo separatos, scribae tribuerint: ut sub suo titulo ex quouis agmine sumpta ratio (quae admodum sub suo uexillo milites) scribantur. adiecto insuper a capite in margine punctulo, ut quoties postea eandem rationem alius forte in eiusdem sententiae confirmationem adduxerit, toties alius punctus addatur. Optimum autem fuerit, si deligant trium uiri aliquem ex se, qui historiam omnium quae ibi aguntur, id est quid singuli usque a principio ad finem inter tractandum dixerint, egerint ue, cum singulorum clara ubique nominum expressione (quomodo faciunt historiographi) accuratè conscribat: ut usui esse possit magno illi, ex toto forsitan Chri-

stiano orbe congregando cœtui. Erit hæc historia, peracta uelitatione principi tradenda, ut eius arbitrio uel protinus publicetur, uel usq; ad summi cœtus congregationem supprimatur. Quæ omnia sic fieri, uel ob id arbitror, planè necessarium, ut eo pacto orbi Christiano manifestum fiat, quibus morbis sua uiscera, et quanta eorum portio, & an grauibus, an magis leuibus ex causis laboret; nimirum ut morbi qualitate et grauitate rite perspectis, cœtera eiusdem corporis membra, hoc est aliarum nationum Christianæ religionis sodales possint & certiores & tutiores, efficacioresq; opem præparare. Eò enim par erit peracta deliberatione, morbum, hoc est errorem quemlibet censere magis aut minus grauem, quo plures aut pauciores magis aut minus eruditi, in eundem errorem reperientur incidisse. Vt autem singularum sententiarum qualitas magis sit omnibus conspicua, expedit forsitan earum genera nominibus quoq; distinguere. Itaq; omnis sex uirorum consummata peruestigationis censura, aut consona uocetur, aut uerisimilior, aut perplexa, aut controuersa. Consona, in quam omnes uno ore: uerisimilior, in quam quinque: perplexa, in quam quatuor: controuersa, in quam tres tribus reclamantibus consenserint. Nec fuerit pœnitendus redintegrandæ concordie profectus, si in omnes quæstiones, quas sex uirorum censura notauerit, consentiant Germanici regni homines tantisper, dũ supremus ex toto orbe conuentus pronunciarit, uel prorsus super isdem tacendum, uel non aliter quàm iuxta dictas censuras publicè & priuatim uerba faciendum: ne quis temere uerum promulget, quod controuersum, uel perplexum, uel tantummodo uerisimilius declaratum fuerit: neq; adeò illud in quod planè omnes sex consenserint, aliter quàm consentaneum, aut consonum, non autem tanquam certò uerum quis asseueret. quia hoc non potest una quantumuis concors natio, sed sola totius Christiani sodalitij suprema autoritas declarare. hac tamen ratione omnia esse matura deliberatione primùm uentilata, necesse est. Sed multum refert quo ordine quæstiones proponantur, & præcipuè, quod fundamentum sumatur omnium quæstionum. Ac mihi diligentius omnia perquirenti, nō aliud occurrit aptius, & cui putem omnes cuiuscunq; etiam conditionis sint libentius obtemperaturos, quàm hoc ex uulgato Christianæ religionis symbolo sumptum, Credo sanctam ecclesiam catholicam. Hunc articulũ diligenter tractatum, arbitror uel solum sufficere omnibus excutiendis, quæ hac præsertim tempestate scrupulum religiosi mentibus iniicere possent. comprehendit enim sub se omnes alias ambiguitates, quæ in disputationem uenire possunt: quem tractaturi, ipsam rem distinctis per sua agmina rationibus conabimur explicare. primùm quidem per sacras scripturas quinque sequentibus libris: deinde alio libro iuxta eas rationes, quæ ex Christiani populi generalibus obseruationibus sumuntur: decimo libro iuxta sententias à Deo electorum hominum: undecimo per sacer-

sacerdotalis senatus supremam auctoritatem: deniq; ultimo libro per Romanæ sedis, sed uetustissimas constitutiones, adiecturus in eiusdem epilogo, ex bonarum quoq; mentium pijs instinctibus deductas rationes. quod, ut bonum, faustumq; sit, exordiamur.

DE INSTAVRANDA RELIGIONE  
LIBER QVARTVS, QUI EST  
De exortu Ecclesiæ.

QVID ECCLESIA.



MNIA, quæ à principio tam diligenti cura suprema Dei opt. max. uoluntas ordinauit, non aliò tendunt, quàm ut immensum illud, atq; omnia ambiens Dei regnũ, fiat tandem quàm perfectissimum. quicquid enim Deus efficit, quicquid uult, quicquid etiam cogitat, consulit, prouidet, ad eiusce regni iam olim animo concepti perfectionem fabricatur. quin & regem quendam ante omne rerum exordium, uel potius sine rerum exordio meditatus est, qui in illo uasto regno præsideret, filium uidelicet, heredem illum uniuersorũ: ad quem Dauid, Regnum tuum regnum omnium seculorũ, & dominatio tua in omni generatione & generatione. Hoc ab origine rerum Deus fabricare cœpit, dum conderet cœlestes illos spiritus. regnumq; sic inchoatum sine intermissione erat ex hominibus aucturus, nisi illius progressum protoplasti hominis præuaricatio interturbasset. Nunquam tamen hic apud nos, ut in officina, cessatum fuit à parandis & poliendis lapidibus, ad inchoati olim operis resumendam aliquando ædificationem, donec rex ipse ad officinam inuisendam delapsus, quotquot in ea inuenit politos lapides, hinc regrediens secum aduexit ad reiterandam intermissæ fabricæ compositionem. & ne unquam postea ab opere iam denuò inchoato cessaretur, nouos in hac officina artifices, nouamq; eiusdem regendæ rationem instituit, quo magnum hoc opus atq; è diuinis operibus longè maximum, commodius perficeretur. Quod quando erit consummatum (quia hoc extremum est omnium quæ Deus molitur) simul & officina, & omnis rerum motio cessabit: propterea quòd ipsam rerũ uniuersitatem Deus non aliam ob causam condiderit, quàm ut cuncta (ubi in hac, quam dixi, officina ministerio suo functa essent) ipsi ædificio idoneis locis aptarentur. Quo die cœlis procellæ in morem solutis, atq; elementis æstu liquefactis, terraq; & quæ in ea sunt operibus exustis, nouos cœlos ac nouam terram, auctore Petro, atq; ut semel dicam, omnium rerum nouam faciem expectamus.

ctamus: quando non erit sol ad lucendum per diem, neq; splendor lu-  
 nae illustrabit noctem, sed ipse Dominus erit nobis in lucem sempiter-  
 nam. Ad quam inuouationem tota etiam rerum uniuersitas anhelat;  
 Rom. 8. nō solum humana creatura. Sollicita, inquit Paulus, creaturae expecta-  
 tio expectat, ut palam fiant filij Dei, quoniam & ipsa creatura liberabi-  
 tur à seruitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. interim  
 uero omnis creatura (inquit) congemiscit, simulq; nobiscum parturit  
 usq; ad hoc tempus, quo dies ille extiterit, hoc est usq; ad magni illius  
 Act. 3. regni consummationem. Idem Petrus luculenter docet, ubi loquitur  
 de tempore refrigerij, atq; restitutionis omnium, quae locutus est Deus 10  
 per os omniū sanctorū suorū à seculo prophetarū. Hoc sic ab exor-  
 dio rerum inchoatum, atq; in fine temporis consummandum regnum,  
 aliud est ab illo quod Daniel futurum praesensit ac declarauit, cum pro-  
 digiosa statuae mysterium, quam rex Babylonicus uiderat, explicaret,  
 Dan. 2. ubi post descriptam quatuor regnorum uariam fortunam subiungit,  
 quod in diebus illorum esset Deus caeli regnum excitaturus, quod nō  
 corrumpetur, sed comminueret omnia illa. huius tam potentis &  
 augusti regni multis locis nemo non prophetarum facit mentionem,  
 quin certissima quaedam dederunt indicia atq; argumenta, quae nobis  
 statutum tempus patefacerent: ne errore lapsi, de Iudaici populi regno 20  
 dictum intelligeremus, quod iam (cum haec prophetae uaticinarentur)  
 excisum, aut certe uelut effoetum & ruinosum erat. De quo ergo regno  
 loquitur scriptura: de illo, quod caeteris omnibus direptis solum esset,  
 cui se lubentius homines subderent: nempè nouae religionis, quae pro-  
 prie Ecclesia nominatur. quanquam & regnum illud iam ab initio in-  
 choatum, & Iudaicum, eodem nomine subinde notentur. Nam ita Pau-  
 Heb. 12. lus supremum illud atq; omnia ambiens Dei regnum appellat, ubi nos  
 dicit non ad montem turbine ac procella terribilem, in quo Mosaica  
 lex tradita fuit, sed ad innumerabilium angelorum coetum, ecclesiamq;  
 primogenitorum accessisse, qui conscripti sunt in caelis. nos intelligēs, 30  
 per Christianae religionis institutionem ad consortium accessisse cele-  
 stium spirituum, qui in diuina obedientia ab initio perseverarunt, quā  
 uulgò triumphantem ecclesiam uocant, quod illic & nos post pugnas  
 hic strenue peractas perpetuum simus acturi triumphum. Sic ueteris  
 Act. 7. religionis regnū Stephanus ecclesiam uocat. Hic est (inquit de Mose)  
 qui fuit in ecclesia, in solitudine cum angelo. Noui autem regni popu-  
 lum tam crebrò scriptura ecclesiam appellat, ut superuacaneum sit ex-  
 emplis id monstrare. Tribuunt etiam hoc nomen particularibus con-  
 gregationibus. Salutant uos, inquit Paulus, omnes ecclesiae Christi.  
 Rom. 16. & alibi, Salutant uos in Domino multū Aquila et Priscilla, cū ea quae 40  
 1. Cor. 16. in domo est ipsorum, ecclesia. Ioannes Apocalypsin scribit septem ec-  
 Apoc. 1. clesijs, quae sunt in Asia. Verum ne erres, non omni conuentui eccle-  
 siae nomen conuenit, hoc enim collectae, & in unum ordinem digestae congre-

congregationis uocabulum est, graecis ab euocando dictum, qui eccle-  
 siam à synclési, diaclési, synodo, & synagoga ita separant, ut synclési-  
 magistratum, diaclési etiam agricolarum concilium uocent: syno-  
 dum, qualiumcunq; hominū confluentem fortè multitudinem: synago-  
 gam, coactorum in unum ueluti pecorum congregationem. Ecclesiam  
 uero, legitimam ciuium summæ rei causa conuocationem, ut est reli-  
 gionis causa congregata societas. Nisi dicere malueris iuxta harum uo-  
 cū differentiam, naturalis religionis societatem formam esse *δικαιώσις*,  
 ad quam pertineant homines omnium nationum: inspiratae autem re-  
 10 ligionis societatem formam habere ecclesiae, ad quam selecti quidam  
 ab omnib. attineant tanquam ciues, non autem rustica turba. Supersti-  
 tionū conuētus esse temerè congregatas synodos: triumphantū uero  
 coetū, synclési. Verū ut ut hoc sit, solemus hanc militantem religionis  
 Christianae societatem, nomenclatura ecclesiae significare: quam paucis  
 uerbis definire licebit, nouae religionis coelitus gubernatā cōmunionē.

*Quo tempore regnum Ecclesiae coeperit. II.*

**Q**uæ quo occultior res est, hoc minus quisquam quid sit, &  
 cuius naturae atq; indolis sit, quibusq; proprietatibus à re-  
 bus sibi uicinis, multumq; similibus differat, satis unquam  
 20 perspexerit: nisi qui ab exordio norit primae eius institutio-  
 nem. quemadmodū & aliarum rerum is demū ordinem facilius, certi-  
 us, penitiusq; cognoscet, qui ea quae circa primae earū originē conside-  
 randa sunt, satis nouerit. in quibus contra qui errarit, futurum est, ut  
 quo longius pergat, eo plus de ordine ac serie hallucinetur. Magna e-  
 nim rei cognoscendae occasio data, et quasi gradus quidam atq; aditus  
 ad caetera rectè intelligenda illi apertus est, qui prima eius incunabula  
 rectè considerarit. Ita naturā & cōditiones, quibus Romanū imperiū  
 à ceteris monarchijs differerebat, ij sanè rectè dijudicabūt, qui eius initia,  
 hoc est ex quibus hominibus conditū, quibus legibus institutū, quib.  
 30 magistratibus primū stabilitū sit, caeteraq; eius regni rudimēta exacte  
 didicerint. De regno itaq; illo, quod Daniel caeteriq; prophetae toties  
 decantauerūt, qui dignè dicere uelit (quoniā res profundioris captus  
 est, & excellentior) prima eius initia, & inter ea praecipue, quo tēpore  
 exortū sit, considerare oportet. Hoc regnū Daniel Nabuchodonoso-  
 ri non obscure futurū praedixerat, florente quarta, hoc est Romanorū  
 Dan. 2. monarchia. sed quia incertū erat, quo tempore in monarchiā res Roma-  
 na deueniret, magnis postea diutinisq; precibus idem obtinuit, ut tem-  
 40 pus numeratis per hebdomadas annis intermedijs, imò penè mensis  
 ipse, et pleraeq; temporis circumstantiae, quo praepotens illud regnum  
 exoriretur, ueluti indice sibi demonstraretur. quod tandem omni-  
 bus Christianae religionis cultoribus, qui his in rebus elaborare so-  
 lent, atq; ijs etiam qui praesentium in religione controuersiarum arieti-  
 bus concussi uacillant, in confesso est, Dominum Iesum Christum ad

uentu suo ante sesquimille annos diu expectatum nobis aduexisse. Sed opere præciū fuerit, diligentius id ponderare, ut quo exordio, quibusque signis illud nobis extare cœperit, sciamus. Angelus ipse, qui prophetam Danielem hac de re certiorē fecerat, cum postea ad uirginē, quæ Christū paritura esset, mitteretur, ut eadem de re & illam certiore faceret, ait: Dabit illi dominus Deus sedem David patris ipsius, & regnabit in domo Iacob, ex quibus merito uideri posset, in ipsa Christi natiuitate tempus regni aduenisse. Idem affirmare uidetur sapientum illorum interrogatio, qui cum Hierosolymam uenissent, sciscitabantur ubi esset, qui natus erat rex Iudæorum. Ac ita sine dubio res se haberet, nisi triginta ferè post annos Domini præcursor hoc ipsum tanquam adhuc futurum diuulgasset, cum è deserto progressus ueluti ex antro repentina quædam lux, quæ omnium mentes perstringeret, Resipiscite clamitat, appropinquabit enim (aut ut græci codices habent, appropinquauit) regnum cælorum. paruo enim discrimine distat utrumque. Nā ut non potes, quod iam diu adest, dicere appropinquare: ita frigidius est dicere iam appropinquasse, hoc est, propinquius factū, quam fuerit prius, quod iam est præsens. Quid igitur dicemus præcursorem sic repente proclamasse? Certè iam tum illud instare, quod Esaias post longum tempus futurum prædixerat, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. hinc est quod uocem ἤγγικε, neotericus interpretis uertit in propinquo est. Hoc præconio Ioannes omnium aures sollicitabat anno uno, priusquam se manifestaret Christus. Quid? quum Christus non minori potentia uerborum, quam Ioannes, operū uero maxima se primū manifestabat, putabimus ne tunc inchoatum, præsensque fuisse illud Christi regnum? Hoc sanè non abs re existimare quis posset, nisi & ipse Christus ab eodem uerbo suorum quoque sermonum exordium sumpsisset, dicens, Resipiscite: appropinquabit enim, aut appropinquauit regnum cælorū. Et hic quoque noua translatio Instat habet. Usque adeo enim ipse Christus planè indicabat, aduentare quidem magis magisque, atque adeo in foribus iam esse, uniuersis olim prophetis celebratissimū regnū. imò et postea, quoties sermo illi eadem de re incidit, (incidit autem creberrimè) semper si rectè attēdas uidebis, huiusmodi eum loquendi modo usum, ut dubium non sit, quin de futura adhuc re loqueretur. omnium uero clarissimè, ubi de ea non quidem sub regni, sed sub ecclesiæ nomine propriè locutus est: ut stupidi planè hominis sit dubitare, de alia Christum locutum, quam de qua nos agimus, Christianæ religionis militante ecclesia: nempe ubi celsitudinem pariter & firmitatem eius prædicans, Super hanc, inquit, petram ædificabo ecclesiam meam. Ædificabo, inquit, in futuro. at quod ædificatur, nondum extructum: quod uero adhuc ædificabitur, nondum inchoatum est. Eadem significabat, cum discipulis diceret: Noli time-

re pusille grex, quia cōplacitū est patri uestro dare uobis regnū. hoc regnū si tunc fuisset uel conditū, uel inchoatū, certè ἐμφατικῶς dixisset, noli timere pusille grex, quia iam pater uester dedit uobis regnū. Quin & instantis passionis suprema nocte, cum traderet discipulis poculum sanguinis sui: Non bibam (inquit) de fructu uitis, donec regnum Dei ueniat: donec, inquit, ueniat. Sed et mortuo iam Christo, scribit euangelista de Iosepho, qui eū sepeliuit, quòd expectabat & ipse regnum Dei: planè indicans, quòd prius plerique expectabant etiam tū regnū, quod nondū extaret, nec inchoatū esset. Eadem enim forma dixerat & de Anna Phanuelis, quòd de Christo recens nato omnibus loquebatur, qui expectabant redemptionē Iſrahel. Ex his patet, quod nec tunc regnū cœperit, quū Christus pateretur. Atque ut summatim dicā, equidē neque inueni, neque arbitror quenquā inuenturū locū in scripturis, ubi Christus eius temporis auditorū suorū cœtū nuncuparit ecclesiā, sed gregē, aut turbā, aut simili uocabulo: cū in Actis, Epistolisque apostolicis plus sexcentis locis ecclesiam appellari reperies. Vnde cogimur fateri, ipsam haud multo post mortem Christi initium sumpsisse, contra omnium regnorum morem, quæ sunt, fuerunt, aut unquam futura sunt. Nam alia regna, nisi fuerint prius solidius confirmata, ferè solent à conditoris morte languescere: imò si repente nata fuerint, repente quoque euanescere. uti euenit olim imperio Alexandri Macedonis, & ducentis circiter ab hinc annis Tamberlanis. Christus uero post mortem, ihs etiam qui illi uitam ademerant, omni conatu reluctantes, regnum suum erexit, quod cæteris deiectis in infinita secula erat duraturum. Sed quando: an mox à morte sua, ipsaque morula temporis, qua inter mortales rediuius uersatus est immortalis? A morte eius accidisse scribitur res quædam memorabilis, ut forsitan per eam uideri posset ecclesia ortū accepisse: nempe quòd post corpus flagris cæsum, spinis confossum, plagis perforatū, riuulisque ex omni parte erumpentibus exhaustū, et iam ita arefactum, ut si qua in parte aliquid sanguinis adhuc delituisse, iure uideretur illo lento mortis gradu planè coagulatum, quòd inquam unda sanguinis & aquæ effluerit. quam rem planè prodigiosam fuisse, etiam declarat tam singularis id referentis euangelistæ diligentia, tam constans facti asseueratio, tam emphatica uerborum descriptio, tam curiosa sacrorum oraculorum citatio. Verum obstat Sophoniæ testimonium. Propterea expectate me, dicit Dominus, ad diē illū, quo con-

Ioan. 19.

Soph. ult.

dos, ut risum quamlibet etiam rudibus excuterent, mox à resurrectione Christi testatur hos, & uerba eius olim dicta, & scripturas intellexisse. Tale erat quod initio prædicationis suæ dixerat, *Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud: quum resurrexisset è mortuis, recordati sunt (inquit Ioannes) discipuli eius, quod hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixerat IESVS. Et quum a seculo uectus impleisset uaticiniū Zachariæ, non cognouerunt id primùm illi, sed quãdo glorificatus fuit, inquit Euangelista, tunc recordati sunt quod hæc essent scripta de eo. Facit ad huius probationē quod adiectū est: Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Rursum quod cū inspirasset, dixerit, Accipite spiritum sanctū, quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & c. At quia post hæc redierunt ad piscaturam, erit fortassis qui magis credat, tunc regni eius iacta fundamenta, quando sermonē cum Petro habuit, quo eum agnis, omnibusq; suis pascendis & regendis præfecit. Sed erunt forsā, quibus magis appareat tunc ecclesiæ ortum procreatum, cum suis in quodam Galileæ monte congregatis diceret, Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, & c. Stupendo hoc in primis epiphonemate sermonem claudens, Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cōsummationem seculi. Verum enim uero nec his quoq; satis probari regni eius ortū, manifestò liquet ex ijs, quando regressis Hierosolymam præcepit, ne redirent in Galilæam, sed Hierosolymis permanentes expectarent promissionem patris. nihil est enim in his uerbis, quod regni iam conditi, plura uero quæ condendi indicium præbent. ut, Expectate, accipietis, baptizabimini, imò cum eo assumpto gregem illū scriptura nō ecclesiam, sed turbam nominat, Erat (inquit) turba nominū simul ferè centū & uiginti quid aliud quàm confusam quandam hominū multitudinem significat? quasi adhuc indignam, quæ ecclesiæ insigniatur titulo. eadē de causā uideri potest & Lucas, eius cōgregationis numerū licet parū, non tamen accuratius explicasse. Erat, inquit ferè centū & uiginti. Iam quòd nominū dixit, uidetur et hoc nō nihil facere ad eiusce collectionis uilipensionē, quasi cuiuslibet quidē sexus, etatis, cōditionis, sed nullius ordinis hominū. quare neq; ex ijs quæ assumpto illo statim acta sunt, dicere licebit, Christi regnū fuisse inchoatum.*

*Quod ipso die Pentecostes gregi Christiano  
Ecclesiæ uocabulum impositum sit. III.*



Vm uero ex tota subsequenti historia, & maxime ex scriptis apostolicis satis liquet, haud multo post fuisse Christi regnū institutum: operæ precium, imò necessarium fuerit, penitus hoc loco idem perspicere, ut quod hæcenus è latebris conati sumus eruere, iam tandem in lucem producamus. Diuus Paulus multis in locis sub regni nomine de ecclesia, quasi de re præsentē loquitur: Qui eripuit nos, inquit, à potestate tenebrarum, & transtulit in re-

coloss. 1.

gnum

gnum filij sibi dilecti. Idem exprimit Ioannes, Qui lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, et fecit nos regnum, & iterum, Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi sui. Sub nomine uero ecclesiæ de eodem regno, ut de re præsentē, scriptura pluribus locis tam clare loquitur, ut qui ea huc adduceret, solem facibus illustrare tentaret. Non possum tamen, quin illud saltem hoc loco ascribam, quòd Anania & Saphira propter mendacium intra bimestre (ni fallor) à Christi ascensione extinctis, Lucas scribit: Et factus est timor magnus in uniuersa ecclesia. quæ uerba licet pauca, satis indicant, ecclesiam intra illud bimestre & nomen & initium accepisse. Hoc autem decimo post assumptum Christum die contigisse, facile erit considerare, si diligentius examinemus, quarum rerum olim insigniter gestarum memoriam eius diei acta luculenter renouant & repræsentant. Ut enim olim in Babel idioma, quod unum erat omnibus, in uarias mutabatur linguas, & in monte Sina lex Israheliticis tradita fuit: ita & hoc die linguarum mutatio stupendo miraculo exhibita, noua q; lex populo fuit promulgata. Ibi enim diuina animaduersione factum est, ne intelligeret quisque linguam proximi sui: hic uero discipulis suis noua linguarum genera indidit Christus, quarum singulas intelligebant uniuersi. Hoc Paulus post Esaiam testatur, ubi Deum introducit loquentem: Alijs linguis, nempè quàm ijs quas nationes, aliæ alias acceperant in Babel, & alijs labijs loquar populo huic, & ne sic quidem exaudient me, dicit Dominus. Erant quidem uaria idiomata, sed eadem erant ueluti reducta in labium unum, atque omnibus commune, ut testatur suprâ memoratum Sophoniæ uaticiniū: Tunc reddam, (alludens ad hoc, quod in Babel eiusdem labij communem omnibus intelligentiam ademerat) tunc, inquit, reddam populis labium electum, ut inuocent omnes nomen Domini, & cætera. neq; enim credendum est, singulos auditores idiomata intellexisse omnium, quæ sub caelo sunt, nationum. Et si intellexissent, non potuissent certè sine magno tædio, singulas sententias audire tot linguis repeti, quot aderant nationes. ut fateri oporteat, Apostolos eo die noua lingua locutos, quæ linguas præ se ferebat omnium nationum, & quam tota oratione uniuersi auditores æquè attentè audiebant, & intelligebant. Cæterum multo etiam præclarius huius diei acta illam rem referunt, quæ in Sina gesta fuit. Nam ut ibi, ita & hic lex data: sed ibi uetus, hic noua: illa scripta in tabulis lapideis, hæc in tabulis cordis. Quod futurum prophetæ penè omnes uno ore, clarissime uero omnium Hieremias prædixerat, dicens: Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & percutiam cum domo Israhel, & cum domo Iuda, pactum nouum. Quod quàm foret diuersum à ueteri, ostendens: Non (inquit) sicut fœdus, quod pepigi cum patribus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, & cætera. Alij prophetæ etiam locum ipsum, unde

Apo. 1. et 11.

Act. 5.

Gen. 11.

Exod. 19.

1. Cor. 14.

Esai. 28.

Soph. ult.

Exod. 19.

Hier. 31.

*Esaie. 2.* unde ista lex esset ferēda clarissime designarant. ut *Esaias*, E Sion exhibit  
*Iohel. 3.* lex, & uerbum Domini ē Hierusalem. & *Iohel*, Dominus ē Sion rugi-  
 et, & de Hierusalem dabit uocem suam. *Abdias* uerò clarissime omni-  
 um, quasi rem ita ut gesta est, ob oculos ponens, sic uaticinia sua finit:  
 Ascendent saluatores in montem Sion, & erit Domini regnū. At mul-  
 to magis respondet dies diei, hoc est quiquagesimus ab exitu ex *Ægy-*  
*pto*, quinquagesimo diei à Christi resurrectione. Nam hic præterquā  
 quòd anniuersarius fuit illius, eisdem insuper, ne dicam maioribus,  
*Exod. 19.* prodigijs est clarus. Illo enim die audita sunt in aëre terrifica tonitrua:  
*Acf. 2.* hoc repentinus de coelo sonitus, tanquam impetu irruentis in terram  
 uehementis flatus. illic procul uisa fulgura: hic dissectæ linguæ tanquā  
 igneæ super singulos residentes, illo die mōs uisus est fumare more for-  
 nacis: hoc tota domus flatibus ignibusq̄ æstuabat. ad illum iussi erāt  
 se præparare per triduū: ad hunc, ut expectarent promissum cœlestis pa-  
 tris, quod uenturum erat post ter tres dies. utrunq̄ prima aurora conti-  
 git. at illic scripta lex: hic uero spiritus Dei datus. illic, cum tonitru pro-  
 lixius insonuisset, licitum fuit populo propius accedere montem: hic,  
 cum prodigijs rumor increbuisse, confluit multitudo ad locum. illic  
 populus perterrefactus: hic multitudo stupefacta. illic præter Iudæos  
*Exod. 12.* aliarum nationum innumerabilis populus, relinquentium *Ægyptum*:  
 hic ex omni natione, quæ sub coelo est, hominum confluxus. Hæc si  
 diligentius consideremus, nonne fateri oportebit, regnum nouum,  
 ob quod condendum Christus uenerat, eo die fuisse inchoatum? quo  
 induiti sunt apostoli uirtute ex alto, & à spiritu ueritatis edocti omnia.  
*Lucæ ult.* ex quo etiam die Lucas cœtum credentium non iam gregem, aut turbā,  
*Ioan. 14.* ut prius, sed nouo repente uocabulo Ecclesiam pergit nominare. Nar-  
 rationem enim rerum eo die gestarum breui coronide claudens, Domi-  
*Acf. 2.* nus, inquit, addebat qui salui fiebāt, quotidie ecclesiæ. sic em̄ est græcē.

*Ecclesiæ, seminis instar, triplex status. IIII.*



Tq̄ hanc Christus parabolis non paucis delineauit, aptis  
 corporalium rerum similitudinibus indolem qualitatemq̄  
 sui regni declarans: uerū nulla similitudine crebrius, quā  
 seminis, ut in illa quam omnium primam ē diuino cœlestis  
 sapientiæ thesauro deprompsit, de seminis uidelicet quadruplici casu.  
*Math. 13.* Ac mox in illa, qua regnum suum sementi comparauit, quæ homine,  
*Marci 4.* qui eam iecit in terram, dormiente surgens in altum, fructificat primū  
 herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Rursum  
 in illa, qua regnum comparat sementi bonæ, cui inimicus homo su-  
*Math. 13.* per seminauit zizania. Alibi grano sinapis, quòd et si minimum, crescit  
 tamen in arborem excelsam. Rursum, cum se grano frumenti compa-  
*Ioan. 12.* rat, quod mortuum multum fructum affert. His atq̄ alijs seminū com-  
 parationibus uim, naturamq̄ regni, quod esset erecturus, nobis expli-  
 cuit. Sed uidendum, quomodo seminis & regni, rerum tam dissimiliū  
 collatio,

collatio ecclesiæ conueniat. Qui naturales res tractant, præcipiunt in sa-  
 tis triplicis temporis diligentem considerationem habēdam: primū  
 illius quo semen in terræ uisceribus deiectum, paulatim putrescit, ac ue-  
 lut emoritur, quod uocant tempus conceptus. constat enim, quemad-  
 modum iniecta genitalibus animalium locis semina, alia celerius, alia  
 tardius animantur: ita & fata postq̄ terræ mandata sunt, nō omnia æ-  
 quali tēpore, sed alia maturius, alia serius (ut loquuntur) uiuificari. De-  
 inde illius quoq̄ temporis nō minus diligentem habendam rationem,  
 quo semen in terræ uisceribus absconditum radices clam agit: quia ne-  
 que illud unum omnibus est, sed quibusdam breuiori, quibusdam ue-  
 rō longiori mora accidit. & hoc uocant tempus animationis. Illius ue-  
 rō temporis potissimam rationem haberi uolunt, quo iam ē terris pa-  
 lām prodit in conspectum, quem uocant partum plantæ. Iridem de ec-  
 clesiastico regno uidere licebit. Quod dum ostendere meditamur, oc-  
 currit illud non parua admiratione dignum, quòd Lucas primam  
 præcursoris Domini prædicationem tanta diligentia exponit, ut quod  
 equidē sciam, neq̄ ipse ullo alio loco, neq̄ alius quispiam euangelistarū  
 inueniatur, rationē temporis æque diligenter annotasse. nec enim solū  
 temporis & regni, quemadmodū cum eius natiuitatem descripsit, sed et  
 anni & sacerdotij: nec earum rerum tantū quæ tum in Iudæa, aut in Pa-  
 lestina gerebantur, sed totius, qui tum in uniuerso orbe erat, status ra-  
 tionem diligentissime expressit. per quam diligentiam Lucas indicat  
 tempus illud, & quæ de eo scripturus erat, singulari quadam conside-  
 ratione digna esse. sed tamen si omnia, quæ uel à Ioanne, uel Christo tū  
 gesta sunt, perscrutamur: non hæc ita sunt magna, quin idem lōge præ-  
 clariora nō tam diligenter scripserit. Sed et in maiorem admirationem  
 rapit hominem, quòd ipse etiam Christus hoc tempus tam egregio præ-  
 conio honorarit, cum diceret turbis, A diebus Ioannis baptistæ usq̄  
 in diem hunc, regnum cœlorum uim patitur. Non dicit à die nati Io-  
 annis, quo Gabriel prædixerat multos gaudio exultaturos, sed à die-  
 bus Ioannis baptistæ: ac si diceret, ab eo die quo Ioannes cœpit bap-  
 tizare. Rursum cum diceret, Omnes prophetæ & lex usq̄ ad Ioannem  
 prophetarunt, ex eo tempore regnum Dei annunciat. Non alia cer-  
 te de causa hoc tempus tam diligenter à Luca annotatum, & à Christo  
 commendatum uidetur, quā quòd confinis fuerit limes legis &  
 Euangelij, umbrarum & ueritatis, synagogæ & ecclesiæ. Quemad-  
 modum enim se Christus uocat illum qui seminat, illum inquam in-  
 signem seminatore, qui exierat ē summo cœli throno, ut seminaret  
 non alienum (ut cæteri ante eum, & præcursor ipse) sed suum ipsius  
 semen: ita Ioannem uates prædixerant, terram dictæ seminatio-  
 ni aptaturum. dum enim uenturi Euangelij rudimenta tradit, cer-  
 tē corda hominum ceu terram subegit, prosciditq̄: quod nec ip-  
 se dissimulauit, uocem se nuncupans clamantis in deserto, Parate uiam  
 Domi-

Domini, rectas facite semitas eius. In quæ sic præparata corda dñi Christi diuinum illud semen suum sparfit, ueterumq; scripturarum testimonijs ueluti cœlestibus caloribus fouit: ea fecit, quæ ad conceptum regni spectant. quod tempus cum alijs, tum ijs uerbis ipse etiam notasse uidetur, quæ Phariseis obiecit miracula sua calumniantibus: Si ego in digito Dei enicio dæmonia, profectio peruenit in uos regnū Dei. Nam uox Peruenit, præteriti temporis est. Græcè enim est ἐφθασεν ἐφ' ὑμᾶς, quod significat, adesse festinauit in uos. clare significans, iam tum regnum suum ueluti conceptum fuisse, ipsum uero nondum planè adesse, sed iam dudū festinare adesse. Hoc ipsum iudicabant & turbæ, quæ sedenti in asello acclamabant: Benedictum, quod uenit regnum patris nostri Dauid. nam ibi uerbum Venit, præsentis temporis est. Hęc itaq; & alia his similia de Christi regno, tanquam de iacto haud dudū in terra semine dicta esse, uis ipsa uerborum manifestat. de eodem uero, tanquam quod proxime esset uitali ui accepta germinaturum, constat hoc quod Ioannes scribit, dictū esse, quando ethnicis, qui ipsum cupiebāt uidere, Christus respondit, Venit hora, ut glorificetur filius hominis: futurā paulopost clarificationē sui manifestans. De qua cū antea ne uerbum quidem, quod sciam, fecisset, postea crebrius locutus est. Vehementi enim affirmatione subiūgit, Amen amen dico uobis, nisi granū fructu deiectū cadens in terrā mortuū fuerit, ipsum solum manet: si uero mortuū fuerit, multū fructū affert. quo loco cum uerbum Affert sit præsentis temporis, indicat regnū suum in ipso articulo completæ passionis uim fructificandi accepturum, quod & euangelista mortē Christi describens, factū ostendit, dū refert, quod è latere mortui unda statim prorupit sanguinis & aquæ. per hoc certè declarans, Christi de grano, uaticinium implem fuisse. Per sanguinis enim & aquæ exundationē, regnum, ad quod erigendū uenerat, ueluti semen cœlesti imbri animationem (ut uocant) uitaleq; exordium sumpsisse cognoscimus. ita enim ipsa ueritas Christus figuræ primæ Adæ respondit, nam ut ex latere uerusti Adæ dormientis formata est Heua: ita ex noui Adæ latere mortui in cruce, ecclesia. quod enim dixerat, Ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me ipsum: cognoscitur iam pedetentim cœpisse implere, uidelicet cū rediuiuus apostolis mentem aperuit, ut intelligerēt scripturas: cum eadem eos potestate misit, qua ipsum miserat pater: cū potestatem eis dedit remittendi, remittendiq; peccata: cū ex uniuersis uniuersis rā commisit pascendi, regendiq; agnos & oues. Hęc & alia his similia certū est ueluti germinationes fuisse regni sui, sed clandestinas, quippe hominū intuitū adhuc fugientes. Partū uero Ecclesiæ indicauit, quando abiturus præcepit discipulis, ab Hierosolymis ne discederēt, quò usq; spiritu sancto baptizati palam induerent uirtute ex alto. Cuius tēporis et à cœna præclare meminerat, adducta similitudine mulieris magno dolore parturientis, sed quæ simul ut peperit, omnis doloris obliuiscitur.

Vniuer-

Vniuersus priorum rerum ordo Ecclesiastici regni nuncijs. V.



Hoc regnū etiam ij qui olim aduentum Christi expectabant, nobiscum coluerunt: quippe qui teste Paulo eadem fide id præstolabantur, qua nos diu desideratum, & iam præsens, obseruamus. Antequam, inquit, uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eandem fidem, quæ erat reuelanda. Idem in epistola ad Hebræos altius repetitū diligenter inculcat, cum dicit omnes seniores à primo omnium parente, quotquot laudē fuerint digni, testimonium diuinæ laudis promeruisse per fidem ut, fides sit ueluti aurea illa (quam uulgò prædicant) Platonis catena, quæ usq; ab exordio ad finem, rerum fabricam continuat, donec paretur assiduo, apteturq; materia ad construendum, perficiendumq; magnum illud, atq; omnia ambiens Christi regnum: ueteri uidelicet & nouo populo, imò potius omnium seculorum electis hominibus unam triumphi pompam conficientibus, eius instar, qua Christus asello insidens Hierosolymam ingrediebatur. in quo triumpho quædam turba præcedebat, quædam sequebatur, alij autem ramos cædebant, aut sternebant, uestimentis suis uectorem Christi, uel uiam, qua uenturus erat, ornabant. Sicq; alij alijs intenti, uno omnes concentu & uoce Deum de Christi regno laudabāt, dicētes: Benedictus qui uenit rex in nomine Domini. Turba enim quæ præcedebat, ueteris: quæ uerò sequebatur, noue religionis regnū: separatim uerò alij aliud agētes, naturalis religionis palantes greges referebāt, nēpe eos ethnicos, quos præter cognitionē naturalis religionis spiritus diuinus alios alijs modis docuerat, ut immortalis felicitatis authorem eundem cū electis expectarent. Qui uniuersi ueluti unū chorū constituentes, eam domum repræsentabant, quam, ut habet Epistola ad Hebræos, Moses tanquam alienam, & minister: Christus uerò ceu filius, et tanquam propriam administrauit. Ita à rerum initio studuit diuinus spiritus huius regni (in quo solo uera omnium hominum salus) fundamentū agere. Sed mirabitur aliquis, & merito bonoq; iure mirabitur, quid sibi uelit (cū huic perspicuum sit nullam fuisse ætatem, qua Deus electis non dederit spiritum suum) quòd tam pleno ore omnia olim uaticinia cecinerint, futurum aliquando (perinde ac si nusquā prius contigisset) ut hominibus Deus spiritū suum impertiretur. Imò ut uetera præteream, eo tempore, quo Christus iam consuetudinem agebat inter mortales adhuc mortalis, dixit Ioannes tum nondum fuisse spiritum datum, eo quòd Iesus nondū fuisset glorificatus. Quod Christus quoq; frequenter, præcipue uerò in ultima cœna, mirū dictu, quot quamq; splendidis uerbis confirmauit, missurum se pollicens propedem & consolatorem, & doctorem, & directorem spiritum, qui à patre procedit. Hęc, & omnia similia hoc unū significant, quòd nunquam antea spiritus se ita simul in hominum mentes insinuarat, ut ipso die

G Penteco-



Rom. 8.

Pentecostes, quando partum ab exordio rerum quasi utero gestatum in lucem edidit. Ideoque quod Paulus scribit de posteriori tempore, uniuersam creaturam expectare, ut palam fiant filij Dei: possumus pari, imo maiori ratione affirmare, omnia quae prioribus temporibus siue iuxta siue supra naturam acta sunt, anhelasse, atque adeo certatim conspirasse in aduentum illius, qui esset morte sua mortalibus allaturus immortalitatem. Ideoque tot seculis ipsam rerum uniuersitatem ueluti uterum gestasse, parturisseque ecclesiastici regni exordium: sicut ab eo tempore deinceps uniuersa creatura dicitur Paulo, assidue parturire eiusdem regni consummationem.

*Quae Christus à cena patrem orauit, impetrauit die Pentecostes, quando Ecclesia coepit. VI.*



Ioan. 17.

**A**D huius regni ecclesiastici perfectionem, cum à cena ad horum egrederetur, obnixius à patre caelestis tria non solum rogauit, uerum etiam sancte obsecrauit Christus: nempe ut sibi gloria, suis uero sanctificatio atque unio (ut cum Augustino ea uoce utamur) daretur. Sed quam nam gloriam tam ardenti oratione petere potuit, quam iam non esset à patre consequutus? cum nunquam non miraculis, prodigijs, atque sua ipsius sensibili praesentia, supra quam dici potest, eum pater illustrasset: certe ea est illa tantopere expetita gloria, quae noua lege, nouisque magistratibus institutis usque ad coelum, nondum inter homines resplenduit quinquagesimo à resurrectione die. Sed dices, cum gloria aliud non sit, quam frequens (teste Cicerone) de aliquo fama cum laude, quid filio Dei cum laudibus humanis? Nihil profecto, nisi ut per suam gloriam glorificetur & pater, cuius certe gloriam querit quam diligentissime. Et hoc est, cur quoties ad patrem clamat, Pater glorifica filium tuum, ferè addat, Vt & filius tuus glorificet te: indicans suas & patris res ita esse connexas, ut non possit sua augeri, quin patris quoque gloria augeatur. Verum inquires, quid & patri cum laudibus nostris? Nihil prorsus, quippe qui non solum in semetipso bonus, diues, & foelix, sed fons quoque omnis perfectionis atque foelicitatis sit. Veruntamen quia (quae infinita sua bonitas est) nos quoque uult suae foelicitatis esse particeps, nostraque foelicitas ex cognitione Dei ueluti è primo fonte (ut primo libro ostendimus) proficiscitur: ideo & pater & filius glorificari quaerunt, hoc est à creaturis agnosci, amari, coli, diligere & laudari: ut quo maiori nobis sunt admirationi, eo pressius in nostras mentes insidant. Sed habet hac oratio aliud, omnibus hominibus ad perfectam foelicitatem quam maxime necessarium. Nam cum religio nostra (ut uocant) supernaturalis, hoc habeat praeter naturalem religionem, ut agnoscat uno in Deo personarum trinitatem, tam commodo ordine et gradu ad huius cognitionem in hac oratione sua flagrantissima nos ducit Christus, ut apertius uix posset: cum tamen omnia potest. Primum ponit gradum, cognoscere patrem: secundum

Cap. 5.

secundum, credere filium esse à patre ad nos missum: tertium, cognoscere filij cultores à patre, sicut ipsum filium diligere. Hoc unum spectat, hoc uult, ad eum exitum properat tam sollicita Christi oratio. Nec tacuit alibi hunc foelicitatis ordinem. Cum enim arguit quodam loco quosdam inertiae, Neque patrem, inquit, nouerunt, neque me. alibi interrogantibus, Quid faciemus ut operemur opera Dei? respondit: Hoc est opus Dei, ut credatis in illum, quem misit ille. Lazarum quoque excitaturus, fremens spiritu ait: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quod semper me audis: sed propter turbam quae circumstat, dixi, ut credant quod tu me miseris, plane & aperte significans, se omnia in eum facere finem, ut crederent homines, quod pater eum misisset. & cum addidisset, Vt cognoscat mundus, quod tu me misisti: subiungit, Et dilexisti eos. paulo ante discipulos ita affatus erat: Pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, quod à Deo exiuerim. Hic uero addidit, quo affectu pater tales amet: Dilexisti (inquit) eos, sicut & me dilexisti. Quanta igitur Christiani dignitas, ita creaturam à patre, sicut filium ipsum creatorem diligere: Haec ut citius omnium nationum hominibus innotescerent, tanto aestu semper Christus ad suam illam gloriam aspirabat: non tamen in suam, nec patris sui (ut diximus) utilitatem, sed eorum quos illi pater selegerat è mundo. Quare & discipulos Christi insigni aliqua gloria illustres atque nobiles fieri oportuit, ut hac conspecta, & perpendentes quantum à Deo patre hi diligerentur, discerent mundanis rebus inuoluti homines, his contemptis ad amabiles et paternos illos amplexus cum ijs festinare. Ideoque discipulorum gloriam Christus in eadem oratione non minus insignem futuram praedixit, acerat suae: Ego, inquit, gloriam, quam tu pater dedisti mihi, dedi eis. Hanc quis negarit, si alias, praecipue tamen ipso die pentecostes discipulis datam fuisse: cum magis illustres reddiderit mundo ea unius diei gloria illos despectissimos prius homines, quam totus prioris gloriae cumulus Christum: huius tamen particeps factus est statim ipse Christus, quando hac gloria illustrati, se discipulos eius publice proclamabant & testes: ipsum autem & dominum & magistrum, omnisque muneris authorem confitebantur. Erant ad hanc rem, ut omnia commodius fierent, tam loci quam temporis conditiones diuinitus ordinate, ut ad magnum hebdomadarum diem ex toto orbe Iudaeis, qui tum latius dispersi erant, et multis aliarum nationum hominibus in unum locum conuenientibus, res nunquam audita, coram uniuersarum nationum hominibus promulgaretur. Ita ut horum praceptor, etiam si discipuli toto orbe euangelium non diuulgassent, facile ex tam paruae scholae diuina illa gloria per omnes orbis angulos, unde tunc uarij confluxerant, innotuisset. Quo & ipse Christus spectabat, quum de paucis illis sibi electis diceret: Glorificatus sum in eis, quam eandem patris quoque fuisse gloriam Christus eodem loco ostendit, cum ad patrem dicit: Mea omnia tua sunt, & tua

Ioan. 16.  
Ioan. 6.

Ioan. 11.

Ioan. 17.  
Ioan. 16.

Ioan. 17.

Ioan. 17.

mea sunt: subiungens, quod modò dicebam, Et glorificatus sum in eis. Vt iurè David de ea quæ ex hoc paruo hominū coetu propagata est ecclesia, cecinerit: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, et diuus Paulus eā dē ueluti proprio perpetuoq; epitheto appellarit gloriosam, quasi diceret cumulo omnis gloriæ locupletatā. Atq; hæc de gloria: nunc de sanctitate dicamus, quam Christum diximus secundo loco poposcisse. Sacris literis uox *שׁוֹרָר* admodum frequens est, dicta à uerbo *שׁוֹרָר* quod prima significatione destinare, statuere, decernere & præparare significat. Vnde & *שׁוֹרָר* dispositos, firmos, fortesq; uiribus dicūt. Quam uocem Græci ferè trifariam reddentes, *ἁγία* propriè de rebus diuinis, *δυνα* de rebus publicis, *ἀγία* de utrisq; atq; adeò de omni re ueneranda dicunt. Latini autem in differenter uertunt, sancta. Firmare enim ac munire, et sub certæ poenæ interminatione ab iniuria defendere, uocant sancire. hinc Sanctum: uel ut quidam uolunt, à sagminibus, quæ uerbena est, qua foedera sanciebantur. hocq; proprie inter sacrum et sanctum ponunt discrimen, ut sacrum sit, quod publica authoritate dñs dictum: sanctum uerò, quod tanquam diuini iuris inuiolatum manere debere, eadem authoritate sub capitis poena decretum est. sic enim muros ac portas ciuitatis sanctas appellant. At n̄ qui nobis diuinas scripturas tradiderunt, utriusq; uocis sancti & sacri significationem confundentes, *שׁוֹרָר* hebraicè, & latinè sanctum uocarunt, quod per insignē sanguinis effusionem Deo commendatum ac dictum est. Atq; hinc est quòd Christus non solum per res sanctas passim præfiguretur, sed interdum absolute sanctū dictus sit: ut Gabriel ad uirginem, Quod ex te nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Danieli uero, sanctus sanctorum dicitur. Hanc etiam ob causam agnus ab origine mundi occisus appellatur à Ioanne, eo quòd ad omnium hominum sanctificationem, sanguinem suum esset effusus. Sed quomodo uoluit sanctificari, quos hic sibi delegerat Christus? sciebat ille, imò prædixerat, quantis afflictionibus ueri euangelij sectatores obruerentur. His ut obliſterent, nouam sanctitatem, id est eminentiorem firmitatem suo sanguine uendicatam illis precatur, quum ait, Non rogo ut tollas eos de mundo (non exemptos cupiens eos à mundi procellis) sed ut serues eos à malo, *ἐκ τοῦ πονηροῦ*, ne in grauissimis procellis succumbant illi omnium malorum auctori. Similiter cum ait, Sanctifica eos in ueritate tua: aliam sanctitatem illis precatur, nempè ut perpetua & inconuulsa nouæ legis intelligentia nouo populo maneat. quare subdit, Sermo tuus ueritas est. Rursum cum ait, Sicut tu emisisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum, & pro eis sanctifico meipsum: & cætera. Vides hic aliud, quod suis optat, nempè ut lex noua non in uno orbis angulo, ut lex Mosaica, sed omni loco innotescat: & donec hoc factum sit, stabili & perpetuo cursu diuulgetur. Atq; hæc tam multiplex sanctificatio facit, ut nouus populus passim in scripturis, peculiariter uocetur sanctus.

Psal. 86.  
Ephes. 5.

Luc. 1.  
Dan. 9.  
Apo. 3.

Ioan. 15.  
E 16.

sanctus. Nunc de unione, quam tertiam Christus patrem rogauit, uideamus. Hanc sanè patrem omnium diligentissime obsecrauit, nec simpliciter, sed & uerbo expressit qualem eis optaret, dicens: Pro eis rogo, ut omnes unum sint. uerum hac mutua inter se coniunctione non contentus, etiam cū ipso Deo gregem uniri exoptat: Vt & ipsi, inquit, in nobis unum sint. Quàm sit uero ea unio incomprehensibilis, declarat quum ait: Rogo ut omnes unum sint, sicut & tu pater in me, et ego in te. & iterum, Pater sancte serua eos per nomen tuum, ut sint unum, sicut & nos. Grandis sanè unio sit oportet, quam Christus tantæ coniunctioni, nempè Dei patris & unigeniti filij comparauit. Quem uero gradum huiusce unionis suis optarit, ne id quidem obscure significat: Ego in eis, ut tu in me, ut sint consummati in unū. Vide quæso, ut summo coniunctionis gradu (quantum certè possit humana natura ferre) omnes cum patre uult esse conglutinatos. Atq; huc præcipue tota oratione se spectasse, cum precaretur, manifeste declarat, ubi causam addit, quare illam gloriam, quam à patre tam sollicitè quæsierat, in suum gregem totam transtulisset: Vt sint (inquit) unum, sicut et nos unū sumus. Quantum uero ualeat hæc arctissima societas, ad tres illas cognitiones nouo populo peculiare capessendas, de quibus superius egimus, ipse Christus satis exprimit, ubi ipsum uoti sui scopum & fructum indicat: Vt credat, inquit, mundus, quod tu emisisti, & dilexisti eos, qui nobiscum unū sunt, sicut & me dilexisti. qui est supremus gradus omnium cognitionum, quas Christus in ea oratione hominibus optabat. Hæc nulli naturalium unionum rite comparari potest, tametsi illi similior sit quæ rationem habet mutui influxus, qua membra eiusdem animantis uniuntur. Ideoq; Paulus conatus quibus potuit modis rem tantam exprimere, cum alijs locis, tum in ea epistola quam scripsit Ephesijs, ubi de connexionione ecclesiastica multa præclara docet: Corpus, inquit, ecclesiæ si coagmentetur & compingatur per omnem commissuram sub 10 ministracionis, iuxta actum in mensura uniuscuiusq; partis, incrementum corporis facit in ædificationem sui ipsius. quum dicit commissuram subministracionis, connexionem indicat functionum: & quum dicit, iuxta actum in mensura uniuscuiusq; partis, mutuam intellige opem. Nā licet singulis corporis partibus eadem non sit uis, quæq; tamen pars 20 proposita mensura opem fert alteri, ut uicissim ab alia sibi succuratur, omnibus simul membris ad incrementum unius corporis certatim cōiſcientibus. Ea enim membrorum est harmonia, ut alterum ad alterius profectum usq; intentum sit, nec aliquid prætermittat, quod ad promouendam, augendam, conseruandamq; totius corporis salutem attineat. 30 Vide cuiusmodi sit Christianæ unionis consociatio, ut mortales de ea balbutire possimus. Per eam etenim ita se diuinus spiritus in hominē insinuat, ut ei præstet uitæ societatem, quæ proxime ad æternam uitam accedit. Ideoq; hoc unionis præconio aliud præclarius ecclesiæ dari nō 40 potest.

Ephes. 4.

potest. Hoc nomine eam compellat sponsus in amoris cantico: *Vna*,  
 inquit, est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitri  
 ci suæ. Huc & diuus Paulus respicit, toties ac tam studiose ecclesiasticæ  
 coniunctionis uinculum commendans. Christus uero omnium mani  
 festissime, quum aliàs, tum hic precipue, ubi nouæ religionis cultores  
 à superiorum ætatum credentibus separat. Nam cū paulo antè dixisset,  
 Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi: subiunxit, Non  
 pro eis rogo tantum (de paucis præsentibus loquens) sed pro ijs qui  
 credituri sunt per sermonem eorum: clarissime de ijs solū loquens, qui  
 per apostolorum doctrinam ipsum essent cognituri. Sed quod summe  
 mirandum, quotquot in presenti, & quotquot posteris ætatibus in ip  
 sum alij per alios credituri essent, hos ut consertam coronam patri offe  
 rens, optat catena ecclesiasticæ unionis uere aurea uniuersos colligari,  
 ut omnes unum sint ex uniuersis, qui continua successione euangelium  
 suscepturi erant, unam congregationem constituens, quæ propterea  
 catholica, id est uniuersalis ecclesia nuncupatur. quippe non in aliqua  
 orbis parte, ut ueteris religionis populus, sed uniuerso orbe: neq; ad  
 certū aliquod tempus, sed ad consummationem usq; seculorum: neque  
 peculiariter ex Israhelitis, sed ex omnium hominum nationibus cōgre  
 gāda, ad incomprehensibilem inter sese et cum ipso numine unionem.  
 Hoc Christus eadem oratione manifestissime expressit, nam cum dixisset,  
 Vt omnes unū sint: subiunxit, Sicut tu pater in me, et ego in te, ut et ipsi  
 in nobis unum sint. Quæ numinis inexplicabilis cum nouo populo  
 coniunctio, licet summum Dei erga nos amorem necessariò pariat, uo  
 luit tamē hoc Christus apertius testari, quòd ille unicus fuisset scopus  
 suæ in terris peregrinationis, ut qua dilectione pater filium ab æterno  
 dilexerat, eadem etiam homines complecteret, quibus filius sic esset cō  
 iunctus. Cum enim dixisset, Notum feci eis nomen tuum, & notum fa  
 ciam: hic sanctissimas illas preces, non minus sancto epiphonemate fi  
 niturus, subiūxit: Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.  
 Voluit etiam huius eximij amoris, quo pater nouæ religionis cultores  
 prosequitur, tam conspicuum esse splendorem, ut toto terrarū orbe ui  
 sua hominum mentes perlustraret. Vt, inquit, cognoscat mundus, (to  
 tum humanum genus significans) quod dilexisti eos, sicut & me dile  
 xisti. Et quid ni arbitramur eadem dilectione patrē corpus prosequi,  
 qua ipsum corporis caput: aut quis dubitabit, quin unā cum summo  
 (quem diximus) amore, promissionum quoq; uniuersus cumulus sic  
 per filium unitæ sibi ac dilectæ ecclesiæ datus sit, præsertim cum hoc  
 ipsum Christi nouissima uerba declarent, nempe nō eas tantum quas  
 Deus olim Abraham pollicitus fuerat, uerum etiam cæteras promissio  
 nes, siue antea siue postea factas, tum mox per spiritum sanctum com  
 pleri debere: iam enim abiturus præcepit suis, ne discederent Hie  
 rosolymis, sed expectarēt promissionem patris, obserua quod dicit Pa  
 tris

tris promissionem, uno uidelicet uerbo uniuersas complexus. Hæc  
 de gloria, sanctificatione, & unione, quæ Deus, ut ecclesiæ reti  
 nacula, tam obnixè à patre cœlesti postulauit: discipuli uero in di  
 em usque Pentecostes expectarunt. Ad quem diem spectant omnia  
 illa dicta & gesta, quæ de ecclesia, Christianorum regno, præuncia  
 ta atq; præsignificata fuerunt.

*Qua forma loquendi prophetæ, Lucas, & cæteri,  
 huius diei acta descripserint. VII.*

10 **V**ius uerò diei acta maximo uerborum artificio prophetæ  
 descripsere. testatur istud Petrus, cum hoc die coram popu  
 lo oraret, in illo Iohelis loco sollicitè inculcando: Et erit, in  
 quit, post hæc dicit Deus, effundā de spiritu meo. Per uer  
 bum Effundam, prodiga largitione arcam spiritualium donorum ita  
 aperiēdam significans, ut nihil esset non daturus, cuius mortales essent  
 capaces. et addit, Super carnem: hominem infimo, quo potest, uocabu  
 lo designās: ut significaret, Dei dona usq; à summa mētis parte ad cor  
 poreas defluxura. Nec simpliciter dicit Super carnē, sed Super omnē  
 20 carnem: quod non solum ludæi, sed etiam efferæ quæq; nationes spiri  
 tualium donorum forent participes. Et ut planè intelligeremus, neq;  
 sexus, neq; conditionis, neq; ætatis differentiam hinc excludendam, ex  
 pressius statim annexuit: Et prophetabunt filij uestri & filia uestra,  
 iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabūt,  
 & super feruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de  
 spiritu meo. Sic & Zacharias: Erit in die illa, effundam super domum  
 30 David, & super habitorem Hierusalem, spiritum gratiæ & misera  
 tionum, & aspicient ad me, quem transfixerunt. Quod ex ijs prodi  
 gijs, quæ Deus eo die publicè exhibiturus erat, agnitori essent ludæi  
 eius maiestatem, quem paulo antè cruci affixum, summa affecissent  
 40 ignominia. Qua de re idem alio loco locutus est aliquanto præclari  
 us: Lauda & exulta filia Sion (exortam in Sion ecclesiam intelli  
 gens) quia ecce ego uenio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus,  
 & adiungentur gentes multæ ad Dominum in die illa. Clarius Eze  
 chiel: Aspergam super uos aquas mundas, & mundabimini ab omni  
 bus inquinamentis uestris. uim enim intelligit ecclesiastici baptis  
 mi, qui eo die accepit initium. & subdit, Atque à cunctis idolis uestris  
 mundabo uos. Quibus uerbis supprimendam innuit, ita ut exorta ec  
 50 clesia contigit, uirtutem oraculorum Sathanæ. Quum ait, Dabo uobis  
 cor nouum, & spiritū nouum ponam in interiora uestra: nouæ religio  
 nis noua munera significat. deinde, Auferam cor lapideum de carne ue  
 stra, & dabo uobis cor carneū: significans legem quæ in Sina in lapide  
 data fuerat, fore hoc die in legem, quæ cordibus carnalibus impressa es  
 set, commutandam. De qua re multo luculentius Hieremias, ubi Deus

pollicitus nouum se testamentum domui Israhel dispositurum, addit:  
 Dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum scribam eas.  
 Exr. 36. Sic de eodem die apud Ezechielem: Spiritum meum ponam in medio  
 uestri, ex eo enim tempore illud Christi uerū esse cœpit, Vbi sunt duo  
 Math. 18. uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. & paulo  
 post: Eritisq; mihi in populum, & ego ero uobis in Deum. quod quo-  
 Ezc. 36. modo, & quando factum sit, Ioannes explicat: Ecce tabernaculum Dei  
 Apoc. 21. cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ip-  
 Agg. 2. se Deus cum eis erit eorum Deus. Quin et illud Aggei uaticinium, Ad  
 huc semel, & ego mouebo cœlum & terram: epistola ad Hebræos do-  
 Ad Heb. 12. cet hoc die impletum fuisse, ostendens Deum, cum priorem legem tra-  
 deret, in terra: cum nouam, de cœlis locutum fuisse. Tuncq; terrā, nunc  
 autem non modo terram, uerum etiam cœlum concussisse. imò & ipse  
 contextus uaticinij declarat, in eū sensum accipi debere. nam sic habet:  
 Verbum quod pepigi uobiscum cum egredere mini de terra Ægypti,  
 Deut. 18. (pactum intelligit, quo erat huic genti astrictus, ut in signem illum pro-  
 phetam suscitaret ex fratribus ipsorum) hoc inquam uerbum, & spiri-  
 tus meus erit in medio uestri, nolite timere, quia hæc dicit Dominus ex-  
 ercituum. adhuc unum modicum est. Vide ut non loquitur de ijs quæ  
 in consummatione seculorum, sed de ijs quæ proxime euentura erant.  
 Adhuc, inquit, unum modicum est, & ego commouebo cœlum & ter-  
 ram, mare & aridam: & commouebo omnes gentes, & ueniet desidera-  
 tus cunctis gentibus. De quo et Iacob olim dixerat: Ipse erit expectatio  
 gentium. Venit autem hic desideratus, quando processit e uirginis ute-  
 ro: aduentum suum illustrauit, quando Palestinam doctrinis & mira-  
 culis repleuit, at multo illustriore reddidit, quando conscenso cœlo di-  
 uinum spiritum non sine magnis prodigijs coram omnibus, quæ sub  
 cœlo sunt, nationibus emisit, unde factum fuit, ut gentes (sic enim qui-  
 dam hunc locum uerit) uenirent cum ipso, nempè fama horum pro-  
 digiorum toto orbe dilatata. Hinc addit propheta: Et implebo domū  
 Agg. 2. istam gloria, dicit Dominus exercituū. Et quanta illa futura esset, sub-  
 iungens: Magna, inquit, erit gloria istius nouissimæ, plusquam primæ.  
 gloriam haud dubie miraculorum intelligens, quæ Christus maiora  
 quam prophetæ: & potissimum quæ accepto spiritu Apostoli in tem-  
 plo, quod extruxerat Zorobabel, maiora exhibuere, quam uerus Salo-  
 mon Christus. Non minus clare Esaias istius diei dignitatem expressit:  
 Esai. 32. Domus, inquit, deserta est, strépitus uerbis derelictus est, donec effūda-  
 tur super nos spiritus de excelso, et fiat ex deserto (gentes intelligit) ager  
 cultus, atq; ager cultus (populus scilicet Iudeorū) sylua existimet. Et alio  
 Esai. 44. loco, multo euidētius: Nūc igitur audi Iacob serue meus, & Israhel quē  
 elegi, &c. Effundā aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Per  
 aquas baptismum, ut Ezechiel per aquas mundas: & per fluenta, intel-  
 ligens reliquam donorum spiritualium copiam, quam cœlitus Deus  
 datu-

daturus erat. subdit enim: Effundam spiritum meum super semen tuū,  
 et benedictionem meam super germina tua. quod cū Christi uerbis pa-  
 lam conuenit, Non pro eis tantum rogo, sed pro ijs qui per sermonē  
 eorum credituri sunt in me. hi enim sunt illorum uelut semina & ger-  
 mina. Hinc celerem ecclesiæ progressum designans, Et succrescent, in-  
 quit, inter herbas quasi salices iuxta riuos aquarum: & iste dicet, Domi-  
 ne ego sum, ille uocabit se nomine Iacob: ubi frequentem concursum de-  
 clarat alienigenarum ad uere Israhelitarum fidem: hic scribet manu sua  
 Domino, qui est nouæ religionis seruator, intrepidaq; exercitatio: atq; in  
 20 nomine Israhel denominabit se. indicans eos, qui noui Israhelitici regis  
 euangelium amplecterētur, atq; ab eodem rege nomen, ut uocarentur  
 Christiani, in titulum honoris & gloriæ assumerent. Rursum alibi idē  
 Esaias: Hæc dicit Dominus excelsus et sublimis, habitans æternitatem,  
 cuius nomen in excelso, & in loco sancto habitans. Non in sempiter-  
 num litigabo, neq; usq; ad finem irascar: quia spiritus à facie mea egre-  
 dietur, quomodo et Christus: Mittam uobis à patre spiritum ueritatis.  
 Ea autem uisione magis præclare eius diei uirtutē Esaias præuidit, qua  
 euangelista scribit prophetam peculiari modo uidisse gloriam Dei, quā  
 do cernens Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatū,  
 20 Plena est, inquit, omnis terra gloria: Christianum nomen intelligens,  
 Christo in cœlos assumpto, per apostolicam euangelij annunciationē  
 celebre factum esse toto orbe. At multo apertius huius diei uim descri-  
 psit Oseas: Erit in die illo, ait Dominus, non uocabis me ultra Baali,  
 quod maritum quidem, sed durum & imperiosum significat, hoc &  
 Paulus dixit, Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Per-  
 cutiam, inquit Oseas, foedus cum eis in die illa. age uero cum quibus?  
 Cum bestijs campi, inquit, cū uolatilibus cœli, & cum reptili terræ. si  
 gnificans gentes efferas, sublimia ingenia, & crudeles tyrannos, reli-  
 cta feritate ecclesiasticam unanimitatem, ueluti facto cum Deo foedere,  
 30 amplexaturos. Hoc intellexit etiam Esaias: Habitabit, inquit, lupus cū  
 agno, & pardus cum hœdo accubabit: uitululus quoq; & leunculus, &  
 pecus pingue simul morabuntur, & paruus puer reget eos. non no-  
 cebunt, neq; detrimentum inferent in uniuerso monte sanctitatis meę:  
 hoc est, uniuersæ ecclesiæ. At Oseas: Et confringam arcum, gladiū, &  
 bellum de terra, & faciam eos quiescere confidenter. Sic Esaias: Conci-  
 dent gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces, nec leuabit gens  
 contra gentem gladium. quibus uerbis graphicè uterq; propheta de-  
 clarat, inchoatq; eo die ecclesiasticæ authoritatis mansuetudinem. Et se-  
 quitur apud Oseam, Sponsabo te mihi in sempiternum: quo modo &  
 40 præcurfor Christum sponsum, & Christus ipse discipulos suos filios  
 thalami nuptialis appellauit. Spōsabo te mihi in fide, et cognosces Do-  
 minum. quod Paulus et ex Hieremia citat: Non docebunt quisq; proxi-  
 mū suum, & unusquisq; fratrem suum, dicentes, cognosce Dominum:  
 quod

quòd omnes cognituri sint me ab eo qui pusillus fuerit inter eos, usq; ad eum qui magnus est inter illos. Inter alia enim inaudita et hoc Deus eo die fecit, cuius simile nullo unquam tempore fecerat, ut coelestem reuelationem alicui hominum cumulo impertiretur. Prius enim docuerat per Noë humanum genus: per Abrahamum electam familiã: per Mo sen uniuersos Israhelitas: per Christum omnes discipulos. Hic uerò non unum per alterum, neq; per unum ceteros, sed omnes simul docu

Ioan. 6.  
Esa. 54.  
Osee 2.

it, quotquot erant in illo foelici coetu. hoc Christus discipulis ex Esaia addixerat: Erunt omnes docti à Deo. Sequitur in Osea: Et erit in die illa, exaudiam dicit Dominus. nouam enim & insolitam benignitatem his uerbis significat. Exaudiam, inquit, coelos, & ipsi exaudient terrã: terra autem exaudiet frumentum, uinum & oleum: & hæc exaudient Iezrahelem. quibus ex eo die, quo exorta esset ecclesia, futurum prænu

Math. 13.

ciat, ut ex tota rerum uniuersate exhiberentur orbi inaudita prius miracula ad utilitatem Iezrahelis, hoc est ethnicae gentis, quæ quondam in uarias superstitionum formas disiuncta, nunc tandem in nouam religionem foret congreganda. Sic enim sonat, si quis interpretetur, Iezrael: de qua cum Oseas totam suam prophetiam proprie contexit, collectam intelligit ex gentibus ecclesiam. Et seminabo, inquit, eam mihi in ter

Osee 2.

ram. ob quod & Christus tot parabolis ecclesiam semini comparauit. Hinc subdit propheta: Miserebor ei quæ misericordiam non est con

1. Pe. 2.

secuta, & dicam ei qui non est populus meus, populus meus es tu: & ipse dicet mihi, Deus meus. quem locum cum Petrus omnino ad uerbum,

Rom. 9.

Paulus uero etiam cum nomine authoris, citat, manifestè hi duo declarant, totam eam prophetiam ad nouæ religionis militantem in terris ecclesiam spectare. Vide quæso Christiane lector, quam curam prophetae, qui de his uaticinati sunt, adhibuere, ut dignis uerbis ea explicarent quæ coelitus nobis hoc die danda essent, quando ecclesia institueretur. Quin et Lucas eius diei miraculum describens, non minus diligens est hac in re explicanda. quod illi facile manifestum erit, qui uel parum dili

Acl. 2.

genter eius phrasin considerarit. Hic cum rerum aliquarum uniuersitatem indicare uult, eam exprimere solet hoc modo, περι πάντων, ἐν πάσῃ τῇ ἰουδαίᾳ, οὗτοι πάντες, & ὁμοθυμαδόν. Item, πάντα τὰ ἀπὸ γλῶσσαι, πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν, ἐν παντί χρόνῳ. &, σὺ κύριε καρδιογνώσα πάντων. Huc uero ut peruenit, quo dignius rem maiorem explicet, ueluti repente raptus, ita ἐπιτακτικῶς loquitur, ἴσαμ ἅπαντες, non πάντες simpliciter, ut prius, & ὁμοθυμαδόν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ut non antè solum ὁμοθυμαδόν, ὅλον τὸν οἶκον, quod certum est uehementius significare, quàm si dixisset πάντα τὸν οἶκον, qua forma prius dixerat ἐν παντί χρόνῳ. & ἐκάθισέ ἐφ' ἓνα ἕκασον αὐτῶν. quo constat uehementius rem exprimi, quàm si simpliciter dixisset, ἐφ' ἕκασον. tandem, ἐπλήσθησαν ἅπαντες. Hinc cætera prosequens, repente redit ad priorem (ut diximus) uerborum simplicitatem. Quo quid aliud indicare uoluit, quàm de quibus uehementius locutus esset, uehementiorem quoq; conside

40

rationem

derationem habendam. Nec id minus ponderandum, quòd dicit dissectas linguas tanquã igneas apparuisse in numero multitudinis, unamq; super singulos sedisse: ac si diceret, super singulos quidem coelitus diuisim lapsas, sed omnes in unum coisse, ut solent plures radij in unum centrum. Hæc non aliò tendunt, quàm ut significaret homines omnium nationum olim more ferarum inter se sæuientes, per susceptam nouam religionem diuersis quidem muneribus dotatos, mente tamen & uoluntate prorsus unitos. O mirandam mutationem. Iam quod addit, omnes repletos fuisse spiritu sancto: planè indicat, non solum singulos ad priuatam necessitatem, sed & uniuersos, hoc est totum ipsorum conuentum repletum fuisse tanta donorum mensura, quanta opus esset ecclesiasticae connexioni, societatiq; conseruandæ et continuandæ. Sed quòd insigniter dicit, domum quoq; ubi erant sedentes, fuisse totam sono irruentis è coelo flatus repletam: notat & ipsa, quæ circunstabant ecclesiasticum coetum, & omnia instrumenta ecclesiæ, quorum usus ecclesiæ promouendæ necessarius est, sicut diuitis suppellectilis in ampla domo eo die coelestem uim simul accepisse. Non æquali portione tamen omnibus spiritus datus. aliter enim apostoli, aliter alij eo numine afflati, aliter Christus ipse. nam de hoc testatur scriptura, quod non ad mensuram Deus illi spiritum dederit, sed solus sit ita plenus gratia & ueritate, ut ex huiusmodi abundantia acceperint, quicquid habuerunt, electi uniuersi: prout horum cuiq; Deus partitus est, alijs maiorem, alijs minorem fidei mensuram. Quod uero hoc die apostoli dicuntur repleti fuisse spiritu sancto, & Bezeleel olim impletus spiritu Dei, Barnabas plenus fide ac spiritu sancto, Stephanus plenus fide, fortitudine, & spiritu sancto: id ea ratione intelligere oportet, quod illis Deus ita impartitus fuerit plenam donorum mensuram, ut in eo opere, ad quod eos spiritus uocasset, omne excederent exemplum. plenam enim mensuram uirtutis contulit Deus Bezeleeli, quanta opus esset ad extruendum tabernaculum: Barnabæ, ad prædicandum: Stephano, etiam ad concertandum cum omnium nationum doctis Hebræis: Apostolis uero, totiq; illi coetui, atq; ad eò uniuersis ecclesiasticae domus instrumentis, quomodo hic Lucas scribit, eius uirtutis plenam mensuram contulit, qua opus erat, ut nouæ religionis doctrinam, cumulumq; omnium diuinarum donationum, tum ipsi tum posterij communicarent per omnes ætates toti orbi. Neq; ipsi apostoli uno modo eius diei uim explicarunt. ad uentum enim Christi, qui Esaia olim annus acceptus, Psaltæ annus benignitatis dicebatur: Paulus temporis uocat plenitudinem. diem autè ipsum missi spiritus, diem lucis et diem salutis: tempusq; quod præcessit, noctem. quem etiam diem Psaltæ coronam uocauerat anni benignitatis, Benedices, inquit, coronæ anni benignitatis tuæ: in eo psalmo quem proprie de eius diei prodigijs scripsit, hoc nomine eum uocans, quòd (ut Paulus testatur) destinatas aliquando, deinde patribus promissas

10

20

30

40

Ioan. 3.

Ioan. 1.  
Rom. 12.

Exod. 31.

Acl. 11.

Acl. 6. et 7.

Esa. 49. et 61.

Psal. 64.

Gal. 4.

Rom. 13.

2. Corint. 6.

Psal. 64.

Ephes. 3.

missas

missas, sed ad ea usque tempora abscondas illas sapientiae, gratiae, & gloriae suae immensas diuitias, hoc die nobis Deus per spiritum sanctificationis exhibuerit. In alijs, inquit, aetatibus non innotuit, quemadmodum postea reuelatum fuit apostolis per spiritum, &c. Manifestius etiam ad Corinthios, dum eos epistolam uocat inscriptam non atramento, sed spiritu Dei uiuentis: non in tabulis lapideis, sed cordibus, alludens ad id quod supra ostendimus, Hieremiam & Ezechielem uaticinatos.

*Hiere. 31.* Hinc pergens: Oculis, inquit, non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quae praeparauit Deus diligentibus se: nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum. Et in epistola ad Hebraeos, ubi declarat, a spiritu sancto nondum manifestatam fuisse sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo consistente, sed incepisse eam primum narrari per ipsum Dominum, hoc nempe die, quae tandem ab ijs qui audierant, in nos (ut eadem epistola dicitur) confirmata fuit, attestante Deo & signis, & prodigijs, uarijsque uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus iuxta ipsius uoluntatem. Sic & Petrus huius diei uim subindicans eos, ad quos scribit, delectos dicit iuxta praefinitionem Dei patris per sanctificationem spiritus. Et multo clarius dicit prophetis, qui de uentura in nos gratia uaticinati sunt, reuelatum fuisse, quod haud sibi ipsis, imo nobis ministrarent ea, quae annunciata sunt per eos qui predicauerunt euangelium per spiritum sanctum emissum e coelo. Sic & Paulus gloriam prioris legislatoris, & uelamen, quod ad hunc usque diem, cum legitur Moses, cordibus Iudaeorum impositum est, statuentes ex opposito lucis et gloriae nouae legis: Nos, inquit, omnes resecta facie gloriam Domini in speculo representatam contemplantes, ad eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu. Et ideo Ioannes scripsit, tria esse, quae ecclesiae eminentiam toti terrarum orbi testantur: nempe spiritum, aquam, & sanguinem. eo quod spiritus hoc die lauacro ecclesiae per mortem Christi uim contulit, qua ex paruo coetu immensa fidelium congeries per omnes totius orbis nationes coalesceret. quomodo & Paulus ad Titum: Secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulente. quin & ad Romanos dilectionem Dei scribit effusam esse in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. quem idem crebro arrhabonem uocat, ueluti specimen, atque adeo ineffabilem quendam & summum, qui in hac uita nobis contingere potest, gustum illorum futurorum, aeternorumque bonorum, ut ad Corinthios: Qui unxit nos, deus est: qui etiam obsignauit nos, deditque arrham spiritus in cordibus nostris. rursus: Parauit nos in hoc Deus, ut absorbeat mortalitas a uita, qui ideo dedit nobis arrhabonem spiritum. et cum dixisset Ephesijs, Ob signati estis spiritu promissionis sancto: subiunxit, qui est arrhabo hereditatis nostrae in redemptionem acquisitae promissionis. Quod donum Paulus affirmat

mat aliqua in parte praestantius esse foelicitate spirituum beatorum, cum scribit, innotuisse ex eo die principatibus & potestatibus in coelis, uariam Dei sapientiam per ecclesiam. Res omnem profecto exuperans admirationem, militantem in terris ecclesiam, factam hoc die triumphantium cum Christo principatum & potestatum doctricem, ac magistram. Haec apostoli, & similia de ecclesiae exortu. Iam plura alia sunt, quae ante omnium prophetarum scripta huius exortum praefigurarunt. Abrahamo Deus duo fecerat promissa, unum egressuro ex Charran, cum ait: Egrede de terra tua, & magnificabo nomen tuum. alterum ingresso iam planitiam Morech: Semini, inquit, tuo dabo terram hanc. a priori promissione supputat Moses tempus egressionis Israelitarum ex Aegypto: Expletis (inquit) annis quadringentis & triginta, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti. posteriorem Paulus tractans, non minori diligentia subducit & ipse tempus ipsum intermedium, usque ad datam legem, quae duo promissa ferenda aliquando legem nouam in Sion praefigurabant. Eodem spectat & illa diligentia, qua postea Moses, non minus exacta temporis subductione scribit, se Israelitis tam diu haerentibus circa radicem Sina, anno secundo ab egressu ex Aegypto prima die primi mensis, quae fuit sexto calendas Aprilis, erexisse tabernaculum, & extemplo nubem illam ducem itineris illud operuisse. eodem die Aaron sacerdotem consecratum. eodem & principes coepisse offerre donaria. hanc figuram apertam nobis uideamus eo die, quo aeternus sacerdos Christus excitatus est e mortuis, nempe sexto calendarum Aprilium. quo die & Paulus dicit illud impletum fuisse, quod apud Dauidem pater cecinit ad Christum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Octauo eiusdem mensis scribit Moses, Aaronem inceperunt exercere Pontificatus officium: eodemque die ignem coelitus descendisse in altare holocaustorum. Huius praesagij uim eo die uidimus exhiberi, quo Christus discipulis suis ueritatem resurrectionis, effossi lateris contractione confirmans, nouae religionis perpetuum tradidit, inextinguibileque alimentum. Quapropter, quod idem scribit Israelitas cum anno circa montem Sina haesissent, & repente nubes se praebuisset ductricem exercitus, mense secundo, uigesimo die mensis, ipso diluculo castra mouisse: quod contigit ipsis idibus Maij. Figura fuit illius, quod eodem die & hora (ita ut factum est) descenderet in foelicem coetum ductor & doctor diuinus spiritus. Quaeque postea Moses de Iubileo quinquagesimo anno celebrando sanciuit, manifestissimum est, & ea ad hunc diem profus spectare. remissiones enim iubilei figurae erant remissionis de qua Hieremias: Placatus ero super iniustitijs illorum, & peccatorum eorum, & iniquitatum illorum non recordabor amplius. sic & quies iubilei figura erat diuinae quietis, quae coepit hoc die. inditis enim cuius rei suis uiribus, scribitur Deus septimo die cessasse ab omni opere naturae. Sic certe & septima orbis aetate constituta, hoc die

ecclesia requieuit ab uniuerso opere gratiae. ea enim uis, quam tum praestitit ecclesiae, seminarium fuit omnium coelestium bonorum, quae Deus unquam constituit dare mortalibus. quod & Paulus ostendit: Operibus, inquit, mundi perfectis, quamuis die septimo requieuerit Deus ab omnibus operibus suis, post multum tamen inde temporis, ijs quibus fuit infensus, iurauit in ira sua, si ingressuri essent in requiem suam. haud sanè illam intelligens, quam Iosuae praestitit, qui eum populum in terram promissam perduxit. Post multum enim temporis Dauid hoc uerbum locutus est, Hodie, inquit, si uocè eius audieritis, scilicet eam quam introiuimus nos, qui credidimus, anhelantes interim ad illam requiem aeternam, quam & ipsam Iubileus praefigurabat. Porro sub trigesimo primo iubileo praecursor suam praedicationem exorsus est, qui & ultimus fuit iubileorum. Congruerat enim, ut is qui confinis terminus erat legis & euangelij, Iudaicis etiam iubileis finem imponeret. Sed hoc die Christus nouae religionis iubileum instituit, qui & continuabitur usque ad aeternum duraturum iubileum, quo Deus cessabit ab operibus uniuersis, hoc est, naturae, gratiae, & gloriae.

*Mirifica signa ueteris religionis sub aduentum nouae pedetentim abolita. V III.*



**N**ouae etiam religionis gloriam mirificè extollit illud, quod sub huius aduentum omnis ille ueteris religionis splendor sensim quasi flosculus deciderit. Huius splendoris signa quaedam enarrat Chrysostomus mira diligentia: quorum aliqua ex his inferioribus, sed plura & magnificentiora è superioribus data Hebraeis docet. Ad faciendum etenim sacrificia, altare quidem erat ex inferioribus, inquit, quemadmodum gladius, & ligna, nec non sacerdotes: ceterum ignis uenturus in adyta illa, uictimasque consumpturus, è supernis habebat originem. Nec enim homo inferebat ignem in templum, sed flamma è sublimi immissa consumebat hostiam. Rursum, si quando cognoscendum erat aliquid, uox quaedam à propitiatorio è medio Cherubin prodibat, quae praediceret futura. & è lapidibus qui erant in petore summi sacerdotis (rationale uocant) relucebat fulgor quidam futura significans. Praeterea quoties esset aliquis inungendus, deuolabat spiritus gratia, & insiliebat in unguentum. Quin & nebula frequens et fumus adyta corripiebat. Haec Iudaicae religionis magnifica signa enumerat Chrysostomus, oratione tertia aduersus Iudaeos. At multo plura iactitant ipsi Hebraeorum scriptores, uidelicet quod ignem qui dicitur preparationis, & quem per singulos dies mane à sacerdote accessum oportebat assiduis fomentis continuare in altari holocaustorum, quod erat sub dio, quod (inquam) illum ignem neque pluuie extinguere, nec inde ascendente fumi columnam uentus quassare poterat. Praeterea septem lucernas in sancto è regione panum propositionis uesperis incensas, nullo casu extinguere solere. Sed nec manipulus frugum, quem postridie sabbati azy-

morum:

morum: neque duo panes primitiarum, quos ipso festo die Pentecostes: neque duodecim panes propositionis, quos singulis sabbatis sacerdos offerebat, contrahebant mucorem. Similiter neque carnes sanctuarij foetebant unquam, neque ex illarum nidore mulier unquam abortiebat. imò neque musca unquam uisa erat in macello templi: neque accidens, hoc est (ut ego intelligo) necessitas operis naturae, sacerdoti magno contigebat ipso die expiationis, quando semel duntaxat toto anno ingrediebatur sancta sanctorum. interioris quoque altaris cineres, & lucernarum emunctiones, fictiliūque fragmenta ab eodem loco absorbebantur: stantes horror, procidentes uero, ut adorarent, alacritas quaedam tenebat, etiam undecim ulnas à domo propitiatorii distantes. nunquam etiam nocebat scorpio, aut serpens in Hierusalem. confluentibusque eò omnibus è toto orbe Israhelitis, multisque ethnicis ter quotannis, perseverantibusque ibidem octo dies, nunquam quispiam dixit angustiore esse locum, quam ut commode manerent in Hierusalem. Atque haec Hebraei, praeter ea quae agnoscit Chrysostomus noster. Sed è contrario fatentur eundem, in captiuitate Babylonica unam cum templo arcam & urnam mannae, et lenticulam olei, & uirgam Aaron, & capsulam uasorum, quae Philistaei remissa arca obtulerant, simul perisse. Aiunt insuper cum per Aggeum Deus populum regressum è captiuitate hortaretur ad secundi templi extructionem, pollicitum fuisse & illi templo gloriam se impensurum, sed diminutam. ubi enim ait, Ascendite in montem, & afferte ligna, & aedificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabo eam, dicit Dominus: uocè Glorificabo dicitur diminutam esse litera He. Quae cum ipsis in dicitur quinarium numerum, aiunt per hoc significasse prophetam, quinque prioris templi mirificis prodigijs secundum templum spoliandum, illis scilicet quae agnoscit Chrysostomus. fatent enim nec ignem, qui in priore templo subinde coelitus descendens holocausta comburebat, in posteriore uisum fuisse: nec gloriam Dei, quae inter Cherubin apparere solebat, in posteriore apparuisse: nec spiritum sanctum, qui in priori ad loquendum cum prophetis saepissime uenire uisus est, in posteriore sic uenire solitum: nec splendorem ex lapidibus rationalis emicuisse: nec nebulam solito more posteriore domum repleuisse. Vnde ad redeuntem è captiuitate populum illud Cantici referunt: Soror nostra paruula est, et ubera non habet. paruula, quia parua numero praepriori populo: ubera autem non habens, quod his quinque praclaris rebus, quibus olim religionis cultores alebat, esset diminuta. Sed et eundem fatentur, inuocationem nominis ineffabilis per mortem Simeonis iusti cessasse: illius ni fallor, sub cuius senili aetate Christus natus fuit. cetera planè omnia mirifica ueteris religionis signa fatentur per ecclesiae nostrae exortum cessasse. scribunt enim, exorta ecclesia, hoc est plus minus quadraginta annis ante secundi templi excidium, sortem nominis Domini eò usque solitam ascendere in dextram, ex eo tempore quandoque in sinistram ascendisse. linguam splendoris,

doris, cum prius semper albescere soleret, ex eo tempore quandoque con-  
 trario modo coloratam. lumen uespertinum, cum prius assiduò arde-  
 ret, ex eo tempore aliquando extingui uisum. ignē præparationis eodē  
 semper antea tenore ardere solitū, qui non indigebat nisi unico, quo-  
 tidiano, certo, atque eo paruo fomento, ex eo tempore uires assiduò dimi-  
 nuisse, etiam si sacerdotes assiduò ligna subiecissent. Diuinam etiam  
 benedictionem, qua prius manipulus primæ messis, & panes primitia-  
 rum, & panes facierum eam uirtutem nanciscebantur, ut unicuique  
 sacerdoti satis esset magnitudo oliuæ ad necessitatem, ex eo tempore  
 in maledictionem conuersam fuisse: sic ut iam non plus satiaret, ac una  
 faba, ut ipsi loquuntur: sed & uiris honestis manus ab ijs abstinentib.  
 gulosi ea rapiebant. Et ut semel dicam, quæcunque commemo-  
 rantur ex Hebræorum scripturis mira secundū templi signa, ipsi pa-  
 lām fatentur, quadraginta annis ante eiusdem templi excidium, planē  
 cessasse. adducentes huc illud Dauidis: Signa nostra non uidimus,  
 iam non est propheta, neque alius nobiscum, qui sciat usque quò. Neque  
 uerò mirifica signa tantum cessarunt, sed ostenta etiam horrenda ap-  
 paruere. eo enim tempore aiunt portas templi nocte sponte patuisse:  
 atque inter alias eam quæ respiciebat orientem. Hanc Iosephus scri-  
 bit tam grauem fuisse, ut uix à uiginti uiris clauderetur, serisq; ferro uin-  
 ctis sole obserari, pessulosq; altos habuisse in saxum limē demissos,  
 uno solido lapide fabricatum. Quam rem docti Hebræorum agno-  
 uerunt fuisse præfagium mox subsequenti excidij, nimirum ex testi-  
 monio Zachariæ dicentis: Aperi Libane portas tuas, & deuoret ignis  
 cedros tuas. Nam & aliàs, neque id rarò, scriptura libani nomine in-  
 tellexit ueteris legis templum. Quæ uero alia signa spacio horum qua-  
 draginta annorum, partim in aère, partim in templo, partim in ipso  
 populo prius non audita apparuerunt, luculenter exponit idem Iose-  
 phus: & notiora ferè sunt, quàm ut opus sit recensere. è quibus illud,  
 quod nocte ea quæ diem pentecostes præcessit, sacerdotes intimū tem-  
 plum sacròrum causa subeuntes, strepitum quendam primò senserūt:  
 unde paulopòst uox sit reddita dicentis, Migremus hinc.

Quod primæ Ecclesiæ gloria perpetua sit. VIII.



Sed quid dicemus: hæc omnia ita sine causa pedetentim aboli-  
 ta: nō, sed tunc tandē ea uenisse, quæ lex typis præfigurarat,  
 & uatū oracula promiserāt: ut umbræ cederēt ueritati, quæ  
 iam sub oculos uenisset. Nā tota ueteris testamēti scriptura  
 nihil aliud erat, quæ de Christo, & eius ecclesia uaticiniū: quā nō nisi syna-  
 goga excisa & euerfa erigi oportebat, ita ut illa amoris nomina, quæ  
 septuaginta numerāt Hebræi, & suæ synagogæ tribuūt, potius iam ec-  
 clesiæ nunq̄ periture sint attribuēde. quippe cuius gloriā prædixerat Ag-  
 geus fore eo maiore, quo augustiore donorū uim ecclesiæ suæ spiritus  
 diuinus cōtulisset. quæ una tantum uniuersa ueteris populi miracula  
 superat,

superat, quantum ueritati umbra cedit. quare & nominibus longe præ-  
 clarioribus insignita est, quàm uetus religio. Nunc enim ciuitas Dei,  
 nunc ciuitas regis magni, nunc corpus Christi, sæpissime (quod & su-  
 perius diximus) regnum cælorum uocata est. Multo etiam digniori-  
 bus huic sponsus in sacro illo mysticis arcanis plenissimo epithalamio  
 ueluti ad blanditur, sponsam suam, columbam suam, speciosam suam,  
 immaculatam suam, sororem suam, perfectam atque unicam suam appel-  
 lans. Similitudines uerò, quibus ipse eam in euangelicâ scriptura à syna-  
 goga distinxit, tam multæ sunt, ut difficile sit enumerare. Vaticinia au-  
 tem & figuræ, quibus à rerum exordio differentiam utriusq; sacri scri-  
 ptorū deliniantur, sunt prorsus innumerabiles: nullæ tamen illustrio-  
 res, quàm sunt comparationes, quas Christus à lucerna super montem  
 posita sapius duxit: gloriam nimirum Ecclesiæ non in uno terræ angu-  
 lo, ut olim nomen Synagogæ, sed toto orbe conspicuam fore signifi-  
 cans. qui gloriæ splendor usque ad mundi consummationem duraturus,  
 non huius exortui solum, uerum etiam ecclesiæ progressionē abunde  
 suffecerit, ut hanc homines admirati, perpetuò Christiano nomini con-  
 ciliantur. Nam si Mosi satis fuit, quod Dominus ad eum semel ueniret  
 in caliginē nubis, ut per hoc ei tanquam Deinuncio semper fides adhi-  
 beretur: & si unica Aaronis unctio posteris suffecerit ad perpetuum  
 sacerdotium: quare illa incomparabilis gloriæ dignitas atque splendor,  
 quem in ipso exortu nacta est ecclesia, non suffecerit ad suum augmen-  
 tum, qui est ecclesiæ progressus: quem progressum Salomon præui-  
 dens, neque minus atque exortum admiratus, exclamabat: Quæ est ista,  
 quæ progreditur quasi aurora, pulchra ut luna, immaculata ut sol: de  
 quo sumus dicturi libro sequenti.

Exo. 19.

Leu. 8.

## DE INSTAURANDA RELIGIONE

### LIBER QUINTVS, QUI EST

De illustri Ecclesiæ progressu.

Ecclesiæ progressus humano fit adminiculo. I.



Vemadmodum ecclesia primum inchoata esset, & ex-  
 orta, satis explicatū arbitror libro superiore. Sequitur  
 ut persequamur, quæ pertinet ad huius progressum,  
 et eam gloriam qua in tam altum locum apud omnes  
 nationes peruenerit. nam hoc non minus ad religio-  
 nis nostræ facit instaurationem, quàm diligenter no-  
 uisse primam eius sementem atque exordium. Si enim (ut ille ait) ijsdem  
 rationibus regna sunt conseruanda, quibus ab initio pedetentim sunt



proiecta: certe erit ecclesiae redintegranda ratio ex his etiam potiss. deprehēda, quib. eā fideles diuini uerbi doctores primò propagarūt. qui progressus tā fuit admirabilis & illustris, ut huius lux toti exoriētis ecclesiae splēdori noctē et tenebras offuderit. nā si spectemus primā illā gloriā, cū Christus hāc parturiret, nihil certe aut admodū parū nouae religioni uetus illa cesserit. si eius tēporis amplitudinē & sectatorū numerū, non solū Mosaica religio, sed penē omnes aliae sectae hanc facile superarint. Nemo enim fuit philosophorū, qui non plures suae sectae studiosos ē terris migrans reliquerit, q̄ Christus. contrā, si ad huius progressum respicias, nulla enim fuit unq̄ societas, nulla secta, nulla philosophiae professio, ad quā tot studiosi tam alacriter ex toto orbe à morte etiam autoris cōcurrerūt: ut ad nostrā religionem. Hunc felicē progressum prophetæ uno ore certatim celebrarūt: omnium autē clariss. Daniel, ubi regi Babylonico somniū interpretat̄ de lapide, qui cōtrita quadrifida monarchiarū statua, factus mōs magnus uniuersam terrā impleuit. Et si mihi liceat ex parabolis, quas Christus nobis excutiendas reliquit, aliquid elicere: certe eo loco, ubi suū regnū cōparat fermento in trib. farinae satis abscondito, donec fermentet̄ totū, hoc significasse uidetur, eò usq̄ per tres orbis partes, Asiā, Africā, & Europā euangeliū diuulgādū, donec uniuersus orbis id degustarit. At nō alia id ratione futurū est, q̄ primis ecclesiae temporib. factū fuit: nempe ut omnis ad ecclesiā accessio nō aliter fiat, q̄ humano ministerio ad spiritus S. gratiā accedente. Legimus quidem exortā iā ecclesia spiritū absq̄ hominis opera uocasse quosdam ad euangeliū cognitionem, quod Paulus de se tantopere gloriatur: sed eosdē mox legimus edoctos ab hominib. Sic Petrus ad Corneliū, Philippus ad eunuchū, Ananias ad Paulū missus fuit. nā quantq̄ in ipso ecclesiae exortu spiritus simul uniuersos docuit, uoluit tamē postea, cū iam doctores ecclesiae instituisset, ut homo hominē doceret: quod ea ratione plus & mouerent, et accēderent, ut se uicissim amēt, & colāt. Ideoq̄ Deus post exortū ecclesiae redijt ad priscū morem, ut quē postea uoluit electis suis manifestari, nō id toti cumulo, ut in exortu ecclesiae fecerat, sed alicui ex multitudine reuelaret, quē admodū confueuerat sub ueteri lege, ut ab uno cognitio illa sensim deriuaret̄ ad uniuersos. Hoc est quod Paulus Romanos diligēter docet, fidē esse ex auditu: et quod Psaltes canit, apostolorū sonū & uerba processura in omnē terrā. imò & Christus hoc ostēdit, cum patri progressum ecclesiae commendat, expresse pro his rogans, qui per sermonem Apostolorum credituri essent in ipsum.

*Multiplex opportunitas celeris progressus ecclesiastici regni. II.*



**V**a in re quis diuinā prouidentiam satis praedicarit? Per hanc enim factū est, ut recens orta religio res eo in statu inuenerit, qui esset illi diuulgandae aptissimus. cū enim orbis usq̄ ab initio ad ea tēpora ferē nunquā nō tumultuasset, tanta cōtrā tūc erat pacis cōcordia et tranquillitas, ut nullibi belli nomen audiret. Quin-

ludē

Iudaei, qui religionis erāt ante alios studiosi, omnes ferē orbis partes inhabitabāt. Excellētū omni genere eruditionis uirorū maximus erat ubiq̄ numerus. ingeniorū eius seculi summa acrimonia, celebris undecūq̄ ad tēplū Hierosolymitanū uisendū concursus. Messiae aduentū fama omnium mentib. obuersans. & quo per annū quiescendū erat Iudaicae religionis cultorib. sabbatū terrae. Haec omnia multū occasionis addebāt, ut diligētius huic negotio homines uacaret. Nec minus Ro. imperij amplitudo opportunitatis dabat. Quāuis enim Deus eā ob causam (ut ait Psaltes) meditullū terrae nouae religioni plātandae elegerat, quo hinc ut ex medio et celeberrimo loco facilius, citiusq̄ ad omnes deinceps regiones terra mariq̄ ea extēderet: amplitudo tamē Ro. imperij ad eandē remire insuper erat accōmoda. quippe per quā fiebat, ut quicquid insignis rei gestū esset in Ro. imperio, ij qui Romanorū nomine prouincias gubernabāt, palām facerent Romae. Ingeniorū autē acumē Romae, alibi uedegentiū hoc habebat, ut si quid audierāt docti insigniter gestū, acutius intelligerēt: eruditio autē, ut hoc ipsum acrius inuestigarēt: cōmunis uero quies per Iudaeā, ut ei rei tā indocti q̄ docti alacrius essent intenti. Et quia tēplū Hierosolymitanū primū per Alexādrī in Syria Aegyptoq̄ successores, deinde etiā per Pompeiū, qui uterq̄ Iudaeae, uicinisq̄ regionibus bellū intulit, factū fuerat toto orbe celeberrimū: fecit hoc, ut multi etiam ethnicorū ex lōge diffitis regionib. eò cōfluerēt. ut erāt illi ex Graecia, qui cupiebāt Iesum uidere, et ex Aethiopia eunuchus reginē Cādacis: regina quoq̄ Adiabenorū ex procul dissita Assyria. hi enim ad solennia tēpli festa perinde ac Iudaei accurrētes, quicquid illic insignis rei gestū esset, ad suos regressi deferebant. Sed max. celebrē fecit exorientē religionē cōmunis illa, quē tū erat, meditatio aduentantis Messiae. Nā ut praeterea, quod ex elapsis, quas Danieli angelus ea de re numerauerat, hebdomadib. docti Hebraeorū poterāt eius aduentū certò nosse: famā tamē eius rei etiam apud indoctos increbuisse, uel ex eo facile est intelligere, quod praeter Simeonē scriptura dicit, Annā quoq̄ Phanuelis, omnib. Israheliticis populi redemptionē expectantib. Christū iam natū annūciasse. Sed hoc aperitius testat̄ muliercula Samaritana, quae cū esset à Iudaica religione aliena, dixit tamē & se scire quod Messias ueniret. Adeò enim cuncteres ipsum presentē significabāt, ut et plures inuēti sint q̄ Christū se falso profitētes, ipsius Messiae autoritatē apud plebis nō contēnendā partē obtinerēt: imò etiā ut Pharisei et scribae dubitarint, nū praecursor esset ipse Christus.

*Ex quibus hominibus Ecclesia propagata sit. III.*

**S**ed erit ante omnia cōsiderare operae precium, quib. ex hominib. regnū ecclesiae primū cœperit accrescere. Mirant̄ historiographi, qui de amplissimis illis quatuor Monarchijs scribūt, quomodo in tā uastam molē duodecim annorū spacio Greecorū monarchia creuerit, et hoc sudorib. Alexandri etiam tū adolescentis: quippe qui diem extremū obierit annos uix natus duos et triginta:

idque exercitu tam paruo, ut minori non posset, nempe peditum triginta duorum milium, equitum quatuor milium quingentorum. Alii magis mirantur Cineam, quem uictoriosissimus ille Epirotarum rex Pyrrhus ingenue fatebatur, plures lingua, dum legatum ageret, ad imperium suum pellexisse, quam sibi ipsemet subiecerit armorum ui. Sed desinant utriusque utrumque mirari, & magis mirentur illos homines, qui ex minimo recens ortae religionis initio, nulla armorum ui fulti, nullis eloquentiae praesidijs innixi, tot & potentia & sapientia turgentes nationes tam celeriter in suum consortium pellectas, ex uoluptatum deditissimis mancipijs fecerunt strenuissimos praesentium bonorum malorumque contemptores, erectae nouae atque inauditae religionis nouo regno, quod mundi regnis omnibus collabentibus per uarios casus sit duraturum, usque ad consummationem seculorum. Quales habebat homines eo tempore ecclesia, quo Paulus Corinthijs scripsit, prior ad eos epistola indicat: sed hoc non est quod hic quaerimus. quin magis id inuestigamus, quales ij fuerint, ex quibus in ipso exortu consistebat: inter quos Petrum & Ioannem fuisse rerum gerendarum antesignanos, uel ex eo certum est, quod primi ad populum progressi, quis is esset, cuius nomine claudofanitatē restituerant, ac cuius uirtute ipso die Pentecostes prodigia facta fuerant, strenue promulgarint, primique ob eam causam in carcerem coniecti sint. Sed hi cuius conditionis fuerint, consideremus. Certo certius constat, istos duos nouae religionis antesignanos necliteras didicisse, nec scisse: ut omni admiratione dignum sit, rem tanta opera, tantaque sapientia indigentem, his fuisse commissam. Sed inquires, tales certe fuerant prius: postea uero spiritus omnia docuit. Dic quae, quales eos hoc die fecerit spiritus sanctus? num alios, quam scriptura testatur? Non certe. cum ad claudi sanati miraculum populus accurreret, & illi hinc capta occasione eum rursus docerent, comprehensi in carcerem coniciebantur: unde cum templi magistratus eos educeret altera die coram principibus sacerdotum, & senioribus, & scribis, nec ibi minore libertate Christum annunciarent, admirati sunt principes sacerdotum illorum in dicendo constantiam: comperto tamen, ut dicit scriptura, quod homines essent illiterati, & idiotae. De Christo fuerant admirati, quod literas sciret, cum non didicisset: de his uero periculum facientes, quid scirent, etiam post acceptum spiritum sanctum compererunt, inquit Lucas, homines esse hos & illiteratos & idiotas. hoc est, quantum ad eruditionem attinet, ne literas quidem nosse: at quantum attineret ad usum rerum, uix sibi ipsis priuatim fore utiles, publico autem cuius muneris obeundo prorsus non idoneos. Dic precor, si ij qui in illa prima ecclesiae corona erant omnium plane antesignani, eiusmodi tamen homines fuerint, non solum ante, uerum etiam post acceptum spiritum sanctum: quales putas caeteros fuisse, qui inferiore gradu subsistebant? Quis ergo non miretur, huiusmodi hominibus traditum fuisse mandatum, ut

exequerentur ipsi per orbem, summam illam Christi caelos, terras, inferosque penetrantem potestatem:

*Apostoli accepto spiritu profecerunt pedentim. IIII.*



Vid ergo dicemus, Apostolos ne post acceptum spiritum aequè rudes permanisserabst, sed hos (ut scriptura docet) pedentim profecisse. Vt enim naturalis facultas rebus ab initio indita, non eosdem semper, sed modo maiores, modo minores effectus producit, prout ordo aut rerum naturalium salus postulat, & temporis uarietas admittit: ita quae in ipso exortu data Ecclesiae fuit, omnem caelestium donorum thesaurum complectens facultas, non idem semper operabatur, sed id duntaxat, quod praesens Ecclesiae status exigebat. non secus ac in plantis fieri uidemus, quibus tametsi inest facultas similem plantam propagandi, non illa tamen illico totam suam uim, sed pedentim per gradus in aliam transfundit, dum primum semen emittit, ex quo similis planta non repente, sed iusta mora nascatur. Hoc modo & ipsos discipulos spiritus dono repletos fuisse dicendum erit: hoc est, ibi nunquam spiritus uim illis defuisse, ubi necessitas ecclesiastica id expetisset. Non enim sibi solis Apostoli, sed ad ecclesiastici coetus utilitatem dona illa caelestia acceperant. atque hoc est, quod Apostolis Christus dixit: Cum steteritis ante reges & praesides, nolite cogitare quid aut quomodo loquamini: dabitur enim uobis in illa hora, quid & quomodo loquamini, ac si diceret: quamuis per spiritum ea uobis tribuentur facultatum seminaria, quibus omnia sciatis, & operemini, quae propagando Euangelio erunt necessaria: non tamen prius quid dicendum, quid etiam faciendum erit intelligetis, quam res postularit. Testatur hoc uisio animalium immundorum, qua Petrus, qui prius solis Iudaeis solitus erat Euangelium praedicare, didicit Cornelium hominem ethnicum ad baptismum recipiendum. Testatur idem redargutio Pauli, qua Petrum docuit, Mosaicae legis iustificationes abolendas. Probat hoc etiam illud, quod Petrus & Ioannes, quos modo ostendi fuisse post acceptum spiritum illiteratos, multa egregia, & non ab omnibus intelligenda scripta posteris reliquerunt. Quid, quod neque hoc diffiteri possimus, quin ipse Paulus (qui se tam magnifice gloriabatur non ab hominibus, neque per hominem, suum illud accepisse Euangelium, sed per ipsum Christum, patremque ipsius) quin, inquam, ad Ananiam (ut paulo ante dixi) missus fuerit, ut quid illi faciendum esset, disceret: imò neque ea quae didicit diuinitus, uno omnia tempore, sed quaedam hunc captum in tertium caelum, rursus quaedam raptum in paradysum didicisse, sacrae literae docent. Ex forma enim uerborum, quibus ipse raptum suum describit, facile liquet duplicem illi accidisse. Sed esto, quod ille unicus fuerit: Festo certe, atque Agrippae, quomodo circa Damascum raptus fuerit enarrans, aperte dicit, quarundam rerum tunc, et quarundam postea cognitionem sibi datam: introducit enim Deum sic locutum: Ad hoc apparui

apparui tibi, ut constituam te ministrum, ac testem, & eorum quae uidisti ecce unam: & eorum in quibus apparebo tibi, ecce alteram partem eruditionis, illam quidem tunc traditam, hanc uero postea tradendam. Sed & res ipsa hoc indicat. nam praeter hanc, plures illi uisiones apparuerunt: nempe qua admonitus fuit euangelium suum conferre cum Apostolis: qua iussus est praedicare gentibus. qua prohibitus fuit uerbum loqui in Asia: qua uetitum, ne iret in Bithyniam: qua iussus est transire in Macedoniam: & qua manere Corinthi. his certe omnibus, dissimilis fuit illa, qua arcana dicit se uidisse, quae non licet homini loqui. Iam praeter has tam multas, tamque eximias reuelationes Paulus de se ipso testis est, se assiduam quoque studium & legendi & scribendi adhibuisse, quo indies more omnium communi, se ipso doctior euaderet. Senio enim iam confectus ad Timotheum, scribens iubet magna cum diligentia, ut adueniens afferret secum sarcinam librarium: ecquam aliam quaeso, ac eam quam ex autorum scriptis congestam circumferre consueuerat: praeter hos & pagellas afferri iubet, nempe in quibus modo haec, modo illa, quae annotatione digna iudicasset, ut mos scripturientium est, incoeperat exarare. Sic enim scribit: Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, cum uenies, apporta: & libros (audis?) maxime autem membranas, inquit. Haec scripsit Timotheo in Roma, ubi cum esset summa & hominum, & rerum omnium abundantia, indignum planum esset, membranas uacuas, aut unum alterum uel libellum in Troade tam procul atque difficili itinere iussisse ad se deferri. Sic certe par est credere, unumquemque Apostolorum scripta aliorum nocturna uersasse manu, uersasse diurna. Nam & Petrus indicat se legisse Pauli epistolas: & Paulus fatetur alicubi, euangelium Lucae a se lectum. ut absurdum non omnino dicturus sit, qui affirmarit, et reliquos tam ueteris quam noui Testamenti libros ab apostolis reuolutos. Quid? quod nec prima facie ipsi ea quae uel olim a prophetis scripta fuerant, uel etiam quae tunc a scriptoribus ecclesiae scribebantur, intelligere potuerint. Hoc Petrus testatur, cum scribit, in epistolis Pauli multa esse intellectu difficilia: quod certe non praemonuisset, si ab omnibus statim fuissent intellecta. Quid precor dixisset, si euangelium Ioannis tum fuisset scriptum? Quid, si & Apocalypsis: cuius autor semel atque iterum planum ostendit, eum librum non temere intelligendum ab omnibus, eo in primis loco, quo scribit de bestia, quae sub forma anguina loquebatur, ut draco: Hic sapientia est, qui habet, inquit, intellectum, computet numerum bestiae. & postea de bestia, quae habebat capita septem, & cornua decem: Hic est mens, quae habet sapientiam. Ut nihil mirum sit, olim angelum de ueteri prophetia dixisse: Tu autem Daniel claudere sermones. non uerba ipsa, quippe quae mox erant publicanda, sed sensum uerborum ut absconderet, iubet, & signa, inquit, librum: ac si diceret, sigillo obsigna, ne quis secreta referet, sed addit, Usque ad tempus statutum. nam alioqui frustra liber conscriptus esset, si nunquam esset intelligendus. Intelligetur itaque suo,

Galat. 2.

Acto. 2.

Act. 16.

Acto. 18.

2. Cor. 12.

2. Tim. ult.

2. Petri ult.

2. Corin. 8.

2. Petri ul.

Apo. 13.

Apo. 17.

Dan. 12.

10

20

30

40

suo, inquit, atque statuto ad hoc tempore. et continuo addit, Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia. plane significans, etiam cum ad id tempus peruentum fuerit, quod diuinitus fuerit statutum, ut ea uaticinia intelligerentur, neque tunc quoque omnibus eandem super his fore sententiam, neque ab uno aliquo uarias eius prophetiae interpretationes capi posse. Vide, quomodo pedetentim Deus pro ecclesiasticae conditionis necessitate, scripturae cognitionem Apostolis est impartitus: ut non iniuria quis dixerit, multa obscura in scripturis, ipsis etiam summis Apostolis plane abscondita, sed posterioris aetatis inuestigationi reseruata fuisse. Diximus de primae Ecclesiae propagatoribus, quales homines fuerint, & quomodo profecerint: nunc quibus rationibus Ecclesiam propagarint, dicendum.

*Gratiam accepti spiritus Apostoli sensim transfuderunt. V.*



Ed siue rerum cognitionem Apostoli simul totam acceperint, siue non, hoc satis omnibus est manifestum, quod in inuitandis ad religionis suae cognitionem mortalibus, ordinem quendam seruarint: nimirum ut prius uocarent Iudaeos, quam gentes: priusque Hierosolymis repertos, quam longe distantes: & inter gentes, prius eos qui caeteris propinquius ad sacrorum cognitionem accedebant, puta Samaritas, quippe qui tametsi reiectis caeteris sacris libris, legis tamen Mosaicae ceremonias obseruabant. & inter plane ethnicos, eos primum qui ueteris legis libros norant, ut Eunuchus ille erat reginae Candacis: quam plane rudes, qualis erat Cornelius Centurio. & rursus inter plane incios, illos certe prius qui degebant in Palestina, quam qui remotius. Hunc ordinem serie uerborum suorum Christus clare illis indicarat: Eritis mihi testes, inquit, ubi: in Hierusalẽ. & ubi deinceps: Et in uniuersa Iudaea, & Samaria, denique usque ad extrema terrae. quam Dei uoluntatem scriptura magis postea declarauit. Diuulgato enim per Iudaeam & Samariam Euangelio, quidam ex propagatoribus cum in Phrygia etiam & Galatia euangelium annunciaissent, acceperunt nouam commonitionem a spiritu super ordine, quo deinceps uolebat remotiores nationes ad nouam religionem inuitari. Vetiti enim sunt loqui sermonem in Asia, tametsi uicina, opumque & literarum laude celebratissima regione. Rursum profecti in Misiã, tentabant ire in Bithyniam: sed hoc quoque non permisit spiritus, at transeundum in Macedoniam docuit. In tradendis quoque mysterijs similem ordinem seruarunt, siue quia hoc magis congruat hominum cupiditati, aliud post alia requirentium, ne nobis Dei opera (si post hoc non innotesceret aliud excellentius) tandem uilescerent: siue quia sic necesse sit fieri propter nostram imbecillitatem, ne captus humanae mentis, si res cognoscendae simul proponantur omnes, & multitudine & magnitudine obrueretur. Non enim prima concione Petrus omnia docuit, sed satis illi fuit hoc unum extorsisse, quod

Act. 1. et 9.

Act. 8.

Act. 8.

Act. 10.

Act. 11. et 13.

Act. 1.

Act. 18.

Act. 1.

quod quem ipsi ignominiosa morte interemerant, is esset, qui eam quam coram cernerent, uim coelestium donorum in pusillum illum gem effudisset. Sequenti concione paulo maiora tentabat, nempe hunc esse eundem, de quo Deus ad Moysen dixerat: Prophetam suscitabo similem tibi, ut omnis anima quae non audierit illum, exterminetur e populo. Alia oratione eundem docuit principem à Deo esse factum salutis, ad dandam poenitentiam Israel, remissionemque peccatorum. Sic & Stephanus erudita illa concione huc tantummodo respexit, quod ipse erat eximius ille iustus, de quo praedixerant prophetae. Philippus huc, quod esset agnus ille prophetalis coram tondeute se, dum occideretur, obmutescens. Quid uero ille humanitus, caelitusque eruditissimus Paulus? quadam trium sabbatorum dissertatione studuit hoc unum euincere, Iesum ex mortuis mortis uictorem rediisse. alia, Iudaeis repudiatis, gentes uocandas esse per hunc ad salutem. alia, non esse in rerum uniuersitate, quod Deum possit corporali imagine repraesentare. Sed quid haec, similiaque omnia ad illud stupendum, & omnibus seculis inauditum dogma, unde Euangelium exorsus est Ioannes? In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Non certe in ipso Ecclesiae exortu huiusmodi arcanum Christus, sed post annos sexaginta edi populo uoluit. Sic certum est & ceremonias pedetentim inualluisse. Primum nanque baptismus, mox & fractio panis celebris fuit, cumque in exordio singulis domibus et euangelizassent, & fregissent panem, Paulus postea sacra praecipit in locis ad hoc destinatis peragi, eaque loca haberi in peculiari ueneratione. Similiter initio Ecclesiae istidem festi dies Christianis, qui Iudaeis: postea uero in alteram sabbati nostro festo translato, dominicum diem appellandum Apocalypsis docuit. Sic quod attinet ad formam diuini cultus, primo baptizabant in nomine Iesu: postea in nomine trinitatis, cuiusque personae nomine expresso. Baptismo autem & ea manuum impositio accessit, cuius impendendae auctoritas solis Apostolis reseruabatur: impendebatur tamen promiscue omnibus. Haec alia erat ab illa, qua Barnabam & Paulum ecclesia Antiochena misit in opus, ad quos spiritus se dixerat eos accersuisse. Per hanc enim manuum impositionem peculiare quid imperari uides. Et radices altas iam egerat Ecclesia, quando scriptura dicit, eos qui fuerant à superstitiosa uanitate reducti, uenisse ad Paulum, confitentes & annunciantes facta sua. Similiter non initio Ecclesiae, sed post aliquod tempus, infirmos unguendi mos, cuius rudimentum Christus tradiderat, à Iacobo praescriptus fuit. Sic quod ad humanas institutiones attinet, primum prohibuerant Apostoli uesci immolatis atque suffocato: postea Paulus scripsit, Quicquid in macellum uenit, sine interrogatione ac scrupulo edendum. et circumcisio primo quidem approbata, deinde tolerata, quando Timotheum Paulus circumcidit, natum patre Graeco: postea uero omnino uetita. Omnium uero manifestissime liquet, ecclesiasticos

siasticos magistratus pedetentim fuisse institutos. Quanquam enim Christus, cum futurae suae Ecclesiae formam meditaretur, duplicem magistratum creauit, duodecim nempe Apostolos, & discipulos septuaginta: horum tamen gradu neglecto, eligitur Mathias in locum proditoris, ut duodecim Apostolorum numerus completus caeteris, his uero undecim Petrus praesesset. multiplicatis uero credentibus septem elegere, qui praesessent mensis: quorum aliqui mox uerbi Dei praecones facti, ut Stephanus & Philippus. hinc noui prophetae exorti, ut Agabus, Iudas, & Silas: sed & doctores non pauci, inter quos scriptura Barnabam ac Saulum numerat, quos fateri oportet aliam postea administrationem subisse, quando spiritus illos iussit segregari in aliud opus. Et hi cum crearent per singulas ecclesias presbyteros, aliam ecclesiasticam administrationem instituerunt. quibus cum esset iussum, ut & ipsi per singulas ciuitates instituerent presbyteros, uti Paulus iussit Tito: ecce alius gradus presbyterorum, qui sine dubio ipsi Tito, à quo praefecturam susceperant, non minus parebant, ac Titus Paulo.

*Quis Christianus catechismus? VI.*

**C**eterum iam quae diuina propagandae Ecclesiae oeconomia sit, examinemus. Atque hic erit eius adhortationis uis perpendenda, quam Petrus habuit ipso die exortae Ecclesiae. Huc enim tam reliquae Petri orationes, quam aliorum tendunt: atque eidem fundamento innisae eò spectant, ut omnis qui in uocauerit nomen Domini, seruetur: & ut probent Iesum à morte rediuuium perpetuo cum patre regnaturum, ita ut merito & bono iure omnium aliarum exemplar, hanc Petri primam orationem nuncupemus. Huius dignitatem uel illud in primis commendat, quod Christus plus triennio euangelizans, ex uniuersa Palestina uix tandem centum uiginti nullius existimationis homines colligere potuerit: Petrus hac una oratione mox ex unis Hierosolymis uiros religiosos ter mille longe obsequentissimos ad euangelium attraxerit. magnam orationis uim & efficacitatem fuisse oportuit, qua tot auditores allecti, huiusmodi hominum (pace Apostolorum dixerimus) contemptibili caterue se dederint. Tria Petrus hac oratione, tanquam praecipua proponit: primum, ut doceat Iesum à Iudaeis interemptum: deinde, eundem à mortuis suscitatum: postremo, hunc iam à patre exaltatum, effudisse coram omnibus, quae sub caelo sunt, nationibus uim spiritus, quam uiderant & audierant. In quem epilogum redegit & Paulus omnem suam de Christo doctrinam, cum dogmatis sui rationem coram Agrippa & Festo redderet. Dicit enim se tum paruo, tum magno nihil aliud loqui, quam ea, quae prophetae & Moyses praedixerant futura, nempe an passurus fuerat Christus, an primus ex resurrectione mortuorum restitutus, an & lumen esset populo & gentibus annunciaturus, hoc est, ex Iudaeis & gentibus erecturus Ecclesiam. his istidem argumentis permulcebant,

cebant, & in nassam euangelicam sanctè alliciebant auditores & cæteri Apostoli, quæ tamen Paulus alibi in unum connectens ait, Nos prædicamus Christum crucifixum. & rursum: Non iudicavi me quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, quibus uerbis totam, aut certe præcipuam partem Christianæ philosophiæ comprehendit, quæ est de animorum immortalitate. de qua quia admodum anxie & uariè à multis disputabatur, necessum erat, certi quid definire in ipso philosophiæ limine. Huius quæstionis exordium à morte Christi sumendum erat. Nam quibus mors Christi persuasa non est, ipsi neque ad quam uitam Deus Christum suscitauit, neque quibus rationibus immortalitatem nactus sit, & nos per illum, persuaseris. In quæscopulum animales homines sæpe impeggerunt: nullaque hæresis sic humanum ingenium uexauit, atque ea quæ resurrectioni mortuorum contraria est. Hæresis enim Mahometica, cum cætera ferè quæcunque Euangelium de Christo prædicat, facile admittit: solam tamen crucem Christi pertinacius abnuat. Optimo igitur iure Paulus exordium hinc sumendum duxit suæ philosophiæ: Tradidi, inquit, uobis in primis, quod & acceperam, *ἐν πρώτοις* inquit, hoc est ante omnia. quid nam quod Christus mortuus fuerit. Sic & præcursor cum primum populo Dominum digito demonstraret: Ecce, inquit, agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Christum agnum illum esse significans, cuius occisione Esaias prædixerat mundum fore redimendum. Sic & Christus in exordio suæ manifestationis, cum expulsus è templo negociatoribus interrogaretur, qua authoritate hoc faceret, Destruite, inquit, templum hoc. mox & Nicodemo nouæ religionis prima rudimenta tradens, Sicut Moses, inquit, exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. sic & rediuuius, cum uerborum quæ mortalis dixerat, intelligentiam suis aperiret, Oportebat, inquit, Christum pati. ut prorsus diuinæ ascribendum sit prouidentiae, quod Eunuchus in signem illum locum Esaiæ, qui de Christi passione scriptus est, præ manibus haberet, quando eum Philippus erat de Euangelio eruditurus: nimirum ut ex opportuna scripturæ lectione, idoneam occasionem haberet catechismi exordiendi. Huic præcipuo religionis nostræ articulo resurrectionis uictoriam libenter adijciunt sacri scriptores. nam superuacaneus fuisset crucis prædicandæ labor, nisi & resurrectionis triumphus sequatur, indiuiduus crucis comes. Christus enim cum diceret de morte sua, Destruite templum hoc: mox subiunxit, Et in tribus diebus suscitabo illud. Nicodemo simul cum morte ascensum etiam in celos declarauit. & cum diuinitatem suam uellet quàm maxime testari, nullum aliud signum legitur ueritatis hostibus opposuisse. Pharisæis post multa alia miracula signum postulantibus, Generatio, inquit, praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi, nisi Ionæ prophetæ; quemadmodum enim Ionas fuit in uentre ceti, &c.

Quibus

Quibus planè docemur, eum qui cætera religionis mysteria ueneraretur, resurrectionis autè Christi gloriam negligeret, nequicquid religionem suscepisse: eum uerò, qui cæteris præteritis hanc rectè amplectet, religionis tenere summarium, ut quæ omnia in se complectatur, quæ ad religionem pertinent. Compendium enim nouæ religionis ostendens Paulus, Hoc est uerbum fidei, inquit, quod annunciamus, si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauit è mortuis, saluus eris. Sic & Timotheo cum plurima proposuisset, hoc præcipue dixit memoriæ mandandum: Memeto, inquit, Iesum Christum resurrexisse ex mortuis, iuxta euangelium meum. palam indicas, ea una in re potest consistere totius suæ doctrinæ. Et cum accusatus reddere uellet uno uerbo omnium quæ uel fecerat, uel docuerat, rationem, De resurrectione, inquit, mortuorum ego iudicor. Ob hoc et Petrus, cum quæreret, qui sciendus esset in locum proditoris: et Lucas, quoties uim explicare uult apostolicæ functionis, testes illos uocat resurrectionis duntaxat. Cui mysterio explicando Paulus diuini spiritus uaticinia libenter accommodat. Nam quantum duo instrumenta sibi fuisse testatur ad Ecclesiæ propagationem, nempe ostensionem spiritus, & uirtutis (per spiritum uetusta uaticinia, per uirtutem præsentia miracula significans) in crucis tamè & resurrectionis mysterijs rectè explicandis, libentius sacrarum literarum testimonijs utitur: quæ tamè in alijs rebus non minus præclaris sæpius studiose omittit. Corinthijs enim in memoriâ reducens, quæ aliquando tradiderat de eximio illo mysterio dominicæ cœnæ, nullam mentionem facit scripturarum: uerum ut ipsè mox repetit ea, quæ attinent ad mysterium mortis Christi, addit, id se secundum scripturas docuisse. Similiter & de ratione sepulture ipsius loquens, nullum testimonium citat scripturæ: cum uero de resurrectione Christi subnectit, dicit, et illius mysterium non sine scripturis à se traditum. quod qua ratione factum sit, docet nos satis Apostoli, etiã si Paulus non detexisset, ubi hoc mysterium tractat. Nam quotiescumque aut de morte, aut de resurrectione Christi tractarunt, nunquam, aut quæ rarissime ad testimonium confugerunt eorum qui præsentibus re ipsam uiderant, sed ad testimonia ueterum, maxime scripturarum. Petrus enim dum ageret de alio surrogando in locum Iudæ, testimonia scripturæ assumpsit, quibus erat prædictum, quod Christus esset à discipulo in mortem tradendus. Viri fratres, inquit, oportuit impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David, &c. Sic & die Pentecostes uirtutem necis Christi, resurrectionisque gloriam exponens, scripturarum testimonio dicta sua confirmauit. David, inquit, dicit de eo: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ut sanctus uideat corruptionem. Sic & Cornelium tametsi ethnicum, scripturarumque inscium, prophetarum tamè uaticinijs instituit. ubi et spiritus (eam haud dubie docendi rationem ueluti approbans) cecidit super omnes qui audiebant sermonem. Ad hunc modum & Philippus instituerat Eunuchum, eundemque ethnicum. Quin etiam Christus, harum rerum quoties meminit, reperitur & ipse mentionem scripturarum studiose adiunxisse. Fi

Math. 26. lius, inquit, hominis uadit, sicut scriptū est de eo. rursus: Ascendimus  
 Luc. 18. Hierosolymā, & consummabunt omnia quæ scripta sunt per prophe-  
 Luc. ult. tas de filio hominis. Et rediuius: Oportebat, inquit, impleri omnia  
 quæ scripta sunt in lege Moyſi, & prophetis, & psalmis de me. rursus:  
 Quoniā sic scriptū est, & sic oportebat Christū pati, & resurgere à mor-  
 tuis, & exorsus à Mose et omnib. prophetis, interpretabat euntibus in  
 Emaunta, ea loca quibus hæc fuerāt prædicta. Quare certe lōge alia ra-  
 tione mors Christi, & mortis uictoria populo tradenda esset, q̄ nunc  
 uulgo fieri uidemus: cum ceu tragœdia inepto quodam apparatu &  
 ostentatione, ne quid dicam durius, agitur, solum ex Euangelistarū 10  
 narratione: quæ duo mysteria, si ea qua dignū est grauitate explicare  
 uelimus, & dignum fructū optemus, ex adductis olim per Apostolos  
 modo unum, modo aliud uaticiniū erit proferendū. aut (ut Christus  
 in itinere ad Emaunta, & Petrus in domo Centurionis) diuersi ex scrip-  
 turis Hosculi (quod nemo nisi egregie eruditus satis recte fecerit) ea de  
 re ueluti colligendi, ut sic ratio destinati ab æterno ea de re diuini consi-  
 lii detegatur, & populo declaretur. Diximus unde, & qua ratione cate-  
 chismus sit exordendus. nunc ratio & ordo postulat, ut disquiramus  
 quomodo nouæ religionis antesignani adduxerint auditores ad κατηχί-  
 10 Ioh. 12. σις, id est, Christianæ institutionis perfectionē. Testatur Ioannes, inter 20  
 eos qui Christo nomē dederant, non paucos ex primarijs fuisse, qui id  
 ausi non fuerant profiteri, ne ex synagoga eijcerent. hic uero auditores  
 prima Petri oratione ita animatos uides, ut nihil metuerent suam de  
 Christo sententiā factis manifestare. Contemptis enim omniū odijs,  
 imò & neglecta temporaliū rerum iactura, ad maiora conuasi, ut quod  
 iā animo concipiebāt factō ostenderet, Quid (inquiūt) faciemus uiri fra-  
 15 tres: adeò uix elementis nouæ religionis imbuti, confestim ad ipsa facta  
 aspirabant, quibus religionē suam publice profiterent. Certe mirabilis  
 quædā institutio sit oportet, quæ ipsos auditores antè reddit professores,  
 quàm perfectā cognitionē teneant. Non enim uerisimile est, breui il- 30  
 la institutione eos discere potuisse, quid esset homini Christiano credē-  
 dum, quid non: & tamen his Petrus non iam amplius, quæ ad religio-  
 nis mysteria attinebāt, sed quid religionis fundamētis imbutō agendū  
 esset, ob oculos posuit. Resipiscite, inquit, & baptizetur unusquisq̄ ue-  
 strum. usq̄ adeò solus prōptus animus perfectos reddidit catechume-  
 nos, non perfecta fidei scientia. Ea enim animi promptitudine significa-  
 bant, non aliter atque hæc, & reliqua credituros, quæ Apostoli alijs  
 orationibus essent proposituri: & iam se intelligere, fidem in mente  
 reconditam non sufficere, nisi & factō aliquo exhibeatur atque manife-  
 35 stetur. Hoc qui non attigit, nondum est satis instructus. huc uero quis 40  
 quis peruenerit, fideliter est primis religionis elementis imbutus, di-  
 gnusq̄ iam qui admittatur ad ipsam religionis professionem, quæ est  
 τῆς κατηχίσεως perfectio.

Quæ Christiana professio. VII.



Ed mirabit quis, quid Petrū mouerit, quod auditorib. in-  
 terroganti. quid illis esset faciendū: proposuerit statim me-  
 tancea & baptismū, cū plus illi ad illud respexisse uideren-  
 tur, quod Petrus differuerat de inuocādo nomine Domi-  
 ni. ac si dixissent, cum nos hæcenus more patrū nomē Domini inuoca-  
 uerimus, doceri cupimus, quā nouā formā à nobis exhiberi oportebit,  
 ut salutis huius quam prædicatis, uobiscum simus participes. Imò Pe-  
 trus ipse licet resipiscentiā atq̄ baptismū illis proponat, non tamē alia ra-  
 10 tione id ab eo factū fuit, q̄ ut doceret, quomodo iam tēpore tā lēto, nem-  
 pe Euangelij, nomē Domini esset inuocandū sub metancea ac baptis-  
 mo: & quod Dominicorū nomē (cū plura sint) ad salutē implorari  
 oporteret. Et quantū attinet ad nomen Dei, prisca illi patres nomē inef-  
 fabile ante omnia sanctū, & salutare habebant. Nam quanq̄ multa alia  
 apud eos essent dominica nomina, quorū alia ab Hieronymo, alia ab  
 15 ipsis Hebræis sunt collecta: hoc tamē ineffabile præ omnib. alijs in tanta  
 fuit illis semper ueneratione, ut haud dignos se arbitrarent, qui hoc no-  
 men sua lingua sonarēt. At nō Petrus in hoc, sed in solo nomine Iesu sal-  
 uos fieri hos oportere ostēdit, cū iubet eos baptizari sub nomine Iesu.  
 20 simul indicās Iohelē, licet is nomine ineffabili utit̄, de hoc tamē inuocā-  
 do fuisse locutum. Cui & Hieremias nomen ineffabile nouo more atti-  
 buendum fore dixit. Hoc est nomen, inquit, quod uocabunt eum יהוה Hier. 33.  
 iustus noster: sed cui & angelus nouū nomē, omnibusq̄ prophetis ab-  
 sconditū imposuit, cū matrē de nascēdo Domino Iesu faceret certiorē.  
 Decebat profectō, ut noua religio noui nominis p̄fessione ab omni a-  
 lia religione distingueret, sed quod et uim et naturā sui domini referret.  
 De hoc ita Simeō: Hic positus est in ruinā & resurrectionē multorū, &  
 25 in signū cui cōtradict̄: eo quod futurū esset, ut nominis sui dignitate et  
 splendore suos quidē cōfirmaret & recrearet, aduersarios uero maiorē  
 30 in modū cōcitaret et offenderet. Hanc indolē Paulus agnouit, et in pro-  
 fessione sua euangelica: Prædicamus, inquit, Christū crucifixū, Iudæis  
 quidē offendiculū, Græcis uero stultitiā, sed ἰησὺς uocatis Iudæis pari-  
 35 ter & Græcis Dei potentiā ac Dei sapientiā. Huius nominis uirtutē &  
 dignitatē cū alibi, tum ad Philippēses præcipue explicat Paulus, cū ob  
 mirificā obedientiā Christū ad tantā sublimitatē euectū scribit, ut in no-  
 mine Iesu omne genu se flectat: dicturus alioqui multo sanē clarius, ut  
 in nomine ipsius omne genu se flectat, nisi totus in hoc solum incubuis-  
 set, ut eiusce uocis dignitatē exprimeret, quæ dignitas primū cœpit post  
 40 crucisignominia elucescere, unā cum Ecclesia, quæ tunc cœpit nancisci  
 uitā. Nam antea ferē in contemptū hoc nomine eū compellabāt: ut co-  
 hors militū, Iesum quærimus Nazarenū. Discipuli alijs eū nominib.  
 honoris causa cōpellabant, Præceptor quādo hæc erunt: & mater, Fili-  
 45 cur fecisti nobis hæc: sobrina, Magister dic ut sedeant hi duo filij mei.  
Ioh. 19. Luc. 5. 8. 9. 17. 21. Ioh. 2. Mar. 10.

Luce 18. cæcus, Fili David miserere mei. Petrus, Tu es Christus filius Dei ui-  
 Matth. 16. ui. angelus, Natus est uobis seruator, qui est Christus dominus. con-  
 Luc. 2. tra uerò post Christum crucifixum: Scio, inquit angelus, quod Iesum, qui  
 Matth. ult. crucifixus est, quæritis. & cum ascendente nubes suscepisset, Hic Iesus  
 Act. 1. qui assumptus est à uobis. & Paulus, Cernimus Iesum propter crucia-  
 Heb. 2. tum mortis gloria & honore coronatum. et Christus ipse, cum prius se uo-  
 Ioan. 14. 8. care consueuisset uiam, ueritatem, uitam, lucem mundi, pastorem bonum, & id ge-  
 10. nus magnificis uocabulis: persecutori Saulo, Ego (inquit) sum Iesus,  
 Act. 9. quem tu persequeris. & in cena sæpius dixit, omnia deinceps huius  
 Ioan. 16. nominis inuocatione fore impetranda. hoc enim nomine dicunt hebraei  
 10 cæ linguæ studiosi, illud ineffabile, in quo ueteres precabantur, comprehen-  
 di: imò hoc deductum esse ab ineffabili interpositione literæ schin, quam  
 pro natura crassioris formæ & soni, symbolum esse aiunt incarnationis, et  
 ex nomine ineffabili redditum effabile & palpabile. Atque quantum huic  
 Act. 26. nomini sit contradicendum, liquet inde, quod euangelij hostes non alio plus  
 aduersus nomen Iesu multa repugnando facturum. Sic cum Petrus & Ioan-  
 Act. 3. nes populo exponerent, quod claudo fides nominis Iesu tribuisset sanita-  
 tem, superuenientes sacerdotes, magistratus templi, & Sadducæi moleste  
 Act. 4. ferebant, quod docerent sub nomine Iesu, sed et congregati postero die se-  
 20 niores, scribæ, & pontifices, ipsos interrogarunt, qua uirtute aut quo no-  
 mine hoc fecissent, uidelicet non de homine, sed tantum de nomine, cuius  
 uirtute hoc fecerant, percunctantes. cumque Petrus respondisset, Notum sit  
 omnibus, quod per nomen Iesu iste astat coram uobis sanus: atque addidit  
 non esse aliud nomen sub celo, in quo oporteat saluos fieri: ipsis mi-  
 naciter interminati sunt, ne loquerentur in eo nomine. Cumque Apostoli  
 sprete his minis, multo uehemētius id ipsum, neque non duo duntaxat, sed cæ-  
 teri quoque Apostoli facerent, secundo eos principes sacerdotum redarguens:  
 Act. 5. Nonne, inquit, etiam atque etiam precepimus uobis, ne doceretis sub nomine  
 isto: Hic Apostoli responderunt, quod oporteret magis obedire Deo, quam  
 30 hominibus. & Gamalielis suauiter uix dimissis, sed cæsis, rursum precepe-  
 runt, ne loquerentur sub nomine Iesu: quasi sola eius nominis professione  
 excepta, permittentes alia omnia. Huic nomini Apostoli uocem Domini  
 magno consensu addunt, quod certe iam huic proprium est epitheton: non  
 quod non fuerit semper Dominus cum patre, sed quia hic in terris iuxta  
 hominem omnium factus sit Dominus, præcipue eorum pro quibus in cen-  
 na dixerat suum sanguinem effundendum. quare illo quasi epiphonemate  
 Act. 2. finit primam suam orationem Petrus: Certo ergo sciat tota domus Israel,  
 quod Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixi-  
 stis. Hæc est prima basis Christianæ professionis, cui aliud alio tempo-  
 40 re primi ecclesiæ propagatores inueniunt pro rerum conditione adiecisse.  
 Act. 8. Nam Philippus exegit ab eunucho, ut etiam filium Dei esse Iesum profiteretur:  
 Act. 9. quod et Paulus à ludæis Damascenis. Petrus Corneliū hoc uoluit pro-  
 fiteri,

fiteri, quod Christus constitutus esset à Deo iudex uiuorum & mortuo-  
 rum. Appollon rogauit Paulus, an agnosceret & Spiritum sanctum. Sic  
 Act. 10. 19. exorta hæresi Arrhiana, patres magis expressam professionem exegerunt  
 ab initiandis de diuina trinitate, quam contineat symbolum quod uocant  
 Apostolorum: ut uidere est in professione Constantini magni. Debet  
 enim Christiana professio alio tempore alia esse, & pro ea indole sua,  
 de qua diximus, ita semper institui, ut ea potissimum prædicet, quibus ho-  
 stes maximi obsistunt: eosque articulos manifestissimo defendat, quos re-  
 10 ligious aduersarij, siue hæretici, siue ethnici maxime studet impugna-  
 re. Hoc si prudenter obseruatum fuisset in huiusce tumultuationis initio,  
 non potuisset lues tam late grassari: & si uel nunc fieret, illico uideres syn-  
 ceros à fucatis, hoc est ueros Christianos à falsis (quod plurimum condu-  
 ceret religionis puritati) segregari: quod perficit metanœa, ad quam Pe-  
 trus auditores hortabatur. de qua nunc, quia post nominis inuocationem  
 sequitur, dicendum. Metanœa, quam hic Petrus ab auditoribus suis exigit,  
 mentis quedam transformatio est, non simpliciter peccatorum resipiscencia.  
 Nam priusquam ipsi interrogarent, Viri fratres quid faciemus: iam corde con-  
 puncti erant, & ita poenituerat, ut non opus fuisset eos à Petro admo-  
 neri. Quod ergo dicit μετανοῦσατε, uult aliam mentis formam assumendam.  
 20 ut hic sit metanœa, id quod Paulus intelligit, cum hortatur Corinthios,  
 1. Cor. 5. ut expurgarent uetus fermentum: Colossenses, ut exuerent ueterem homi-  
 Coloss. 3. nem: Ephesios, ut renouarentur spiritu mentis, non solum scelerum con-  
 Ephes. 4. scientia, à quibus certe quidam liberi esse poterant inter Mosaicæ legis  
 tenacissimos cultores: quibus tamen hac metanœa opus esset, ad Chri-  
 stiani nominis susceptionem. Etenim præcursor, & ipse Christus, non  
 Matth. 3. tam peccatorum, quæ commiserant in quibus metanœam prædicabant,  
 4. quam aduenientis noui regni admonebant. μετανοῦσατε, inquit, in pro-  
 pinquo est enim regnum celorum. Est ergo hic metanœa, quantum  
 mihi uidere uideor, ratio & consilium uitæ nostræ ad aliam legem, ad  
 30 alias regulas, ad aliam religionem instituendam: cuius caput est, ut co-  
 gnoscamus de eo cui angelus nomen Iesu proprium dedit, omnia il-  
 la dicta esse, quæ patribus commissa sunt de nouo legislatore Chri-  
 sto. Hanc mentis transformationem uoluit Petrus signo externo  
 & uisibili manifestare, baptismo nempe, professionis nostræ caracte-  
 re. sed quæ an baptismo Ioannis, an discipulorum Christi: non: nam  
 ille baptismus uiuificam illam uim nondum obtinuerat. Spiritus enim  
 nondum erat datus, quod Iesus nondum esset glorificatus. Erant ea  
 Ioan. 7. baptismatis genera, ut & omnes illæ Mosaicæ legis ablutiones, figu-  
 Luc. 12. ræ baptismi efficacioris post instituendi, de quo Christus ait, Bap-  
 40 tismo habeo baptizari: cum iam à Ioanne esset tinctus. & quomodo  
 coarctor, donec perficiatur: mortem suam significans, ex qua ueluti  
 ex fonte, uim suam omnia ecclesiastica religionis instrumenta nanci-  
 scuntur. Quicumque, inquit Paulus, baptizati sumus in Christum  
 Rom. 6. Iesum,

104 Iesum, in mortē eius baptizati sumus. & iterū: Consepulti sumus unā cum illo per baptismū in mortē, ut quemadmodū excitatus est ille ex mortuis per gloriā patris, ita et nos in nouitate uitæ, quam attulit spiritus, ambulemus. De hoc baptismo locutus est Christus, cū rediuius præciperet suis, ut abeūtes in uniuersum mundū docerent omnes gentes, et baptizarēt eos in nomine diuine trinitatis. At nō prius, q̄ spiritū accepissent omniū cœlestiū bonorū authorē. Talis non erat neq̄ Ioannis, neq̄ Christi discipulorū tinctio, qui solū in pœnitentiā tingebant. Post spiritū uerò datū, Apostoli in remissionē peccatorū baptizarūt. Quapropter & Petrus prima oratione iubet omnes sine discrimine, siue Ioannis, siue Christi discipuli fuerāt, intingi, ut sic inserti illi fœlici cœtui acciperēt donū spiritus sancti. Vide ut sit Christianæ Ecclesiæ progressus, suo ortui similis. Nam ut illa primū cœpit auditu, & uisu, nempe per flatū & ignē: ita & ipsa ad Ecclesiā accessio signis fit externis, per uerbū nempe & baptismā. nisi quod in hoc differāt, quod ibi cumulus omnium donorum, hic unum et certum aliquod donum accedenti datur. Nam ita ait Petrus, eos accepturos donū spiritus, sic tamen ut perpetuò Ecclesiæ illustis progressus humanis sensibus sit conspicuus.

*Quid auditores fecerint ad Ecclesiæ progressum. VIII.*

**M**ultum aut fecerit ad fœlicē Ecclesiæ progressum, & ea ponderasse, quibus Petrus ecclesiasticæ cōmunionis eminentiā primis auditorib. exposuit. Hic enim, quid ad eos qui in Ecclesiam essent inserti, pertineret, paucis cōprehendit, nempe quod quicquid Deus patrib. esset pollicitus, & quicquid esset in rerū uniuersitate, id omne, etiā Paulo teste, nostrū esse, & nos uicissim Christi, hoc est, quod hic Petrus dicit: Vobis repromissio facta est, & filijs uestris. Item quod ad hos omnes ex æquo pertineant diuina promissa, ne quis uel turgeat ob dignitatē, uel abiectioni sit animo ob uilitatē conditionis ante baptismū. Non, inquit Paulus, Iudæus neq̄ Græcus, nō seruus, neq̄ liber, &c. Omnes uos unus estis in Christo Iesu, quicumq̄ baptismo abluti, Christū induistis. Ideo addidit Petrus, Et omnibus qui longe sunt: intelligens ad eos etiam, qui maxime Deum contempserant, has pertinere repromissiones: sed quoscunq̄ aduocauerit Deus. Nam hoc non est (ut ait Paulus) uolentis, neq̄ currentis, sed Dei miserentis. Hæc dum cogitant sacre Ecclesiæ initiati, quibus bonis eos affecerit ipse Christus præ cæteris omnibus, ad quam dignitatem uocatae sint, quid quæso aliud facere potuerunt, quam ut se indies arctius Ecclesiæ deuincirent, ne cum multis alijs, qui tamen Christum à morte redeuntem uiderāt, uictorē (uisus enim fuerat semel plus quam quingentis fratribus) à ueri cognitione exciderent. Quare & Petrus post alia exhortabatur eos, ut & à commercio & conuictu eorum qui aduersus religionem nitebantur, segregarentur. Seruemini, inquit, à generatione ista praua. Sic olim Abrahamo dictum fuit, Egredere è terra

è terra tua, & cognatione tua. Psaltes ad sponsam: Obluiscere populū tuum, & domū patris tui, Qui (ait Lucas) libenter acceperūt sermonē eius, baptizati sunt, & acceperūt: quasi diceret, relicta priori cōsuetudine uitæ & societate, iunxerūt se fœlici illi cœtui, animæ circiter ter mille, perseverantes in doctrina Apostolorū, & cōmunicatione & fractione panis, & precationibus. Vide quæso & uoluntatū, & studiorū, & sententiarū summā consensionē, eorū qui primi in ecclesiā inserti sunt. Nā his tota religionis uirtus & tranquillitas ceu fundamentis innitit: quæ si non unanimiter omnes obseruēt, atq̄ uno cōsensu defendāt, in factiones Ecclesiā scindi necesse est. Si enim in ijs quæ ad religionē pertinent, suam cuiq̄ licebit sententiā statuere: quomodo poterit eadē esse Ecclesiæ doctrina? Oportet ergo eandē omnes sententiā sequi, et in rebus cōtrouersis idē omnes iudiciū expectare. Et hoc est quod Lucas dicit, primos Ecclesiæ discipulos perseverasse in doctrina Apostolorum. Sic si quod quisq̄ præstare potest, publicæ ecclesiæ necessitati alter subtrahat, alter impēdat, perturbabit ecclesiæ tranquillitas. Qui enim religionis communionē amplectitur, se, suaq̄ obligat religionis incolumitati, ideoq̄ debet communē religionē quisq̄ pro uirili promouere, & quod possidet, nō sibi, sed Ecclesiæ possidere, et perseverare *ἐν τῇ κοινωνίᾳ*, hoc est in rerū quæ ad uitæ usum pertinet, cōmunicatione. Similiter in dominica cœna, quæ arx est religionis, si alter usum introducat, quē alter reprehēdat, erit ipsius religiosi cultus cōfusio. Hic potissimū idē debet esse religionis tenor, & una omniū obseruatio: alio qui periculū, ne si præcipua cultus pars uaria sit, totus Ecclesiæ status immutē. Sic precationes eodē tendere debebūt, et spectare amplissimē nostræ cōsociationis, omniumq̄ in religione sodaliū salutem et prosperitatē. Quare & quædam publicas orationes esse præscriptas oportet, ne ecclesiæ alicuius particularis ratio habeatur. Horum omniū unanimis consensus, religionis tranquillitatem maxime conseruat.

*Ecclesiæ indoles, ut ab oppressionibus redeat ualidior. IX.*

**N**erum ut nihil est tam firmū quod nō aliquo modo si nō dericiat, ad minus cōuellitur: ita Ecclesia licet stabilissimis fundamentis stabilita sit, quatuor tamē pestib. non sine magno detrimento affligit, nempe fallaci doctrina, fallaci sanctimonia, fallaci authoritate, et fallacib. miraculis. Quibus rationib. sit his resistendū, docēt primi ecclesiæ propagatores. Fallaci doctrinæ sacras scripturas obiecerūt: authoritatē fallacē acerrima obiurgatione compescebant. cū enim Simō Samarites apostolicā authoritatē pecunijs sibi cōparare studeret: In felle, inquit, amaritudinis & colligatione iniquitatis uideo te esse. Falsis miraculis uera obiecerunt, quæ in ipsos docti auctores retorserūt. sic Paulus Elymā magū percussit cecitate. Fallacem uerò sanctimoniā omniū acerbissime coercuerūt. Ananiā enim et Sapphirā Petrus, quod fingerēt precii tradere, cuius partē retinebāt, coram omnib. percussit repētina morte. Nec his tamē remedijs potuisse has pestes



tis comprimere scriptura ostēdit, dum sequenti etiā tempore narrat, passim  
 adhuc in Ecclesiam hereses, simonias, magiā, atq; hypocrisis irrepisse,  
 quib. pestib. uidemus et hodie Ecclesiā perdi. Sed quāuis tā uario cona-  
 tu Ecclesiæ progressum omnes hi ueritatis hostes impedire laborabāt,  
 nunq; tamē eam pessundare potuerūt. ea enim est Ecclesiæ indoles, ut  
 ab hostiū insultu redeat semper ualidior. Cū enim in ipso articulo exor-  
 tus Ecclesig, Iudei, repleto cœlesti uirtute et foelici cœtui exprobrarēt te-  
 mulentiā, data hinc est Petro occasio declarandi eiusce facti uim, & my-  
 steriū: & accesserūt eo ipso die ter mille. Paulo post, cum magistratus  
 & Saducæi moleste ferrent, à Petro & Ioanne doceri populum, & po-  
 nerent eos in custodia, factus est numerus uirorū q̄ crediderūt, circiter  
 quinq; milia: cūq; postero die corā principibus & senioribus et scribis,  
 et omnib. q̄ erant de genere pōtificio, scripturarū (ut uidebat) antistitib.  
 producerentur, et illis uetaretur, ne loquerent sub nomine Iesu: illi con-  
 trā, nec hi duo duntaxat, sed cæteri quoq; apostoli, nouo etiā prodigio  
 animati, maioriq; prius fiducia, et cū auditorū maiori beneuolētia et fauo-  
 re testimoniū reddiderūt Domino Iesu, tāto cū fructu, ut inter cæteros  
 etiā ille ē Cypri natus Barnabas leuites, tantus postea noue religionis  
 præco, Ecclesiæ additus sit. & cū ij qui prima oratione conuersi erant,  
 rerum uenditarū precia impertirent, quibus opus esse ipsi iudicassent:  
 hic contrā id omne abijciūt ad pedes Apostolorū. Verum huic succes-  
 sui Sathan cum inuideret, impleuit cor Ananię & scandalo fallacis san-  
 ctimonie turbauit tenellā Ecclesiā. detecto autem diuinitus mendacio,  
 ortus hinc est timor magnus super uniuersam Ecclesiam, & super om-  
 nes qui audiebāt hæc: factumq; est, ut etiā multitudo uicinarū ciuitatū  
 cōueniret ad ecclesiam. Hinc æmulatione æstuantēs principes sacerdo-  
 tum, & Saducæi, cum omnes Apostolos in publicā custodiam conie-  
 cissent, per angelū educti sunt, et diluculo populū multo alacrius om-  
 nia uerba uitæ huius docuerunt. Hinc ducti in conciliū, cæsi sunt: ue-  
 rum redeuntēs cum gaudio à conspectu concilij, quod digni habiti es-  
 sent, ut pro nomine Iesu contumelia afficerent: deinceps non in templo  
 tantūmodo, ut antea, sed et in singulis domib. non cessarunt docere, &  
 annunciare Iesum. Hinc instigatione sathane murmur Græcorū exor-  
 tum est: unde sumpta est occasio, ut magistratus, qui mensis præesset,  
 constituto, liberius Apostoli deprecationi & uerbo incumberent. quo  
 factum est, ut etiam ex sacerdotali ordine multi fidei obedirent. Quem  
 successum cum etiam literarum scholæ moleste ferrent, insurgunt et ip-  
 sæ aduersus exorientem Ecclesiam, et noui magistratus antesignanum  
 quintuplici agmine inuadunt: & cum rationibus superare nequirent,  
 subornatis falsis testibus condemnatū lapidibus obruunt, cæterosq;  
 per singulas domos persequuntur, coniectis magna furia tum uiris  
 tum mulieribus in custodiam, adeo ut præter Apostolos, alij omnes  
 metu perculsi fugerent relicta Hierosolyma. Et hæc, spacio plus mi-  
 nus trimestri à die exortæ Ecclesiæ. Sed quid hinc factum? Dispersi  
 sunt

sunt per regiones Iudææ & Samariæ, ita ut & Iudæa & Samaria & Da-  
 mascus, imò & ille procul ex Æthiopia eunuchus euangeliū audirent  
 & amplecterentur. Hinc Saulus maiori furore insurgit in Ecclesiam,  
 sed repente ex persecutore factus est Euangelij præco. & quo plus illi  
 clamore obstreperent, & obloquerentur, eo magis conualescebat, &  
 confundebat Iudæos. Positis uero insidijs, ut eum interficerēt, elapsus  
 abiit in Arabiam: haud, ut ego arbitror, desertā illam, aut petræam, ue-  
 rum potius ad illam procul distitam à rerum ubertate, hominumq; fre-  
 quentia, uocatam foelicem: nempe messem tanto operario, prædam tan-  
 to aucupe, auditoriumq; tanto oratore dignum. Tam late aduersus tot  
 insultus noua religio creuit, uno uix anno. Neq; dissimili ratione inue-  
 nies, sequentibus quoq; annis, quo magis agitatam, eo sicut proceram  
 arborem fortius iecisse radices.

*Ecclesia hostes proprijs ipsorum armis contundit. X.*

**H**æc & ea indoles Ecclesiæ, ut hostium armis, quoties com-  
 modum est, se tueatur. Hinc aduersus Iudæos Apostoli nō  
 solum sacra scripta, sed etiam apocrypha adduxerūt: ut Pau-  
 lus de Ioanne & Iambre, Iudas uaticinium Enoch, & pu-  
 gnam dæmonis cum Michaele: et aduersus ethnicos, Epimenidis, Me-  
 nandri, Arati, & aliorum prophanorum auctorum scripta protule-  
 runt. Imò si quid ex idololatrarū superstitionibus potuerint in com-  
 modū religionis rapere, non ueriti sunt & illud aduersus hostes usur-  
 pare: ut Paulus Athenis aram ignoti dei, tam sedulo studuerunt ex o-  
 mni re lucrū facere religioni, adeoq; & ex hostibus ipsis. Nam is est  
 Ecclesiæ genius & natura, ut quando uel uehementissime opprimitur,  
 aliquem subito ex diuersis castris insignem ducem deprædetur, cuius  
 opera reliquas hostium phalangas ueluti proprio gladio proscindat.  
 Quemadmodum præposteris Mosaicæ legis obseruatoribus Ecclesiā  
 perturbantibus deprædata est Saulum, cuius eximia scientia eorundē  
 cuneos facile contudit: & insultantibus in Ecclesiam magno ingenio  
 mundanaq; philosophia præditis, nacta est Dionysion, Aristidem, Iu-  
 stinum, & Irenæum: & per hos cæteras philosophorum phalangas,  
 eiusdem scientiæ instrumento protriuuit. multis postea etiam eloquen-  
 tiæ artificio Ecclesiam laceffentibus, ex illorum castris Cyprianos, Ar-  
 nobios, Lactantios, Eusebios rapuit: per quorum operam cæteros eo-  
 rundem hostium ordines eiusdem artis adminiculo facile dissipauit.  
 Passa postea grauissimos insultus ab huius mundi potestatibus, en in  
 summo periculo nacta est præstantissimū principem Constantinum  
 defensorem: cuius potentia, incredibile quā celeriter, omnes eius ge-  
 neris hostes compescuerit. Hæreticis uero & uarijs & multis Ecclesiæ  
 uineam demolientibus, Augustinus cum ex Manichæorū castris ad  
 Ecclesiam transfugisset, bone Deus, quā facile non Manichæorum  
 tantummodo, sed quotquot ab exordio Ecclesiæ ad ea usq; tempora  
 exorta

exorta fuerant hæreticorum agmina, sua (quam inter philosophorum hæreticorumq; cateruas homo ingeniosissimus didicerat) eruditione prostravit: Eia, si huius indolis suæ tam manifestam significationem tam cito de se præbuerit recens nata ecclesia: quis dubitauerit præsentem quoq; nimis deplorandam perturbationem portendere hoc breui futurum, ut ad Ecclesiam antesignanus aliquis ex hostium castris accedat, per quem iugulato proprijs armis aduersario exercitu, ipsa consequatur non ornatus aut numeri, sed potius utriusq; generis egregium ali quod, & spem omnium exuperans incrementum.

*Quibus modis Apostoli hoc breui tempore Ecclesiam tam late propagarint. XI.*



Ad quam rem multum conduceret obseruasse, quomodo Apostoli uarijs insultibus, quibus Ecclesia uexabatur, semper prospexerint: ne qui ad Ecclesiam accessissent, uel temporum mutatione, uel rerum aduersitate ab eadem reuellerentur. Hi itaque eam singulis cœtibus commode adesse non possent, præfecerunt alijs locis alios rerum ecclesiasticarum moderatores. Verum non sic, neq; tales, qualibus hodie apud plerosq; hæc animarum cura committitur. Multum enim refert, quales hi, & quomodo instituantur: quod ab horum existimatione, obedientiam populi: & ab eorundem diligentia ac circumspeditione, salus pendeat atque tranquillitas religionis. Hi enim si sine existimatione bona inter suos agant, etiam si eruditi ac uigilantes sint, quæcunq; tamen ab ipsis de rebus religionis præscripta fuerint, nihil Debebunt. Debebunt itaq; præfici, quos populo gratos futuros agnouimus. sic enim Apostoli nos docent: religio enim nemini debet obtrudi. Neq; ubi iam amplexati sunt religionem, religionis moderatores alij erunt dandi, quam quos ipsi, quibus sunt præficiendi, laudarint, & desiderarint. non autem quos statim ipsi uoluerint, sed quos pro præscripta ipsis qualitate & conditione, duxerint eligendos. Instituti enim diaconos Apostoli, conuocatae multitudini dixerunt: Circūspicite uiros ex uobis spectate probitatis, plenos Spiritu sancto & sapietia, quibus delegabimus hoc ministerij. Vos, inquit, circūspicite, quibus nos delegabimus. Ut nimirum ueluti diuisa inter se auctoritate, constitutio præfecti partim esset penes maiores, partim penes multitudinem, cui præfectus dandus est. Sic Paulum & Barnabam narrat Lucas populi suffragijs præfecisse singulis ecclesijs presbyteros, quo loco utitur uerbo *ἡγεμόνῃ*. Multum certe hæc res Ecclesiam firmat: nascitur enim uinculum quoddam inter eos mutui amoris & reuerentia, quando is præficitur, quem multitudo desiderauit. Nam hic multitudinem diligenter curat: illa uicissim huius monitis libentius parat. secus si fiat, & quid peccatum sit, statim omnis culpa primum in pastorem, mox in illum à quo præfecturam accepit, reijcitur. Vnde euenit, ut totus ordo præfectorum exosus fiat, & contemptibilis, & dissoluitur

tur neruus obedientia, ita ut nihil, aut certe parum profit habere præfectos. quomodo & hodie, pro dolor, rem habere uidemus. Mutua uero inter moderatorem & populum reuerentia etiam hoc efficit, ut moderator alia uereatur populum docere, quam quæ recta sunt: & populus non ausit, quæ ille docuit, contemnere: qui est neruus ecclesiasticæ tranquillitatis. Hunc neruum Apostoli docuerunt non alia ratione magis corroborari, quam superioris præfecti crebra uisitatione, dum præsens explorat per singulas ecclesias, à moderatore obedientiam populi, & à populo doctrinam & uitæ consuetudinem moderatoris, atq; ita religionis perituro forsan alioqui *ἐπιτροπῆ* noua fometa subministrat. Hoc est quod Petrum, Paulum, Barnabam Lucas scribit, quos ad Euangelium pertraxerant, sæpius reuississe: & moderatores populi, ut aduersus impietatem in sana doctrina fortiter persistenter, animasse: discipulosq; obedientes, ab ijs qui in errore contumaciter persistenter, præsentia auctoritate segregasse. et si forte ipsimet non poterant, Silæ, Sosipatri, Tychico, Trophimo, aut alicui alij è suo sodalicio, hunc laborem delegarunt. Hoc si nostra ætate præfecti imitati fuissent, non uideremus tot pastores conuersos in lupos, neq; tot natas in populo uulpeculas, quæ iam Ecclesiam demoliuntur. Huic incommodo religionis nulla res (sicut ego iudico) æque medetur, ac summorum præfectorum crebri conuentus, conferentium in commune, quo fructu quisq; administrationem suam gesserit. Hoc (Paulum Lucas scribit sæpe fecisse in ecclesia Antiochena, ubi munus apostolicæ functionis susceperat: sæpius uero in ecclesia Hierosolymitana, unde scaturierat fons religionis, in quæ locum Lucas indicat tanquam ad solennes cœtus, Apostolos cum senioribus, licet procul dispersos, semel aut bis quotannis cõfluxisse, cum Petrum & Iacobum & Paulum docet peregrinos, sedulo tamen curasse, ut essent Hierosolymis die Paschæ, & Pentecostes. Huiusmodi enim cõuentibus certum est, uariarum rerum usum doceri, & uniuscuiusq; diligentiam alterius exemplo excitari. Quam rem equidem tantifacio, ut eius unius negligentiam arbitrer potissimam causam esse, unde præsens malorum in religione oceanus profectus sit: adeo ut planè desperem lapsam religionem posse refarciri, nisi non solum summi illi ex toto orbe conuentus, uerum etiam minores, & minimæ quoq; synodi præfectorum restituantur pristinae & dignitati & rigori. Frustra enim in maximis illis conuentibus necessaria statuuntur, nisi singulis locis minores conuentus eadem curent sedulo obseruari. His certe rationibus & modis Apostoli euangelium breui tempore, mirum dictu quam late propagarunt. Sed ne quis hoc ut rem insperatam miretur, istud angelus Danieli futurum prædixerat: Confirmabit, inquit, (de Christo loquens) pactum multis hebdomada una, nempe septuagesima: significans per tempus eiusce hebdomadæ euangelicam doctrinam summa celeritate magno cum fructu per multas nationes diuulgandam. Si enim

(ut oportet) primæ hebdomadarū initium sumas à tertio anno olympiadis octuagesimæ primæ, nempe anno uicesimo Artaxerxis, quo is Nehemiæ facultatem dedit reædificandi Hierusalē, & subducas omne tempus intermediū, inuenies initium ultimæ hebdomadę incidere in eum annum, quo Christi sui maiestatem suscepto à præcurfore baptismo Deus pater manifestauit, nempe anno secūdo olympiadis secundæ supra ducentesimo. In huius enim septennij medio tempore cum seminasset euangelium per Palestinam, occisus est Christus, ut angelus prædixerat. Huius hebdomadæ altera parte multis sanè suum pactum confirmauit, ita ut hoc breuissimo temporis interuallo, per maiorem orbis partem euangelium prædicatum sit. Quot interea loca peragravit Petrus, scribit Lucas, priusquam aggreditur descriptionem apostolicæ functionis Pauli. Qui etiam hoc tempore euangelium annunciarat per Arabiam, & Phœniciam: & haud est dubium, quin etiam eunuchus ille, quem docuerat Philippus, Christum interea temporis apud Æthiopes prædicarit. Quin & Pilatus, qui ultimo huius hebdomadæ anno ex prouincia reuocatus fuit, Tiberium de Christo certior fecerat, quem & hic in larario suo inter deos peculiare habuit: imò ad senatum retulit, ut Christum publice deorum numero ascriberet. Et senatus cum ægre ferret, Christum non expectata senatus autoritate inter deos iam collocatum, edicto statuit, omnes Christianos ab Urbe exterminandos. Huic edicto resistit Tiberius, qui Christianorum accusatoribus mortem comminatus est: unde tam uehemens inter Cæsarem & senatum orta est dissensio, ut reluctantes senatores partim occideret, partim proscriberet, duobus exceptis: quæ res certe quàm latissime Christi nomen euulgauit, ita ut Gildas fateatur per eam occasionem Britannis Christi nomen fuisse & manifestatum, & susceptum. quæ omnia contigerunt sub finem ultimæ hebdomadæ Danielis. Hic est Ecclesiæ illustris progressus. Nunc sequitur, ut dicamus, quomodo institutas à se ecclesias, quibus hominum ordinibus, quanta functionum uarietate, Apostoli instruxerint, & adornarint.

Gildas de  
excl. Britā.

DE

DE INSTAVRANDA RELIGIONE  
LIBER SEXTVS, QUI EST  
De Ecclesiastica uarietate.

Quod uaria sint ornamentorum genera in Ecclesia. I.



Voniam duobus proximis libris disceptatum est, unde Ecclesia cœperit, & quomodo Apostoli eam propagarint, iam hinc quo quæq; in ea modo constituta, quibus rationibus Sparta hæc illis ornata sit, exequemur. Multum huius inquisitio ecclesiasticæ institutioni utilis est, & necessaria. Non enim (ut quidam sibi stultè persuadent) omnia primæ Ecclesiæ membra ita inter se colligata fuere, ut nulla dignitatis & ordinis ratio inter ea habita sit: quia non solum scriptura huic opinioni refragatur, sed etiam res ipsa et natura reclamant. Nam in omnibus societatibus, ad quas homines accesserunt, quanquam simul omnes pro salute & conseruatione sue reipublicæ sese obligant, & sanctè obstringunt, ut summa qua possunt ope, simul eam defendant: tamen quia uaria & cuiq; sua ingenij, consilij & gratiæ facultas data est, non idem omnes, sed tantū curæ, studij, officij, operæ, laboris, & diligentiæ quisq; confert, ad societatem suam augendam & defendendā, quantum consecutus fuerit facultatis. Hoc uiderè est, cum hostis moenia oppugnat. Hic licet omnes ciues æquali consensu moenia petant, tamē nō unam rem omnes, sed id quisq; agit, quod apud se iudicarit utilissimū, ad hostiū uim ab oppido prohibendam. In quo animorū æstu, et summa difficultate temerè plura fierent, & ordine non suo, nisi hunc laborem inter se partirentur, & alijs aliam oppidi defendendi curam concrederet: nempe ut hic hostem scandentem deturbet: alius, si quid reficiendū, perficiat: alius laboranti succurrat, aut succedat: alius tormenta paret, alius hortetur, alius increpet et incuset. Quæ studia licet disparia sint, eam tamen uiderè licet in his conuenientiam & concordiam, ut ad harmoniam fieri omnia dicas. qui ordo si hoc in negotio non seruetur, non alia mox ciuū futura est perturbatio ac confusio, quàm si in fidibus turpissime dissonantibus concentum quis meditetur, priusquam fides reuocarit ad harmoniā. quod contrā qui fecerit, eum ex bene distinctis sonis & interuallis concentū reddet, qui etiam fastidiosissimis auribus arrideat. Sic qui de primo Ecclesiæ statu respondere uelit, is quomodo summis, & medijs, & infimis ordinibus, hoc est, quomodo multiplici officiorum uarietate Ecclesia primū instituta sit, teneat necesse est. Hanc uarietatem non licebit aliunde clarius cognoscere, quàm ex ecclesiasticis ornamentis. Voco autem nunc ornamenta, quæ spiritus adiunxit donis naturæ. Hoc

uno enim potissimum differt Ecclesia à cæteris societatibus, quòd tota nitatur ijs donis, quæ naturâ superât. Quàm autem hæc sint & uaria et speciosa, testat Pſaltes, *Astitit, inquit, regina (ecclesiã intelligens) à dextris regis, ornamenti decora aureis, circumamicta uarietatibus.* Vniuersa autem hæc ornamenta Paulus diuisit tripartitò, nempe in dona, in ministeria, & operationes. Diuisiones, inquit, donorũ sunt, sed idem spiritus: & diuisiones ministeriorũ sunt, & idẽ dominus: & diuisiones operationũ sunt, sed idẽ est Deus, efficiens omnia in omnibus. ex quibus facile colligere est, ecclesiasticorũ munerũ alia esse manifesta, alia occulta: rursus, alia ad priuatum commodũ, alia ad communẽ utilitatẽ peculiariter unicuiq; data. Dona enim ad priuatã possidentis utilitatẽ, ministeria uerò & operationes uidentur ad aliorũ etiã profectũ concessa. et per operationes (ni fallor) si quid extrinsecus: per ministeria, si quid inarintecus fiat, cuius uim coram homo nõ uideat, Paulus intelligit. Eadem ornamenta et hac inter se ratione differunt, ut alia sint facultatũ, alia functionum, alia tantũmodo signaculorũ. Facultates uoco, quæ actiones cõmode pariunt. functiones, quæ producuntur ex facultatibus. signacula uero, quæ nec ipsa pariunt, nec aliũde pariunt, sed in testimoniũ impressa sunt initiatis. De ueteris legis signaculo loquitur Paulus, ubi dicit Abrahamũ accepisse signũ circucisionis, signaculũ iustitiæ fidei, quæ fuerat in preputio. De signaculo nouę religionis loquitur Ephesijs, cũ eos dicit, audito uerbo ueritatis obsignatos spiritu pmissionis sancto. Et rursus cũ monēs eos ne cõtristarēt Spiritũ sanctũ, addit, Per quẽ obsignati estis in diẽ redẽptionis. De facultatib. idẽ agit, quando Timotheũ officij sui cõmonefaciens inquit, Ne neglexeris quod in te est donũ, quod datum est tibi pphetiã, cũ impositione manuarũ authoritate sacerdotij. et cũ subiũgit, Hæc exerce, in his esto, ut tuus profectus manifestus sit omnibus: functionẽ indicat eiusce facultatis. quę tria sic inter se differunt, quod signacula sint indelebilia, eodẽq; tenore ubicũq; perseuerentia: functiones mox pereant: facultates usu augeant, intereantq; inertia. Iã uerò eadẽ ornamenta et alio modo distant, quod quædã semper fuerint omnib. electis cõmunia, (nuncq; enim fieri potuit, ut q̄s sine fide placeret Deo): quædã nouę religionis cultorib. peculiaria. & horũ alia ipsis nouę religionis præfectis, alia subditis propria, alia cõmunia utriusq;. Non enim spiritus omnia omnibus, sed alijs mēbris alia ornamenta impartitus est.

*Quod cuiq; membro suum munus & officium sit. II.*

Cap. 1.  
& 7.



**A** priusq; de ornamentis pergã, uiderent quædã de ecclesiastico mēbro breuiter dicẽda, nēpe quo modo q̄s ecclesię inferit, ut sit et uocari possit ecclesię mēbrũ. Verũ q̄a hæc superiori lib. explicata sunt, nēpe quod nulla fiat ad ecclesiã accessio, nisi ad diuini spiritus gratiã hominis accedat ministeriũ, et domini nominis Christiana p̄fessio, huic quæstioni satisfactũ ibi arbitror. Quare nũc de ornamentis mēbrorũ fusius dicamus. Diuus Paulus in li-  
teris

teris ad Romanos, ornamentorũ uarietatem tam clare describit, ut non possit clarius. Quemadmodũ (inquit) in uno corpore multa membra habemus, membra uero omnia non eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra, sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria, ubi indicat Paulus, ita hæc esse inter homines diuisa, ut nullum membrũ sit quod profus omni ornamento careat: rursus nullum tam magnum, quod ope non indigeat minoris: nec ullum tam paruum, ut eius opera alteri usui non sit. quam mutuam indigentiam non obscure significat

10 Paulus, ubi dicit quod in Christo totum corpus coagmentatũ et compactum, per omnem commissuram subministrationis iuxta *ἰσότητιν* in mensura uniuscuiusq; partis, incrementum facit in ædificationem sui ipsius per charitatem. Hic uides duo omnino inter se contraria, iusto tamen modo ita in negotio ecclesiastico conuenire, ut nullę aliæ res sint, quæ magis congruant, unitatem scilicet et uarietatem. Nihil enim sub soletam unum, ut Ecclesia: nihil rursus æque uarium, si uaria eius membra spectes, quàm Ecclesię sub summa unione uarietatẽ, Paulus alijs locis multis per partes enumerat. Nam huic, inquit, datur per spiritum sermo sapientiæ: alij uero sermo scientię, secundum eundem spiritum: alij uero fides, per eundem spiritum. sunt hæc tria inter se affinia. Illa enim duo rationem quandam suppeditant prudenter differendi, ut recte intelligant auditores, quod dicitur, primum quidem de diuinis, alterum autem de rebus humanis: tertium etiam uim persuadendi suggerit, ut etiam credant auditores, quod dictum est. Hæc igitur ad id genus ornamentorũ pertinent, quę à Paulo diximus sub uocabulo ministrationũ comprehendĩ. Duo deinde genera addit, quæ sub operationum nomine continẽtur, cum ait, Alij dona dantur sanationũ per eundem spiritum, alij uero efficacię potentiarũ: quorũ ille quidem in morbos, hic uero etiam in mortem, adeoq; in ipsos dæmones imperiũ exercet. hinc subiungit, Alij uero prophetia, alij uerò discretionēs spirituarũ: ut ille res obscuras, hic nouarũ apparitionũ falsitatẽ reuelet. Alij genera linguarũ, alij interpretatio linguarũ. horum ille quidẽ uarijs utitur linguis: hic, quæ alius sua lingua scripsit, aut retulit uerbo, ea coram huius linguæ rudes interpretatur. atq; hæc quatuor uides inter operationes & ministrationes medio loco consistere, quod ad utraq; æque possint accommodari. Alibi idem interserit tria munera humiliora: Qui exhortatur, inquit, in exhortatione: qui impartit, in simplicitate: qui miseret, in hilaritate. adeò diuersa portione diuisa est uniuscuiusq; spiritus manifestatio, ad id quod expedit. Sed dicet aliquis, Nonne paulo antẽ dictũ est, quibusdã ornamentis membra æqualiter prædita esse: Hoc in illis locum habet, quæ signacula uocari diximus, nec auferri possunt. Sed & quædam sunt omnibus communia, quę tamẽ non æqua parte cuique assignata sunt, ut uidemus Paulũ sæpius loqui de fide, dum iubet

*Ephes. 4.* unumquęq; ita sentire, ut Deus illi partitus est mensuram fidei. Cætera uero ornamenta, de quibus hic latius disputabit, separatim alia alijs tribuuntur, iuxta modum doni Christi: quippe qui ascendens in altum, alios dedit apostolos, alios prophetas, alios euangelistas, alios autem pastores & doctores. quorum non satis accurata consideratio, eam (utinam non hodie) faciem in Ecclesiam inducit, quasi manus ingredi, pedes poma decerpere, oculi olfacere, aures contra ordinem naturę gestirent uidere. quam perturbatissimam membrorum confusione quis non uidet, mox totius corporis exitium adferre?

*Apostolatus fons ecclesiasticorum ordinum. III.*



*Luc. 6.* *Luc. 10.* *Luc. 8.* *Act. 1.* *Act. 2.* *1. Petri 3.* *Matth. 13.* Væ autem ratio instituta fuerit à Christo in ea republica, ex qua Ecclesia erat nascitura, ij gradus ostendunt, quos ipse ex tota turba, quę ipsum in terris degentē sequebatur, ueluti futurę Ecclesię seminarium delegit. Primum enim duodecim cōstituit Apostolos: septuaginta deinde discipulos, ceu antambulones suos. reliquam uero multitudinem (quorum alij assidue Christo adhærebāt, ut mulieres illę quę illum sequute erant à Galilæa: alij non semper, sed interiectis interuallis eum audiebāt) auditorū loco habuit. Ex his hominū ordinib. turbā eam fuisse collectā, quę Christo assumpto expectabat promissum patris, ostendit Petrus, ubi agit de alio in locū proditoris sufficiēdo. Vult enim ex illis uiris unū quempiā cōstitui, qui cum illis uersati fuerāt toto tēpore, quo Dominus Iesus cū ipsis perpetuā uitę consuetudinem egerat. Vnde facile colligis, in eadē turba nō paucos fuisse, qui Iesum nō fuerāt sequuti perpetuo. Cæterū quod hic Petrus nullā habeat rationē septuaginta discipulorū, cōtrā uero diligentissimā curā apostolatus redintegrādi: clare ostēdit, discipulorum gradu abolito (quippe qui tantūmodo Christo in terris peregrinanti inseruiebat) ex solo Apostolorū magistratu, ecclesiasticorū ministeriorū uarietate effluxisse. Nam uides in ipso ecclesię exortu, solis duodecim Apostolis Ecclesię præfecturā datā, Petrū uero omnium egisse patronū. stans enim cū undecim, solus pro omnib. uocē suam extulit ac respondit, cum tamē singuli eorū (ut testat scriptura) populo cōcionati fuissent. Et regebat aliquādiu Apostolorū autoritas sola Ecclesiā, totaq; rerū series nō secus ab his depēdebat, ac dicitur suis humeris unus Atlas totū sustentare cœlum. Sed postea, cum Ecclesia magis magisque præter omnium opinionē cresceret, & iam tantus esset priorū numerus, ut duodecim Apostoli huic uacare cōmode soli nō possent, alijs aliam autoritatis suę partē, prout necessitas ecclesiastica uideretur postulare, impartiti sunt, semper tamen sibi (ut Acta testantur) primariā autoritatem reseruantes. Hanc apostolicā autoritatē mire commendat nominis eius appellatio, quod eis à Christo datum est iuxta similitudinē, qua Petrus ecclesiam arcę Noe, & ipse Christus eiusdē progressum uerriculo comparauit. Eam enim metaphoram secutus Christus, ad eccle-

ecclesiasticam administrationem à piscatoria navigatione uocatis, ut piscatores fierent hominū, nomen indidit apostolatus, hoc est magistratus in re nautica summi. Habet huius uocis nomenclatura in seraram quandam nauticę rei gubernandę sollicitudinem. Nam Græcis *ἀποστόλος* erat is magistratus, qui habebat rei nauticę supremam iurisdictionem. Vocant enim illi *ἀποστειλέν*, cursum nauis aliquò dirigere, non tantum quomodo is facit qui in naue est cum uectoribus, sed etiam qui alium nauis dirigendę gubernandęq; præposuit. Hac consideratione scriptura etiam Christum Apostolum uocat, quod à patre sit constitutus, ut Ecclesiam administraret. Eadem appellatione uocari eos uoluit Christus, qui ab eo instituti sunt, ut ueluti magistri præessent, & interessent ecclesiasticę navigationi. Quę autem autoritas hoc uocabulo signetur, declarat manifestissime Paulus, cum scribit, eos qui columnę uidebantur ecclesiastici cœtus, dextras societatis sibi dedisse, ac Barnabę, ut sicut illi in circumcisione, ita ipsi inter gentes apostolatu, hoc est summę potestatis consortio fungerentur. Post Apostolos uero Paulus secundum locum tribuit prophetis: Posuit, inquit, Deus in Ecclesia primum Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, &c. Hos prophetas fateri oportet alios esse, quàm illi fuerint, de quibus Christus, Lex & prophetę usque ad Ioannem. In hoc tamen conueniunt, quod utriq; futuras res, nempe illi Christi aliquando uenturi, hi uerò iam regressi in cœlos, exaltationem uaticinentur. Ita enim de Ecclesię spiritu dixit Christus: Quę futura sunt, annunciabit uobis. Sed est nouę religionis prophetia in multis alia præstantior. Nam hæc obscuras scripturę sententias, (iuxta id quod Paulus eundem spiritum scribit scrutari omnia, etiam profunditates Dei (diserte copioseq; nouit aperire, quod certe uetus prophetia non præstitit, ad audientium (ut idem ait) ædificationem, exhortationem, & consolationem. quomodo Lucas Iudam & Silam scribit, cum essent & ipsi prophetę, sermone copioso hortatos fuisse, confirmasseq; fratres Antiochenos. Et cum neque ueteris, neque nouę religionis miracula sathanicam magiam deleuerint, ecclesiastica contrā prophetia sathanica uaticinia, quę sub ueteris religionis prophetia totum orbem dementauerant, omnino extinxit: adeò ut de tam subitaneo ueterum oraculorum silentio stupefactus uir omni admiratione dignus, & omnium iudicio doctissimus inter ethnicos, Plutarchus, sub ipso ortu nouę religionis, egregium ea de re libellum conscripserit. Porrò quos Paulus hic posuit tertio loco doctores, idem alibi diuisit in tres ordines: nempe euangelistas, pastores, & simpliciter doctores. Dedit, inquit, alios quidem apostolos, alios uerò prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores, & doctores. Hi tres, quos ultimo loco in distributione positos uides, illi sunt, qui lætū nouę religionis nuncium non (ut propheta facit) subtiliori, sed rudiore (ut aiunt) Miner-

ua promulgant, & propterea sub doctoris uocabulo comprehenduntur. Sed Euangelistarum autoritas amplior est, quàm pastorum, aut doctorum. nam illi toto orbe, hi certo loco docent. et pastores quidem, locis illis ubi Euangelium prædicant, supremi sunt præfecti: doctores uero, nihil præter docendi munus sibi commissum à loci præside exequuntur. A quibus quid differat præco, idem ibi docet, ubi se gradatim nominat præconem, apostolum, & gentium doctorem. Præconem egit Damasci, statim à sua uocatione: reuersus autem Hierosolymam, cum & ibi eodem modo cuperet agere cum Hebræis, noua apparitione iussus est agere doctorem gentium: & tandem iussu spiritus, Antiochena ecclesia addidit apostolatam. Quod ergo sit officium præconis, præter natiuam uocis significationem, licet ex Luca quoque intelligere, qui Paulum scribit instructum, baptizatumque ab Anania, egisse cum discipulis ecclesie Damascenæ per aliquot dies, priusquam prodiret præco. Est enim officium præconis, præscriptum dogma duntaxat, cui nihil de suo attextit, publicare. A quo planum est differre, cuius Paulus alibi meminit, exhortatorum: ut qui de suo, ut uisum fuerit, annectit. per hoc differens à doctore, quòd docere peritorum sit, exhortari autem possint etiam non eruditi: & quòd exhortandi quidem uis ex affectionis ardore, docendi autem ex ingenij acrimonia potissimum proueniat. Hi erant, qui euangelio diuulgando maxime uocabantur. Sed præter hos & alij fuere ministri, imò presbyteri in primitiua Ecclesia, qui non uerbi, sed aliorum ministeriorum curam habuerunt. Ita enim loquitur Paulus ad Timotheum: Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime ij qui laborant in sermone ac doctrina. Superuacuum fuisset ad generale præceptum eam epitalin adiecisse, nisi & tum presbyteri aliquot fuissent, qui publicando uerbo non incumberent. Idem alio loco testatur, præter uerbi ministros, duplicem fuisse iam tum in Ecclesia ministrorum ordinem: Qui in sacris, inquit, operantur, ex sacrificio uiuunt: & qui sacrario assistunt, unam cum sacrario partem accipiunt. tandem de uerbi ministris subiungit: Sic & Dominus ordinauit, ut qui euangelium annunciant, ex euangelio uiuant. Neque enim potes hæc uerba torquere, ut Paulum ea uelis de ueteris legis sacrificijs dixisse. quia subnectit, Ego tamen nullo horum usus fui: indicans, se isdem quidem potuisse uti, quæ tunc sacrario assistentibus offerebantur. quod certe non potuisset dicere, si de ministris Mosaicæ legis fuisset locutus, cum non esset Leuiticæ tribus, sed ex tribu Benjamin. neque etiam ij Corinthij, ad quos ipse scribebat, quorum maximam partem ex ethnicismo, teste in actis Luca, conuerterat, gnari erant ceremoniarum, quæ agebantur in templo Hierosolymitano: & tamen tanquam de rebus ipsis familiariter cognitis dicit, An nescitis, quòd ij qui in sacris operantur, ex sacrificio uiuunt: Dicendum igitur, ibi Apostolum de Corinthiæ ecclesie quotidianis ministris fuisse locutum. Sed illud utcumque sit, (nam hic

hic supersticiosior esse nolo) hoc certe diffiteri nemo poterit, aliud à uerbi munere fuisse illud ministerium, ad quod apostoli (quo ipsi liberius uacarent uerbo & orationi) septem probatæ fidei uiros delegerunt, qui præessent mensis, seruitioque uiduarum. Hos atque alios horum similes ministros possumus subsidia appellare, quoniam præsidibus Ecclesie subsidio ueniunt, & ubi opus est, subseruiunt: neque habent ministeria perpetua, ut illa quinque præfectorum genera, quos Paulus enumerat ad Ephesios, nepe apostolos, prophetas, euangelistas, pastores et doctores, qui sunt perpetua ac assidua successione ad consummationem usque seculorum in Ecclesia permansuri. Nam constituti sunt (ut inquit Paulus) ad instaurationem sanctorum, hoc est eorumque in terris paradise fabricæ incubent, donec illud omnia ambiens regnum (de quo libro quarto) consummatum fuerit. Hæc contra ministeria ad quoddam tempus conceduntur: ne hoc mirum cuiquam uideatur. Nam si alia conferendis arboribus, alia transferendis congruunt, quid mirum, si propagandæ Ecclesie illa sepius conueniant, quæ eius initio plus incommodi attulissent: & progressu temporis alia in eorum locum substituantur, quæ primo exortu maxime erant opportuna & necessaria? Potestas enim, quam spiritus Ecclesie dedit, licet tota usque ab initio ad finem eadem perseveret, alio tamen tempore alio modo is suum nomen afflat, diuidens peculiariter unicuique sicut uult. Vnde fieri potest, ut cui conceditur potestas frangendi panis, ei remittendi retinendique peccata facultas non permittatur, aut contra: & cui manuum imponendi facta est potestas, quæ impenditur indifferenter subditis, ei negetur præfecti ordinandi facultas, quæ etiam per manuum fit impositionem. Possent etiam ipsi qui minoris ordinis gradum habent, facultas concedi eundem ordinem cæteris conferendi. His aliisque modis potest ecclesiastica potestas, aliter quàm nunc fiat, in partes distribui. Cæterum non erit ecclesiastica potestas nuncupanda, quam non constiterit referre suos natales ad primitiua Ecclesie autoritatem, perque primos Ecclesie præfectos in successores esse propagatam. Nam etsi Deus sub ueteri religione, sua solius autoritate legislatorum, prophetas uarios, ipsum etiam præcursorum miserit: post nouæ tamen religionis impetratam à patre incomparabilem illam unionem (de qua libro quarto) eorum etiam autoritatem, quos præter communem ordinem delegit, tantisper uoluit irritam esse, donec esset per homines approbata. Ob hoc enim Paulum futurum suum præconem misit ad Ananiam: eundem & Barnabam electos à se ad gentium apostolatam, iussit ab Antiochena Ecclesia in hoc opus segregari: ut uidelicet autoritatis propagatio non minus esset quàm Ecclesie insertio, duplici sensus signo, uisus scilicet & auditus, hominibus manifestata. Voce enim & manu profitendi autoritatem tradit ecclesiasticæ propagationis præses, ut nimirum præfecti suos subditos, subditi uicissim præfectum cognoscetes, mutuaque hinc reuerentia cõglutinati, utriusque suis officij finibus, contenti, ea exerceant, quæ cuique pro conditionis gradu sunt commissæ, &

*Matth. 16.* & non alij aliorū munera occupent, uel impediant. Aduersus quam membrorum inter se colligationem Christus dicit, ne portas quidem inferorū unquam præualituras. ac si diceret, multi in hoc omnibus uiribus incumbent, ut ordines, qui sunt in Ecclesia, dissipent, eiusq̄ potestatem uellitent: nunquam tamen futurum est, ut hostili ui, aut arte, ecclesiastica dirumpatur connexio. ita ut licet omnes hominum societates sæpe suam priorem formam mutarint, mutaturq̄ sint, quemadmodum cum monarchia in aristocratia, aut contra, et harum utraq̄ in democratiam mutatur: Ecclesiæ tamen respublica eiusdem semper & ordinis, & formæ mansura est, quam scilicet accepit primum nata, etiam si interim hostis nunc hoc, nunc illud eius membrum misere perdat, quemadmodum uidemus in solida & bene confirmata republica, iam hoc iam illo ciue trucidato, eundem tamen persistere dirigendæ ciuitatis tenorem.

*Membrorum ecclesiasticorum triplex status. IIII.*



Voniam uero natura alios ad quietem, alios contra ad motum corporis fecit procliuios, fit ex eiusmodi ingenita propensione, ut hominum consortium illi magis fugiant, hi contra cupidius sequantur. Nam ut alius fuerit ad horū alterum procliuior, sic ad alterum uitæ genus propensior est, ut ratio dictat. Quod diuersum hominum studium facit, ut (nescio quo modo) latens quædam similtas sit inter ipsos: quia qui turbas sectantur, publica inter homines conuersatione, ceu luce quadam gaudere solent, nec ferunt segregatorum à turbis placidam uitam: hi è diuerso clandestino studio suo delectati, illorum assiduam sollicitudinem & curam contemnunt. Quos tamen cum religio nostra in unum conciliatos uellet, regulas quasdam proposuit, quarum dum alij alias sequuntur, fit ut quidam uitæ actiuæ, quidam speculatiuæ, alij uero ueluti ambidextri utriusque uitæ rationem, ceu destinatum scopum amplectantur. Horum differentiam Christus ostendit eo loco, ubi Martha cum satageret circa frequens ministerium, sororis sedentis interim secus pedes concionantis inertiam reprehendebat. Hic non solum Magdalenæ quietem Marthæ sollicitudini præfert, sed & differentiam, quid inter huius & illius occupationes interesset, significat, cum Mariam dicit optimam elegerisse partem. ac si dixisset, nasci quidem omnes ad consuetudinem uitæ actiuæ, nisi ipsi elegerimus animi quietum & placatum statum. Habent enim illa uerba significationem propriæ uoluntatis. Non enim uult Christus uitam hanc tranquillam, & ab omnibus curis remissam, seu (ut uocant) contemplatiuam inuitis obtrudi, sed & his Spiritus sancti stimulus expectandus est: non secus ac illi legitima expectanda uocatio, qui præfecturam ecclesiasticam est aggressurus, iuxta id quod sæpius dixit Christus, Neq̄ à me ipso ueni, sed ille me misit. Ita Paulus: Nemo sibi ipsi usurpat honorem, sed qui uocatur etiam à Deo, quemadmodum uocatus

*Ioan. 8.*  
*Heb. 5.*

uocatus fuit Aaron. Hic igitur uides quasi in theatro, ac uelut in comica (ut liceat de re magna tam dimissè loqui) repræsentatione, Mariam uitæ contemplatricis, Martham actiuæ, Christum uero personam gere præfecti ecclesiastici, qui ambidexter ipse utriusq̄ uitæ sectatorū actiones regere ac moderari debet. Quæ sit cuiq̄ horum ordinum conditio, luculenter exprimunt figuræ, quas ea de re tam nouum quam uetus instrumentum habet permultas. Deus olim ex uniuersis, quos omnibus seculis unice amauit, tres elegit, qui quasi principes his ordinibus præessent. Ita enim loquitur apud Ezechielem: Si præuaricante *Eze. 14.* populo, fuerint tres uiri in medio eius, Noe, Daniel, et Iob, populo licet percusso, ipsi tamen iustitia sua liberabunt animam suam. Præfectorum enim ordini præposuit Noe, magnū illum maximæ cladis diligentissimum commonitorē, et postea totius humani generis per multa tempora gubernatorē unicum: contemplantibus, Danielem in signum illum uirum desideriorū, interq̄ captiuitatis oppressiones rerū præclarissimum, quæ deinceps ad finem usq̄ mundi euenturæ essent, in signum contemplatorē: tumultuosæ autē uitæ præfecit Iob, aduersus omnes, quas *Iob. 1. et 2.* uel homines uel dæmones inferre poterāt, afflictiones, in medijs populis fluctibus insuperabilem antagonistam. Quomodo uero ad altius uitæ genus aspiranti progrediendū sit ex uno in alterū, docet ille locus *Gene. 29.* Genesios, qui narrat Iacob quidē arsisse pulchræ Rachelis cōplexus, non tamen nisi berlippientis Lyæ præuios amplexus uoto potitū, & sic tandem cum utrisq̄ magno cum gaudio & fructu uersatū. Hic locus docet, oportere prius hominē etiam inuitū aliquātis per exerceri in medijs uitæ actiuæ turbis, quàm accedere liceat ad id uitæ genus, quæ diuina propius considerat, & contempla: ad quam interim dum in his fluctibus iactatur, aspirare et niti debet, ut post multas luctas marcescat *Gene. 32.* tandē scemoris, hoc est carnalis cōcupiscentiæ neruus. Sed et Christus, cum tres sibi uoluit esse assiduos comites ex toto apostolorū coetu, triplicis huius uitæ exemplaria proposuit, ut Petrus præfectorū, Ioannes *Matth. 17.* contemplantiū, tumultuantū uero uitæ Iacobus esset imago & documentum. Porro quod post resurrectionē, soli Petrus & Ioannes ad monumentū cucurrerint, Iacobo percipiendæ ueritatis cupidiores, significat per hoc scriptura eos, qui uel primi uel secundi ordinis sunt, maiori *Ioan. 20.* cognoscendæ diuinæ ueritatis studio ardere, quàm qui tertij sunt ordinis. Quod uero tam accuratè idē Ioannes scribit, se cucurrisse uelocius, citiusq̄ uenisse ad monumentū, & cū se inclinasset, uidisse posita intus linteamina, nō tamē ingressum, nisi Petrus prior introiisset: significat ecclesiasticos præfectos uarijs inferiorū curis et sollicitudinibus distractos, ab ijs qui contemplatiuæ uitæ studiosi sunt, longe superari, quantum ad inuestigandā quidē attineat rerum sublimiū ueritatē. non tamē inferiorib. permitti, nisi post præfectos, cognoscendæ ueritatis penetralia ingredi: quippe quod per ipsos tanq̄ per capita Spiritus statuerit cū alia, tū cognos-

cognoscendæ ueritatis dona in cæteras Ecclesie partes deriuare. Necessarium enim est unumquodque membrum, sicuti in uiuentibus, ita et in Ecclesia, suæ motionis rationem obtinere, quæ congruat functioni, ad quam sit institutum. Hoc & Paulus indicat, cum Ecclesiam diuidit in caput, manus & pedes. Caput eam uim habet, ut sic se moueat & inflectat, quantum satis fuerit, ut toti corpori (quod suum officium est) prospiciat: manibus uerò maior motus agilitas est, quanta scilicet opus est ad palpandos tractandosque omnes corporis artus: contractior tamen quam pedum, quippe qui tantam expetunt motionis uehementiam & firmitudinem, quanta necessaria est, ut totam corporis molē quò opus est uehant, & sustentent. Itaque in pedibus plus laboris, in manu plus artis, in capitis uerò inflexu plus sollicitudinis consistit. Quare Paulus cum diuidit (ut dixi) Ecclesiam in caput, manus, & pedes: per caput, ipsos præfectos ecclesiasticos: per pedes, tumultuariæ uitæ studiosos: per manus, diuinis deditos imaginationibus intelligit. Nam ut capitis, ita præfectorum est, uniuerso corpori prouidere: tumultuariæ uerò uitæ sectatores debent pedum officio fungi, ut quod pedes corpori humano, hoc illi præstent Ecclesie, nempe ut aduersus uim secularium tempestatum superiores ordines fulciant: contemplatiue uero uitæ studiosi, debent ceu agili manu, singula ecclesiastici corporis membra sedulis cogitationibus ueluti palpare & cōrectare, ardentibusque uotis, quod cuique opus esse intellexerint, precari.

*Quod sit membrum Ecclesie perfectum, quod imperfectum.* V.

**N**unc quoniam de ecclesiastici corporis uarietate fusius disputatum est, res exigere uidetur, ut de imperfectis membris non nihil dicamus: qua de re ingens inter quosdam disceptatio est. Cum autem omne membrum necessarium sit aut perfectum, aut imperfectum, prius quod absolutum sit Ecclesie membrum consideremus: quod ubi nouerimus, facilius quid imperfectum sit, apparebit. Præter tria illa charismata, fidem, spem, et charitatem, quæ fuerunt omni tempore communia omnibus electis, tres aliæ sunt dotes, quas in absoluto perfectoque Ecclesie membro desideramus, nempe signaculum, facultatem, & unionem. De signaculo, in huius libri principio diximus, quomodo id in perpetuum testimonium & decorum imprimatur. Initiatis facultas hæc, est propensio quedam, quam in regeneratione ecclesiastica nanciscitur homo, ad agendum quippiam, quod cedat ad cœtus sui profectum, de cuius uarietate superius disseruimus. Unio est, ea nostri cum Christo conglutinatio, quæ nos reddit aptos & habiles ad participandum uim spiritus, quam Ecclesie dedit ipso die Pentecostes. His sex dotibus expletum membrum, perfectum est et absolutum: quarum cui uel una deest, id manuum est & imperfectum, de quo nunc agemus. In omnibus animantibus membri uigor consistit in participatione trium influxuum, quorum medici illum animale uo-

cant

cant, qui à cerebro: naturalem, qui ab hepate: uitalem, qui à corde manant, seu influunt. Dicitur autem ratio, cum deficiente minutatim influxu, ipsum membrum gradatim interire. fit tamen, ut non his omnibus simul priuetur, sed alium amittat, retineat alium. Hoc in his membris fieri uidemus, quæ amisso animali uigore adhuc nutriuntur, & quæ his utrisque priuata non putrescunt: quod hæc solius cordis, illa etiam hepatis, neutra uero cerebri uim participat. Hæc omnia licet reuera membra sint, integra tamen & perfecta non dicuntur, quoniam aliquo necessariorum influxuum spoliata sunt. Hoc ipsum Christus in membris ecclesiastici corporis euenire, docet in ea parabola, quæ est de semine iacto in quadruplicem terram: ubi præter eos qui cum audiunt, nihil tamen credunt, tres credentium constituuntur cateruæ. Nam quibus cecidit sermo Dei supra petram, hoc est qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, horum fides, quia non habet radices, statim exarescit. quibus uero in spinas cecidit, eorum quidem fides expullulat, sed à sollicitudinibus & uitæ uoluptatibus suffocatur, nec refert fructum. quorum autem semen in terram cecidit bonam, horum fides fructum expectatum reddit, per patientiam. Primi enim, solum cum gaudio suscipiunt sermonem, & credunt: alij præter fidem etiam spem quandam ostendunt, quæ fidei præbet alimoniam: tertij uero etiam charitatem nanciscuntur, cuius perseverentia fructum maturat. Hi tres, licet simul membra sint ecclesie, non tamen æque sunt perfecta, quanquam quodammodo uiua, quia ecclesiastico stipiti infixi per fidem, quæ uitam confert, & quam simul omnes habent, etsi non æqua portione. Quantum enim fidei quodque membrum habet, tantum eius uitæ continet, quam diximus ceu in corde consistere: usque adeo, ut ille cui saltem ea fidei portio est, qua credimus corpus ecclesiasticum in religionis unione peculiariter gubernari à diuino spiritu, uiuum ecclesie membrum sit. quæ ultima fidei scintilla cui fuerit extincta, licet habeat peculiare ecclesie dotes quantumuis excellentes, membrum tamen uiuum non est, sed planè mortuum, quippe cui omnis reparandæ uitæ spes sublata est. Hanc fidem habet catechumenus: nam professus sanctam ecclesiam catholicam, fatetur corpus Christianæ ecclesie hac unione præditum. quæ tamen fides neque hunc, neque ueteres, qui ecclesiam sic olim dotandam præuiderant (quod quidam forsitan putant) ecclesie membra facit: sed subsequens baptismus, quippe qui solus ecclesiasticæ unionis signaculum (quod inter ecclesiasticas dotes quarto loco numerauimus) imprimat. Quo si quis se ablutum credat (fieri enim potest ut quis tinctus non sit, se tamen tinctum credat) susceptæ in ea fide insertionis professio illum ecclesie facit semimembrum, quippe qui excepto signaculo iam cæteras ueri ecclesiastici membri dotes sit consecutus: non secus ac patres illum, quem contra contemptum religionis terminus necessitatis ab unda excludit, scripserunt inuisibiliter baptizari. ita tamen, ut si ueritas quandoque pateat, sit

Math. 13.

Luc. 8.

August. 3.

de ciuit.

Ambro. de

obi. Va-

lent.

c. apostoli-

ca. de puf.

non bapt.

L sit



Philipp. 1. sit sacramento aquæ tingendus, ut addatur signaculum. sicut & Paulus testatur, eos etiam qui simulata professione Christum annunciant, facultatem nancisci iuuandæ & promouendæ ecclesiæ, quam inter ecclesiæ dotes quintam posuimus. Nonnulli, inquit, per inuidiam, alij ex contentione Christum annunciant non pure, alij rursus ex charitate: attamen quouis modo, siue per occasionem, siue per ueritatem, Christus tamen annunciat. Hi similes sunt ramis planè aridis & mortuis, inhærentibus tamen adhuc trunco. Paris conditionis sunt, qui baptismum susceperunt simulatè: imò traditum est, etiam signaculum his indi. Quatenus enim nō aduersantur nobis, eatenus sanè pro nobis sunt, iuxta uerbum Christi. Hic iam locus postulare uidetur, ut discutiamus, num membra fiant ecclesiæ, quorum nomine alius fidem in baptismo suscipiendo profitetur. Certe cum non solum uetus religio, sub qua erat circuncisio infantum, sed & patrum nostrorum ritus, & æquitatis ratio, atq; adeò ipsa diuina misericordia, quæ neminem non uult seruatam, infantum baptismū prædicet: cumq; eundem ipsa re diuus Paulus approbet (legitur enim integras familias ob solius patrisfamilias fidem abluisse) nemo sanè mentis infantibus baptisma subtraheret. Par ratione neq; morionibus adultis. Eadem ratione inseruntur ecclesiæ & illi, qui cum adhuc essent catechumeni, in amentiam aut mortis periculum incidere. nam & in eis par est, æque ac in infantibus, morionibusq; ualere alienam fidei professionem. In omnibus enim imprimis baptismus signaculum, in quibus obicem non reperit contrariæ uoluntatis. Sic enim à maioribus proditum est. ideoq; & dormientē suscipere signaculum (si prius illud sibi certò propositū fuerit, ut tingeretur) haud grauatim fatetur. Hinc liquidò constat, omne Ecclesiæ siue membrum, siue semimembrū, humanis sensibus conspicuum esse. manifesta enim professione, siue ea propria, siue aliena sit, ecclesiæ quis inseritur: à qua nequè excidi potest, nisi simili ratione, hoc est manifesta defectione. hæc enim sola unionem illam tollit, quam Christus precatus est suis à cœna, quæ præcipua ecclesiæ dos est, quam quisquis habet, ecclesiæ membrum est, aut perfectum, aut imperfectum.

*Quis uere dicatur eiectus ex Ecclesia. VI.*



Etq; tamen ea tantū desertio, quæ planè uera est, & uoluntaria, sed & ea quæ per simulatā pertinaciā facta fuerit, ab ecclesia membrū uere auellit: quemadmodū & simulatā professionē diximus uerè inserere. sic et is qui per sententiā que trāsierit in rē, ut aiūt, iudicatā, declaratus fuerit inobediēs ecclesiæ, tamen si fortè ecclesiā animo nō deserat, quia tamē per iudicē declarat deseruisse, ab ecclesia uere exterminat. Hoc enim exigit ratio ecclesiasticæ con- sociationis, ut quem iudex expulerit atq; eiecerit, spiritus etiam eum priuet ecclesiastica connexionē: Deo, iuxta Christi promissionē, quod in terris homo ligauerit, in cœlo confirmate. Sed tamē interdū cōtingit, ut

c. maiores.  
S. propter  
quod. de  
bapt. et eius  
effec.  
Luc. 9.

Matth. 16.  
18.  
c. maiores.  
in fin. de  
bapt. et eius  
eff.

Matth. 16.

ut ab ecclesiastica cōiunctione auulsos spiritus diuinus non relinquat. talis est is, quem iudex & citra culpam, & contra formam iuris condemnat. Etiam ille, quem iusta quidē de causa, sed contumaciæ condemnauit, cum tamen re uera contumax non sit: ut si quis iubeatur, relicta ea uxore, quam uere, sed clam duxit, illi adhærere, cui postea præsentibus testibus fidem addixit. in hoc quidē culpa est, eo quòd cōtraxerit clandestinè, sed est sine contumaciā. Sed euenit, aliquem sine culpa, & sine contumaciā, iuste tamen condemnari. ut si cui iussum fuerit: eam uxore relinquere, quam iure duxit, hoc est testibus legitimo ritu præsentibus, eo quòd hæc nuptias cum alio marito se doceat contraxisse: contra uero ipse, qui est uerus & prior maritus, propter testium suorum mortem ius suum probare non possit. Similes formæ plures sunt, quas obseruare necesse est, ne inter se homines sine ordine tumultuentur, sed potius uita Christianorum tranquilla atque quieta sit. Vnde fit, ut seruos ecclesia habeat, eosq; duplicis generis, nempe fugitiuos, & repullos. Si enim is qui eijcitur ab ecclesia, obtinuerat per uim sacræ, sed nunquā reiterandæ actionis facultatem publicæ functionis (ordines uocamus) retinet eam facultatem licet excisus, nimirum inextinguibilē. Quamuis igitur amplius non sit uerum ecclesiæ membrum, non tamen ita extra communionem eiectus est, ut non maneat aliquo modo ecclesiasticæ ciuitatis consors, nempe, non ut ciuis, sed ut inquilinus. Nam si contra prohibitionem uelit, suam semper functionem administrat: & si sacerdos sit, sacram synaxim consecrat Christiano sodalitiō, cuius tamen membrum non est. quare comparatur seruo, qui in alienam omnia utilitatem facit, nihil particeps, quam sua opera auget, hæreditatis. Sed hic repulsi serui meretur nomē, si eiectus fuerit citra contumaciā. Nam qui propter contumaciā fuerint ab Ecclesia eiecti, ij fugitiuis seruis similes sunt. Verum ne huiusmodi fugitiui assumpta herili persona, ecclesiæ nomenclaturam (quod pro more habent) usurpantes, ecclesiasticum nomen obscurarent, uidetur Deus iam inde ab initio huiusmodi conatibus miro modo occurrisse. Tradit enim nobis in ipso exortu non obscura testimonia, quæ omni tempore ad ueræ ecclesiæ cognitionem homines perducerent. Non enim, ut olim synagogam à Mose, qui solus conscenso monte spiritum cæteris impartendum accepit, ita ecclesiam ab uno aliquo inchoauit: nec in remotioribus secessibus, admonitionibus uel clancularijs cubicularios auditores in ipso ecclesiæ exortu sibi conciliauit: sed in signi loco & die, præsentē magna spectatorum caterua, factis in cœlo terraq; coram omnibus nationibus, quæ sub cœlo sunt, stupendis prodigijs, ecclesiam suam satis amplo numero instituit. quam etiam mox ita uoluit crescere, ut primo die tria, mox quinque hominum milia Christianorum numerus fuerit: & non parua etiam sacerdotum turba accesserit, priusquam adderetur Simon ille Samaritanus, qui deficientium ab ecclesia postea factus est princeps: ne uacil-

lantibus difficile esset cognitu, ab utra parte ecclesia consisteret. Ad cuius normam, qui suam doctrinam non formauerit, is iam ab ecclesia defecit: sed non poterit ipse unus splendorem offuscare ecclesiastici coetus. At forsitan pedetentim iam hos, iam illos sui captat studiosos. Certe cum is, cui nomen dant, cognoscitur esse defertor: et ipsi illico, cum ei adhæserint, cognoscuntur defertores: qui etsi numero uincant, paucorum tamen uere Christianorum splendorem nunquam denigrarint. Facillime igitur quis (modo Christianæ societatis non fuerit prius ignarus) considerarit, quæ inter uarias quotidie exorientes sectas, uera sit, cœlesti uarietate decorata, Christi sponsa. Quæ qua authoritate à rebellibus segreget obedientes, liber proximus indicabit.

## DE INSTAURANDA RELIGIONE LIBER SEPTIMVS, QUI EST

*De Ecclesiastica iuris administratione.*

*Iuris administrandi quot sint partes. I.*



Apienter dixit sapiens ille Aristoteles, optimates, si inter se sint concordēs, facile rem publicam temperaturos: contra discordibus, plebem ipsam dominari. Hoc præterquam quod sit ex uario reipublice Romanæ statu (ut apud historiographos legere est) notissimum, tamen hodie & multa alia sunt, quæ nos huius periculi non futuri, sed iam, proh dolor, præsentis plus satis cōmonefaciunt: periculi in quâ tanto grauioris, quâto res super quibus discordant, maioris sunt momenti. qualis est ipsa publica authoritas, quæ optimo iure inter summa humanarum rerum bona numerat. Donec enim super ea hinc præfecti ciuiles, hinc ecclesiastici coetus præsidēs (ut multis iam annis factum est) digladiabunt, non poterit non summa esse plebeiorum aduersus utrosque rebellio, & contemptus. quæ cōtrouersia si aliquando feliciter componat, mox omnis plebeiorum in hos tumultuatio minimo negotio sopiet. Est autem ea cōtrouersia potissimum circa iuris administrandi potestatem. Hanc prius quam conor attingere, proponam breuiter quibus ex fontibus iuris hæc administratio deriuat. Istud itaque in primis tenendum, bonum id dici, quod foelicitatem promouet, aut cōseruat. Id uero, quod non priuati hominis, sed humanæ societatis foelicitatem promouet aut cōseruat, bonum et æquum uocari. Horum autem nepe boni et æqui artē, iure cōsulti ius uocant. iustum uero, quod iure fit. authoritatem autem, quæ iusta sunt ordinandi, alij iurisdictionem, alij imperium appellant: ego malui iuris administrationem appellare.

ff. de iust. et in. l. 1.

appellare. Quod imperium et iurisdictionem (si quidem ueteres sequamur) magis partes huius sunt, imò uerius partium particulæ. Nam iuris administrandi partes principales sunt, iuris constitutio, iuris disceptatio, & iuris executio. quarum prima quidem generaliter casus respicit futuros: altera alicuius rei statum præsentem: tertia status huiusmodi, si iniustus sit, restitutionem in integrum. Aliæ si quæ sunt partes, eæ his tribus subseruiunt: ut sunt imperium, iurisdictionem, iuris cognitio, iudicium, coercitio, & alia huiusmodi. Est autem imperium ea iuris pars, quæ animaduertit in facinorosos. iurisdictionem, quæ quid de singulis pronounciandum sit decernit. cognitio, quæ explorat num sic, an secus seres habeat. iudicium, re diligentius inquisita, reum aut condēnat, aut absoluit. coercitio, de contumacia damnatis, et legi repugnantibus poenas sumit. quæ omnes iuris partes licet multæ sint & uariæ, pertinent tamen simul ad humanæ societatis foelicitatem cōseruandam, & promouendam. pro cuius societatis uarietate, ut uaria sint iuris administrandi genera, partes, & officia necesse est.

*Iuris administrandi necessitas. II.*

**D**E quibus priusquam dicam, non abs re fuerit primum uidere, quàm sint humano generi singulæ iuris administrandi partes necessariae. Indidit quidem Deus humanæ menti facultatem, non solum quid bonum sit & æquum, quid iustum & iniustum agnoscendi: uerum etiam ut id, quod bonum & iustum est, prosequatur. ita ut sine alterius rei adminiculo adhærere posse æquo & bono homo forsitan uideretur, præsertim si nihil aliud ageret, quàm id quod inditæ facultatis naturalis instinctus suaderet. quia tamen propter ætatis, ingenij & occupationum diuersitatem, nec æquitate, nec æque facile omnes singulis in rebus quid iustum, quid iniustum discernimus: imò & propter ingeniorum imbecillitatem obtusiores quidam id subinde iudicant iustum, quod re uera iniustum est, & contra: quis non uidet, etiam boni & æqui studiosissimis opus esse prioribus iuris administrandi partibus: iuris scilicet constitutione, iuris disceptatione, quæ laboranti naturæ subueniant, & sicubi labetur sustentent: nequaquam uero iuris coercitione, quod non ultro, & ex instinctu naturæ bonum et æquum amplectuntur. At proh dolor, ut nunc se res habent, hoc est hominibus passim contra omne bonum ad iniustitiam propensis, esset profectò res admodum imbecillis, iuris tum constitutio, tum disceptatio: nisi simul adesset non quælibet executio, sed ipsa coercitio, qua imperata facere cogantur metu poenarum, qui nihil flectuntur amore iusti & æqui. Hoc Paulus significat, cum scribit iusto non esse legem positam, sed iniustis & inobsequentibus, impijs & irreuerentibus. Hoc & ille intellexit, qui scripsit, Quis legem dat amantibus: maior lex amor est sibi. uterque de ea legis parte loquens, quam uocant coercitionem.

1. Tim. 1.

Seneca.

*Iuris administrandi uarij scopus. III.*

Cap. 5.



Vncrem propius aggrediamur. Humanam foelicitatē ostendimus libro primo, non posse sine recta religione consistere. Cum ergo religionū alia inuēta sit, alia inspirata, et foelicitatū quædā naturalis, quædā naturā excedēs: cōsequens est, ut & iuris administratio duplex sit, naturalis scilicet, & ea quæ naturam superet, eo quod alia foelicitas alias habeat regulas, quas illi sequantur, qui ad harū alterā aspirent. Nam omnes societates quæ sunt, etsi eas homines diuersas ob causas contrahūt, ob aliquā tamē partē alterutrius foelicitatis, eos in has coire, certò certius est. qui diuersus scopus, ut diuersas cōstituit *noivovias*: ita uariam, & cuiq; societati suā iuris administrandi rationē esse, necesse est. Nam cum scientiā habet scopum societas literatorū, auari densam nummorum congeriem, (quæ partes sunt foelicitatū:) quis negabit cuiq; societati suā esse debere iuris formā, qua ad suam conseruationē utatur: ut hinc necessariò sit concedēdum, tā uariū esse iuris administrandi scopū, q̄ societātū genera fuerint uaria.

*Magistratum uariae formæ. IIII.*

Ed & pro uaria humanarum tum societatum, tum foelicitatum ratione, uarij sunt, & alio alioq; modo constituti magistratus, qui ius inter socios administrant. Tametsi enim in ijs societatibus, in quas homines coegit necessitas propagandi, uidemus patremfamilias natura constitutū omnium magistrū: non est tamē hoc omnibus societatib. generale. Plerasq; enim homines sua uolūtate magis, quā necessitate instituūt, ut cum sibi populus aut ciuitatē, aut regnū erigit. et in ijs ferè nō tam natura, quā suo arbitrio homines quē uelint sui cœtus magistratū, eligunt: ita ut à multitudinis nutu et arbitrio pēdeat, quomodo, et per quē, et à quot uelit gubernari. puta an ab uno, an à paucis, an magis à tota collecta multitudine. Itē an ille unus, aut pauci, omnē sint habituri decernendi potestātē, an quarundam duntaxat rerum, & limitatam: perpetuò, an ad certum tempus: per electionem & libera populi suffragia, an per continuam hæredum successionē. & sic de alijs regendi humanos cœtus differentijs.

*Quæ sit iuris administratio secularis. V.*

Am primum de ea iuris ordinandi ratione agamus, quæ arbitrio hominum est instituta. hæc admodum est uetusta. Cum enim sit homo animal ualde sociale, & natura eum ad communionem, cœtusq; celebrandos instiget, præcipue ob mutuam illam indigentia, quam inter homines Deus disposuit, ut alter alterius indigeret auxilio: factū hinc est, ut diuersæ familiæ uitam illam inhumanā exosæ sociarentur, & primū ad domicilia & pagos, postea ad maiora concilia, cœtusq; illos confluerent, quæ ciuitates appellantur. Hoc testari uidetur scriptura, ubi narrat ab Adam primogenito conditam ciuitatē, quam Enos à nomine filij sui uocauit. neq; dubiū est,

est, quin & alij filij alias ciuitates instituerint, unde rursus plures ciuibus longo tempore multiplicatis coloniæ sunt deductæ: atq; ita pedentim homines aucti maximos illos cœtus tandē constituerūt, quos nationes & regna uocamus. Cæterum ne essent, qui has coniunctiones aliquando perturbarent, aut penitus dissoluerent: prudentioribus populus ipse moderandi & regendi sui habenas tradidit. quibus & permisit, inter iustum & iniustum decernendi potestatem. à qua uetustatis commendatione hæc magistratus autoritas illud (ni fallor) agnominis sortita est, ut uulgò secularis iurisdictio nominetur: quod scilicet iam inde ab initio seculorum, prudentes homines hac auctoritate studuerint, humanarum societatum connexionem conseruare & stabilire. Verum cum hæc tantum ad perituræ foelicitatis scopum contendit, ea scilicet uia, quam naturalis duntaxat ratio præscripsit, propterea & temporalis iurisdictio passim uocatur.

*Quomodo potestas gladij accesserit. VI.*

Voniam uero ijsdem cœtibus confirmandis, ac stabilien-  
dis, utile erat, si præter regulas iusti atque iniusti doctrices, etiam præmia constituerentur ijs, qui plus cæteris iustitiæ operam nauassent: omnino etiam ad iustam societatis conseruationem necesse fuit, ut pœna certa præscriberetur, qua à commit-  
tendis flagitijs detererentur ijs, qui alioqui liberius ea designarent. Et quod ad multas attinet pecuniarias, erat planè in arbitrio hominum, quas pœnas quibus facinorib. præscriberēt. Nam si potest quis res suas ad euentū fortunæ obligare, nempe quod hanc, aut illā suā rem sempronio tradet, si hic aut ille fortuitus casus euenerit: quid ni idē faciat uniuersus populus in casu facinoris? Contrā tamē uidetur in pœnis corporalibus. Cum enim homo (quod uulgò dici solet) non est dominus membrorū suorum: certe nec poterit in corporis detrimentū, aut membri alicuius læsionē se alteri obligare. Quod enim suum non est, id in obligationē dare quis nequit. Et ut potuerint, non uidentur primi cœtus illico se mortis supplicio uoluisse subijcere. Quare nec uniuersus subsequens populus (quod natura negatum est singulis: aut certe dum coirent, non planè consenserunt) hoc unquam sibi potuit arripere. sed sicut mihi uidetur, grauissimæ olim erant pœnæ, perpetuum exilium, (quæ est quasi ex finibus humanæ naturæ exterminatio) & ad perpetuas operas condemnatio. & quoad minor pœna audaciam populi satis comprimebat, quid opus fuit grauiore? Potuisse autē his pœnis homines olim satis coërceri, locuples testis est Diodotus apud Thucydidē. Testatur idem Draco, præclarus ille Atheniensis legistator: cuius leges ob atrocitatem suppliciorum, uel quod sanguine olim scriptæ ferebantur, dictæ sunt cruentæ. Hic, ut scribit Demosthenes, cum nihil terribilius, atque atrocius haberet, quā si homo hominem interimeret, & uellet pœnam culpa dignā constituere: non tamē

Thucy. lib.

Demosth.  
ὅτι τὸ πρῶτον  
ἀσπίτιον.

grauiore[m] statuit in homicidam, quàm ut sacris & foro arceret. Quin etiam Cicero scribit, priscos Romanos, quos rerum capitalium damnabant, tecti tantummodo & aquæ & ignis interdictione damnare solitos fuisse. Nam interdicto usu earum rerum, quibus uita constat hominum, perinde habebatur, ut ait Lactantius, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte multatus. & subiungit: Adhuc enim uidebatur nephas, quamuis malos homines supplicio capitis afficere. Sed ut ut est, uidere mihi uideor mortales usq[ue] eò, quoad diluuium fuit, pœnis mitioribus omnino fuisse contentos. quanquam enim iam tum ciuitates, & regna (ut dixi) fuerant constituta, & idcirco imperia & coercitio-  
 nes: non tamen nec solitum, nec licitum fuisse supplicio capitis afficere homicidam, uel hoc satis probat, quod Cain fratris sui Abelis interfic-  
 ctorem, et Lamech non uno homicidio pollutum, uetuerit Deus inter-  
 fici. Terra uero post diluuium in pristinũ statum restituta, cum Deus omne quod uiuit & mouetur, hominibus concederet in escam: in hor-  
 rorem tamen homicidij cavit, ne carnibus cum sanguine uelcerentur. Sanguinem enim, inquit, animarum uestrarũ requiram de manu cun-  
 ctarum bestiarum, & de manu hominis. Hinc nouum ac generale edi-  
 ctum perpetuis seculis duraturũ cum pœna proponens: Quicumq[ue], in-  
 quit, effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. quæ pri-  
 ma fuit necis in homicidas constitutio. Est itaq[ue] capitis supplicium non  
 humana, sed diuina autoritate constitutum. quo cum secularis iuris  
 administratio uti coepit, diuinum arripuit decretum, quod humanis le-  
 gibus nusquam adhuc sancitum erat. Quare secularis iudex cum leuius  
 sine membrorum mutilatione supplicium adhibet fontibus, minister  
 est eius communitatis, à qua potestatem accepit: quippe primæua usus  
 autoritate humanæ societatis, cui præest. Quoties uero ultimum sup-  
 plicium infert, Dei minister est. tum enim diuinitus sibi datam post  
 diluuiũ potestatem exercet. Quod minister Dei sit, docet Paulus, ubi  
 dicit: Non frustra gladium portat, nam Dei minister est, & uindex. La-  
 tissimè autem per hoc edictum se extendit iuris administratio secularis.  
 Nam cum magistratus, quibus ira coniuncti & consociati omnem po-  
 testatem suam tradiderãt, non nisi in subditos ius dicerent, aut in alium,  
 qui ciuem huius communitatis læsisset: nunc postquam gladij accessit  
 usus, potest in homicidam, & quemcunq[ue] alium facinorosum, suũ ex-  
 exercere officium, etiam si alibi scelus fuerit commissum, modo inter suæ  
 ditionis limites reum comprehendat. ea enim iam fungitur potestate,  
 quæ Dei est, qui totius orbis est dominus. Sic dixit rex Iosaphat Iudæo-  
 rum iudicibus: Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudi-  
 cium, sed Dei. Sic Pilatum de uitæ, necisq[ue] potestate gloriantem Chri-  
 stus monuit, ut agnosceret eam sibi datam è superis. ideoq[ue] post diluuiũ  
 priusquã adhuc ciuitates erant restitute, licuit singulis familijs, ut ulti-  
 mum suppliciũ sumerent de alterius familiæ homine, qui liberos suos,  
 alium

Cice. pro  
Ro. su. ad  
Pont.Lactan. li.  
2. diu. in-  
sti.Gene. 5.  
Gene. 9.

Rom. 13.

1. Pet. 19.

Iosue 9.

alium uel quempiam interemisset. nam propterea hoc decretum fece-  
 rat Deus. Cur ergo multis familijs iam coactis, & ciuitatibus consti-  
 tutis, idem non possit ciuilis societas, si reperiat inter suos exterũ, huius  
 modi facinori obnoxium?

*Iuris administratio secularis, Mosaicæ religionis aduentu  
 sublata, euangelio uero confirmata est. VII.*

**I**Repto autem populo Iudaico è manibus Pharaonis, fuit si-  
 mul eidem populo prisca illa iuris administrandi ratio pe-  
 nitus abrogata. In cuius tamen locum Deus per Mosén ta-  
 les constituit leges, talesq[ue], etsi nouos, creauit magistratus,  
 ut horum duorum dignitate Iudæi facile cæteris hominibus antecelle-  
 rent. De magistratu loquitur Deus ipse: Eritis mihi in regnum sacerdo-  
 tale, & gens sancta. De legibus: Hæc est uestra sapientia & intellectus  
 coram populis, ut audientes uniuersi præcepta hæc, dicant, En popu-  
 lus sapiens & intelligens, gens magna. Quæ alia gens sic inclyta, ut ha-  
 beat ceremonias, iustaq[ue] iudicia, & uniuersam legem, quam ego pro-  
 pono hodie ante oculos uestros? Quoniam uero hoc populo quan-  
 tumuis licet charo, erat Deus longè sibi chariorem populum aliquan-  
 do delecturus (intellige Christianum) quem maioribus, & longe am-  
 plioribus muneribus afficeret, quàm unquam Iudæis tribuisset: erant  
 fortasse, qui sibi nec omnino temere persuaserant, etiam Christianos  
 ab omni illa prisca iuris administrandi ratione liberos fore. At secus fa-  
 ctum esse, scriptura multis in locis diligentissime inculcat, aperteq[ue] do-  
 cet ueterem iuris administrationem (quam secularem sæpius nomina-  
 uimus) quasi postliminio cum noua religione rediisse. Lex Mosaica  
 alienigenas uxores olim repellebat, quas nunc contra Paulus retineri  
 uult. Si quis, inquit, frater uxorem habet infidelem (quæ quoniam à fi-  
 de aliena est, alienigena est Christianis) & hæc assentitur, ut habitet  
 cum illo, ne dimittat eam. Vetus item religio populum liberarat ab om-  
 ni genere humanæ seruitutis: contra noua religio: Seruus, inquit Pau-  
 lus, uocatus es, ne sit tibi curæ. unusquisq[ue] in ea uocatione, in qua uo-  
 catus fuit, permaneat. Idem statuit fieri debere, si domini alienam se-  
 ctentur religionem. Quicumq[ue], inquit, sub iugo sunt serui, suos domi-  
 nos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrina male au-  
 diat: intelligens certe dominos incredulos. addit enim: Qui uero fide-  
 les habent dominos, ne contempnant, quod fratres sint, sed magis inser-  
 uiant, quòd beneficentiæ participes sint. Sic & Petrus: Serui, inquit, sub-  
 diti sint cum timore dominis, nõ solũ bonis ac humanis, uerum etiam  
 prauis. Vetus præterea lex adeò ab omni regũ imperio populũ suũ exe-  
 merat, ut reges ipsos nõ solũ regnis suis spoliari atq[ue] eijci, sed etiã interfici  
 iusserit. & cõtrã, Christiana omnẽ animã secularib. potestatib. subijcit.  
 Subditi, inquit Petrus, estote cuiuis humanę creaturę ppter Dominũ.  
 quod Paulus dixerat, nõ solũ propter iram (metũ gladij, quem gestat,  
 intelligens)

Exo. 19.

Deut. 4.

1. Esd. 10.

1. Cor. 7.

Exod. 6. et

13.

1. Cor. 7.

1. Tim. 6.

1. Pet. 2.

Iosue ult.

1. Pet. 2.

Rom. 13.

**1. Petri. 2.** intelligens) uerum etiam propter conscientiam. Rursum Petrus: Siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, qui per eum mittantur. ubi nobis præscribitur, ut etiam obtemperemus, obediamusq; ijs magistratibus, qui regis aut principis alicuius nomine prouincijs, ciuitatibus, **ad Tit. 1.** pagis, & alijs locis præfunt. Sic Paulus: Admoneto illos, ut principatibus ac potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant. ubi etiã tres præfectorum ordines, superiorum, mediocrium, ac inferiorum intelligit. imò uerò omnem huius uitæ tranquillitatem ex hac una re prorsus dependere ostendit ad Timotheum: Adhortor, inquit, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus: uniuersam humane reipublicæ communitatem signans. & pro regibus: numero multitudinis, ne solū de tuo, sed de omnibus tam Christianis, quàm ethnicis intelligas. & pro omnibus in eminētia constitutis: ut, inquit, placidam ac tranquillam uitam degamus: & quia sic uelit Deus fieri, ut scripsit Petrus. His alijsq; id genus testimonijs, uides nouæ religionis aduentu secularis iuris administrationi nihil esse derogatum, imò etiam multum honoris accessisse. **1. Petri. 2.** quemadmodum nec religionem naturalem (ut libro primo ostendimus) noua religio deleuit. **Cap. 6.**

*Noua religio secularis administrationis censor. VIII.*



**A**Ec si quis diligentius perpēdat, quomodo noua religio secularis iuris administrationi sese in omnibus accommodat, ita uidelicet eam diuinitus sæpius prædicans confirmatam, ac si ipsa religio huius nutu esset dijudicanda: is forsan non ita temere sibi persuaserit, nullam aliam præter hanc iuris administrationem à noua religione, utpote cui seruandę prisca illa sufficeret, fuisse aduectam. Cæterum si hic ea in memoriam reuocat, quæ de noua religione libro primo dicta sunt, luce clarius uidebit, quomodo nostra religio ipsius iuris secularis regula sit ac Lydius lapis, cuius attactu illa iuris administrationi cuiusmodi sit, debeat probari. Si enim ad naturalem religionem (ut certe in omni iure ordinādo primas partes ea habere debent, quæ spectant ad religionem) secularis iuris administratio tanquam ad primarium scopum olim sit constituta, atque ex hac omnes eius partes pendeant ceu ex fundamento: quid est causæ, quamobrem iuris administratio secularis, qua hodie utimur, à noua religione non sit æstimanda, cum tam Mosaica quàm naturalis religio (quæ secularem iuris administrationem peperit) huius censuræ subijciantur. Vnde facile cogaris concedere, etiam si noua religio nullam adduxisset (quod tamen fecit) nouam iuris administrationem, esset tamen illius officij, ut per omnes secularis iuris administrandi partes discurreret: & si quid fortè repererit nouæ religioni non conueniens, id huius sectatorem populum admoneret abrogandum.

*Christus*

*Christus secularem iuris administrationem sæpius oblatam respuit IX.*



**Q**Væ autem sit iuris illa administratio, quam noua religio attulit, uideo quosdam dubitare, præcipue cum Christus iuris administrationem sæpius oblatam prorsus à se reiecit, ut multis in locis testat scriptura. Cum, inquit Lucas, **Luc. 12.** quidam è turba ei ueluti ciuilibus potestatis habenas tenenti diceret, Magister dic fratri meo, ut diuidat mecum hæreditatē: ille durius respondens, Homo, ait, quis me constituit iudicē, aut diuisorē super uos? Scribæ & Pharisei cum producta corā eo muliere in adulterio deprehēsa, **Ioan. 8.** etiam atq; etiam urgerent his uerbis, Magister hæc mulier deprehensa est in ipso adulterio, in lege autē Moses præcepit nobis, ut huiusmodi lapidarentur, tu ergo quid dicis? En cum Iudæi post responsum, quale non expectarant, singulatim se subduxissent, mulierem peccatricē non condēnauit. Rursum cū cognouisset, quòd illi quos quinq; panib. & **Ioan. 6.** duobus piscibus saturauerat, rapturi ipsum essent ut facerēt regem, secessit iterum in montē ipse solus. Sic Pilato interrogante num ipse esset **Ioan. 19.** rex Iudæorū, iterum atq; iterum asseuerat, non esse suum regnū ex hoc mundo. Ex his & similibus manifestū est, quomodo omnium causarum cognitionem, forensēq; exercitationem semper repudiarit Christus. Nam quòd uendentes & ementes è templo aliquoties eiecerit, magis **Ioan. 2. & Matth. 21.** agnoscimus priuati hominis zelum, quàm publicam autoritatē, cum ad unumquemlibet priuatorū pertineat, publicorū locorum, et præsertim sacrosanctarum rerum uiolatores, quos in ipso delicto deprehendat, à republica arcere, ac communē omnibus iniuriam propulsare. Quare ex hoc facto colligendum non erit nouæ religionis institutorem officium secularis administrationis unquam assumpsisse, aut exercuisse.

*Rectoribus ecclesiarum etiam species dominationis uitanda. X.*



**Q**Væ omnia nihil adhuc probant, imò potius repudiāt omnem ecclesiasticam iuris administrationem, quam hic uestigamus. Sed cur mirabimur, si ecclesiæ gubernacula antè ipsam ecclesiā non extiterint, quæ post hæc omnia, nempe ipso die Pentecostes primū cœpit, ut libro quarto fusiùs docuimus. Quare ut propius ad rē accedamus, ea magis pōderemus oportebit, quæ Christus agens inter mortales prædixit de futuræ suæ ecclesię statu. quem licet pluribus locis ad uiuū depingat, nullo tamē loco hoc apertius ab eo atq; frequētius factitatū uidemus, quàm ubi ecclesiā gregi cōparat, cuius præfectos (ecclesiasticos intellige præsides) nō alio nomine per uniuersam appellat scripturā, quàm pastorū: quippe nō proprias, sed cōmissas à Domino oues pascentiū. Hos Christus ad eò uoluit ab omni fastu (qui potestatē ferè cōsueuit comitari) alienos esse, ut ne magistri quidē nomenclaturā ipsis permiserit: non solum illis ne se ferant uocari Rabbi, sed subditis etiam prohibens, ne eos uocent magistros, **Matth. 23.** uolens

uolens uidelicet solus agnosci unus omnium magister. At multo magis, ne dominationem sibi quærerent, uetuit. Qui uidentur, inquit, impera-  
 regentibus, dominium exercent aduersus illas: uerum non sic erit inter uos, sed quicumque ex uobis fieri uoluerit magnus inter uos, erit mini-  
 ster uester, &c. ad quem modum & Petrus praefectis (quos ille presby-  
 teros uocat) iubet, ut pascant gregem, non ut dominium exercerent, sed sic, ut sint exemplaria gregis. Ideoque officium praefectorum ecclesialti-  
 corum scriptura non superbis illis uerbis designat βασιλεύς, τυραννίδει, κυριδύει, hoc est regem, tyrannum, aut dominum agere: sed duobus potissimum, multum quidem sollicitudinis, authoritatis autem uel nihil, uel quam minimum praeseferentibus uocabulis, nempe βόσκει, quod est pascere: & ποιμαίνει, quod est agere ac ducere. à qua uoce etiam ethnici consueuerunt eos reges appellare ποιμένας, qui nihil penè regium, sed paternam duntaxat sollicitudinem in subditos exercerent.

*Praefecti ecclesiarum praeter sollicitudinem, habent etiam iuris administrationem. XI.*



Quod si ecclesialticorum praefectorum officium scriptura altero tantum, nempe pascendi uerbo designasset, esset uementior causa dubitandi, an ullam haberent iuris administrationem. Verum quia scriptura planè indicat, oues non solum pascendas, sed etiam regendas pastoribus esse, nequit esse dubium, quin in eas habeant cum sollicitudine etiam iuris administrationem: nimirum pascendi uerbo scopum, quò ipsis sit tendendum: regendi autem, uiam ipsam qua progrediendum, coercionemque, qua oues errantes uel inuitae compellendae sint, manifestè significans. Atque hoc est quod Paulus Corinthios interrogabat, cuperet ne ad eos ipse cum uirga ueniret, an cum charitate & spiritu lenitatis: per uirgam intelligens coercionem. Item ad eosdem in alijs literis: Hæc, inquit, absens scribo, ne cum praesens fuero, rigidus sim, iuxta potestatem quam dedit mihi Dominus, ubi suae potestatis uim eodem exprimit uocabulo, quo secularium principum imperium designauit, cum tantopere eorum dignitatem Romanis commedaret: nempe uocabulo ἐξουσίας. Hac potestate fretus scribit Timotheo, ut arguat & increpet: Tito, ut dure redarguat suos Creten-  
 ses. Hanc iurisdictionis facultatem apertius exprimit ad Timotheum, dum iubet eos qui peccant, coram omnibus ita argui, ut & ceteri timorem habeant. Ut interim taceam, quod sola pastoris sollicitudo non ita multum timoris saepius incutiat, praesertim ijs quibus ingenium contigit durius. Sed omnem tergiuersandi locum adimit Paulus, etiam inuitis, ubi sic loquitur, Aduersus presbyterum, inquit, accusationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. Vocabula accusationis, & testium: item, num testes admittendi sint, nec ne, quis nescit spectare ad iudicium: iudicium autem emanare à iuris administratione: necessum ergo est hinc fateri, in ecclesia, praeter praesentem illam secularem, quam no-

ua religio adueniens reperit, aliam etiam esse nunc iuris administrationem, ab omnibus alijs iuris administrandi rationibus differentem.

*Christiana iuris administratio quæ sit, & quid ea differat à Mosaica & seculari. XII.*



Vius uim atque rationem ut melius explicemus, conueniet prius alia iuris genera breuibus perlustrare, quam ad Christianam iuris administrationem explicandam properemus: ut sic aliarum conditione perspecta, quid hæc ab illa differat, quantoque interuallo cæteris antecellat, apertius uideamus. Sunt enim (ut superius diximus) tot iuris administrandi genera uaria, quot sunt rationes, quibus societates hominum inter ipsos, & uitæ quasi communitates continentur. ideoque tot necesse est iuris esse gubernacula, ut quæque societas ad usum necessarium, & sui conseruationem suum ius habeat. Cæterum hic dignitatis est gradus, ut una administratio longe præstantior, & dignior alia sit. Aliam enim concessit Deus ipsi communitati, aliam communitatis rectoribus & patribus familias: alia ab incunabulis humani generis instituta, alia tardius adiuncta: aliam homines suapte industria excogitarunt, alia diuinitus reuelata est: alia ad usum electi populi duntaxat, alia promiscue ad omnium nationum utilitatem tradita: alia denique (ut & superius dixi) naturalis est, alia ad plusquam naturalem foelicitatem contendit. quæ omnia exemplis fient manifestiora. Est quidem regia potestas à Deo, sed paterna magis, quòd hæc ipsi patri familias, illa uero prius communitati, ac deinde per communitatem regi concessa sit. Non enim patri auctoritatem quam habet, familia sua contulit, sed ipsa natura. contra quam habet princeps, populus acceptam primum à natura, postea per legem regiam, quæ de ea lata est, in principem transtulit. Sic gladius tamen posterior, longe tamen digniori ratione iudicidatus est, quam iuris administratio illa prima: quòd hæc ab hominibus inuenta, potestas uero ultimi in homicidas supplicij diuinitus tradita sit. quemadmodum ipsa idololatriæ expellendæ potestas, quæ tamen non toti generi humano, ut illa, sed solis ueræ religionis iuxta naturam cultoribus ab ipso numine data est. Has omnes longe uincebat uetus illa legis Mosaicæ administratio. Ita enim hæc omnem humanam excedebat naturam, ut nulla esse posse sublimior uideretur: nisi tandem ecclesiastici iuris accessisset administratio, quæ merito, optimoque iure perfectissima est habenda. Sed hoc latius examinemus, ut quanti hæc cæteris omnibus præstet, uideatur. Generale est omnibus iuris administratoribus, ut quibus administratio non per hominem, sed à solo Deo fuerit concessa, ijs nullo casu possit per homines auferri. contra uero mandatam potestatis, qui mandauit, si res exigat, restringere, transferre, resumere. Patris enim auctoritati familia sua nihil potest decidere, etiam si abnepotum numerus deuenit in eam

*Inst. de iur. na. gent. et ciui. §. sed & quod.*

multitudinem, qui sufficeret condendæ ciuitati: contrâ, principum suorum auctoritatem alij populi uoluerunt ampliorem esse, alij restrictiorem. Quare cum Christiana iuris administratio ab ipso Christo, sicut ueteris legis à Deo, citra aliquem populi consensum sit instituta (ut præteream has esse ad præstantiorem finem institutas) magna differentia sit inter has & secularem necesse est. nimirum quòd cum secularem iuris administrationem populus ampliare, restringere, & transferre, aut etiam resumere queat: Mosaica tamen & Christiana maneant immobiles, nec licitum sit etiam toti societati uel minimum earum punctum incidere. Non enim quæ ad supremam felicitatem attinent, populus sua natura promouet, sed res naturales duntaxat. Cæterum hæc duæ conueniunt, imò in multis manifeste repugnant. Nam Mosaica lex, ut iam dixi, administrationem iuris secularem omnino repellebat, quam Christus & apostoli non solum admitterunt, sed præceperunt recipiendam: contrâ, Christiana Mosaicam iuris administrationem repellebat quidem, ita tamen ut uideatur magis eam complexisse. Lex præterea tantum habebat terrenæ sollicitudinis, ut omnino ad temporale accederet imperium: Christiana administratio plus sacerdotij, quàm imperij præ se fert. quam ob causam scriptura illam appellat regnum sacerdotale, hanc uero sacerdotiū regale. 20 cognoscebat enim lex de causis capitum, imò de omnibus controuersijs, quas oppidorum iudices discernere nequibant: Christiana administratio non item, quippe quæ debeat quàm minimū secularibus occupari cogitationibus, ut suo nomini respondeat. nam uulgo spiritualis solet appellari, quod scilicet tota ad spiritualem finem contēdat. In pluribus autem uincit hæc administratio alias. Cum enim sit à Deo peculiari quadam ratione instituta, eam habet dignitatē, quæ alias duas facile obsecuret. Nam secularem iuris administrationē (præterquā quòd sit uana, hoc est ad perituram contendens felicitatem) tanta solet comitari animorum discordia, ut quæ diuersæ sint societatis, uix alienum admittant, tantum abest ut ad se inuicent & alliciant: Mosaica similiter omnes à se repellebat, qui non essent Iudæi præter profelytos, qui admodum pauci numero erant. contrâ facit Christiana administratio: hæc omnes inuitat, allicit, attrahit, imò non quiescit, donec pertraxerit omnes (ut inquit scriptura) ad unum ouile, ut sub unius & ueri ducis uexillo ad unum finem, & perfectum bonum simul omnes ueniamus. 30 In quo ouili, qui præfunt, longe alias administrat actiones, quàm cæteri præfecti, nempe eas quæ naturæ et totius rationis uires exuperant. Quis enim unquam legislatorum ipsum numen sic suis legibus astrinxit, ut euangelium? nimirum ut omnium dominus (de multis unum proferam exemplum) obediat uoci hominis ligantis, & soluentis in terra? Solis enim huius iuris, non secularis, neque ueteris legis administratoribus dictum est, Quæcunque solueritis in terra, erunt & in celo 40

Exod. 19.

1. Petri 2.

Deut. 17.


20.

Ioan. 10.

Matth. 16.

in celo soluta, &c. Vt hinc satis constet, numen ipsum diuinum omnibus huius religionis actionibus, nedum huius iuris administrationi, magis præsens esse ac propiciū, quàm aliarum religionum aut societatum gubernationi. Ne hoc mirum cuiquam uideatur. si enim eam rempublicam (ut credibile est) plus amet Deus, quæ se propius ad ipsum Deum referat: sicq̃ maiori societati, & ad perfectius bonum connitenti fauorabilius aspiret, quàm minori: quis non lubens concesserit, illi reipublicæ Deum maxime adesse, quæ eam auctoritatem hic habet, quam ipse Christus, si adhuc uisibilis inter nos ageret, 10 exerceret: & illam communitatem plus quàm aliam amplecti, quæ omnes alias hominum congregationes sub se comprehendit, & eum finem, quem cæteræ temere suo ingenio uestigant, fixum & certum habet. hanc libro primo ostendimus societatem esse nouæ religionis. Taceo interim quod promiserit Deus, huius iuris administratores se assumpto etiam maiora facturos, quàm unquam ab ipso hic gesta sint. quare hæc cū sit omnium perfectissima, debet architectonica, hoc est omnium aliarum iuris administrandi rationum gubernatrix et rector appellari.

*Christiani iuris quadruplex genus. XIII.*

20  Apertius iam dictum est, cuius iuris administrationi suum esse scopum, atq̃ adeo suas regulas, quæ ad scopum ducant. Eæ autem regulæ sunt duplices. aut enim ipsum scopum, ad quem tendere oporteat: aut uiam seu media, ut uocant, ad scopum attingendum ostendunt. illæ cognoscendarum, hæc rerum agendarum sunt demonstrationes. has sibi habet peculiare iuris administratio Christiana. nam cum hæc ad scopum longe præstantissimum conitatur, nempe ad eum qui omnem naturam humanam excedit (propius etiam quàm olim lex Mosaica) necessum certe fuit, cum noua & tam sancta religione non solum nouos magistratus, sed nouum etiam ius adferri, quod & scopum clarius exhiberet, et uiam atq̃ media ad eum assequendum monstraret aptiora, quàm naturalis, aut uetus lex unquam antea fecisset. Et attulerunt quidem primi illi ecclesie fundatores non minus admirabile, quàm nouam, à Christi ore acceptam doctrinam, quæ basis est omnium rerum Christianarum. sicut olim duodecim tabulæ (si liceat res tam dispares comparare) fundamentum fuere legum Romanarum. cuius doctrinam eundem apostoli præcones fuere magis, quàm authores, aut institutores: author uero solus Christus. Huic doctrinæ nihil licuit apostolis, apostolorumq̃ successoribus. (sicut nec Mosaicæ legi prophetis) aut addere, aut detrahere, aut immutare. Atq̃ hoc quidem supremum est, non tamē totum ius Christianæ administrationis. Nam cum apostoli ea quæ erant in doctrina 30 Christi difficilia, uel ambigua, significatius interpretarent (ut fecit Paulus de diuortio, et alias non raro) aliud hic ius Christianis rectoribus. accreuit. Item cū doctrinæ illi satis alioqui quantum ad sensum atq̃ intelligentiam rei per se apertæ, formam præscribunt apostoli, ad quam res ipsa sit 40



1. Cor. 11. exequenda (ut fecit Paulus, locum ordinās dominicę cenę sumendę) rursum alia iuris species accessit ecclesię, quę certe non ita multum (ut nec illa, cuius mox faciebam mentionē) à prisca Romani iuris forma discrepat. Difficiliora enim interpretandi auctoritatem idem esse in republica Christiana, quod erant apud Romanos respōsa prudentum: & locorum ordinationem, ac formę, qua res agendę sint, præscriptionē, quod prætorum edicta, quis non uidet? Præterea cum apostoli publicas leges diligentius perscrutati, eas aut corroborarūt, aut suppleuerūt, aut ubi opus fuit prauas correxerunt (ut sunt semper minus perfectæ ea quę homines, quàm quę ipse Christus instituit) aliud rursum ius

Rom. 13. constituitur. Sic Paulus cum iubet, cui tributum dari solet, tributum, cui uectigal, ei uectigal esse dandum: secularem legem corroborat atq;

Rom. 1. confirmat. Idem cum pœna dignos censet, non eos solum qui facinorosa perpetrant, uerum etiam qui assentiuntur ijs qui talia committunt, uulgarem legem supplet. Cum uero sua uxore maritum, & uxorem suo uiro, hoc est unicum unica contentum esse debere docet, communem legem reprehendit. quod etiam Romanis fuit familiare, nempe cum posteriores siue imperatores, siue consules, siue prætores, constitutiones, senatusconsulta, & edicta aut purgabant, aut declarabant, aut omnino decidebant. Præter iam dictas iuris species docuerunt apostoli aliam quandam uiam, securiorem quidem, sed magis arctam, quàm uulgo conueniat: quę quia neminem astringit, nisi ultro uoluerit amplecti, nescio an iuris nomine sit appellanda. Paulus certe consilia uocat. ut cum patrem hortatur, de filia seruanda uirgine: uiduam, ut uiuat in coelibatu: Corinthios, ut beneficentiam impendant fratribus Hierosolymitanis: & alia eiusdem ordinis quàm plurima.

*Ius rerum credendarum immutari non potest, aliud potest. XIII.*



1. Cor. 15. Væ uero dogmata apostoli hoc modo de rebus cognoscēdis credēdisq; prodiderūt, ea non minus teste Paulo firma sunt atq; sancte obseruanda, q̄ ipsa doctrina ex ore Christi profecta. Non enim minus ijs credere oportet, quæ Paulus scripsit de apparitionib. Christi à morte factis, q̄ quæ scripserūt euāgeliste. Quare Paulus suā doctrinā, quę in rebus credendis cōsistit, ipsi euāgelio adiūgit. Si nos ipsi, inquit, aut angelus de cœlo prædicauerit uobis euāgelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Secus de ijs decretis, quæ de rebus agēdis facta sunt: ut sunt ceremonię, aut alia quę p̄ data occasione fieri uoluerūt apostoli. Hęc possunt, si ne gociū postulet, immutari. Sic decretū, quod Paulus cū cæteris apostolis cōstituerat de nō edēdo idolothyto, idē postea rescidit scribēs Corinthijs, Quod in macello uendit, edite, nihil interrogātes. Sic cōtra ethnicorū libertatē à ritu circūcisionis, circūcidit Timotheū natū patre Greco, alibi hoc decretū libertatis etiā ad populū Iudaicū (quod apostolorū

senatus

senatus non fecerat) transfert. ita enim scripsit Galatis, siue Iudæis, siue olim ethnicis: Si circuncidimini, Christus nihil uobis proderit. & iterum: Contestor omnem hominē, qui circunciditur, quod debitor est totius legis seruandę. Nihil ergo mirum, si & hodie ecclesiarum præfecti legitimi apostolorum successores, de priorum statutis (quæ de rebus agendis sunt) quædam immutant, quædam rursus noua ijs rescissis statuunt. quæ si nos ducunt commodius, ut faciunt, ad foelicitatem illam supremam, cur non auscultamus? Sed fit, inquires, ut statuant iniqua: fit fateor, idq; bifariam, nempe aut præter ius, ut uulgò loquuntur, cum ea decernunt, quæ ut non ad foelicitatem ducunt, sic nec omnino abducunt: aut contra ius, cum ea statuunt, quæ planè abducunt à foelicitate. Si quid forsan præter ius, siue non secundū ius statuerint, oportet tamē obedire cum nonnullo etiam dispēdio temporaliū bonorum, propter publicam uidelicet tranquillitatem conseruandam, quæ contemptis magistratuum edictis, statim periret. Sin uero liqueat, ipsi iuri contrarium ab illis esse statutum, profectò iustū est, teste Petro, ut Deo magis obediamus, quàm hominibus sathanę cestro percitis. Hęc de ecclesiastici iuris prima parte dixisse satis sit: nunc secundam, quę rebus ipsis iura adhibet, aggrediamur. hanc uocauimus iuris disceptationē.

*Habent ecclesiarum præfecti etiam iuris disceptandi auctoritatem. XV.*



Vantum autem ciuili societati hęc secunda pars sit necessaria, docet Iurisperitus cum dicit, Parum esse in ciuitate ius esse, nisi & sint qui iura reddere possint. Atq; hęc iuris disceptatio (qualiscunq; illa fuerit) ante iuris constitutionem fuisse uidetur. Nam celeberrimæ quæq; res publicæ, atque adeò ipsa Roma longo tempore iam steterat, priusquam leges certæ et iura adferrentur. per quod tamen tempus fines imperij tam latè extendi, & deuicti tam prudenter regi non potuissent, nisi fuisset certus quidam magistratus, qui de finibus & controuersijs omnibus disceptando dijudicasset. Postea accesserunt leges, per quas promptius, & facilius quæcunq; in disceptationem hominum uenire possent, dijudicarentur. sed cum tanta sit & ingeniorum & studiorum uarietas, & res tam immensæ atq; infinitæ, ut etiam diligentissimus quisq; singulis inuolueron sua iura assignare non queat: esse disceptatores adhuc necesse fuit, qui cum de re legibus non satis comprehensa quæstio oriretur, sua industria inuestigarent, & enunciarēt, quid ex æquo & bono esset constituendum. quin & in ijs quæ legibus continentur, disceptatoris officium requiritur. Nam cum ipsæ leges uerbis generalibus sint conscriptæ, nec omnes omnium actionum circumstantiæ in his satis clare exprimi possunt, iudices esse oportere res ipsa declarat, qui actiones suo pondere librent, & pro circumstantiarū qualitate ipsis actionibus leges adaptent, aut remissiores, aut acriores, quæ circumstantiæ quia quotidie (ut est humanū ingeniū

M 3 noua



nouarum rerum foecundissimum) sine modo & sine uariantur, huic uarietati posse uaria & accommodata adhibere iura, quis non maioris æstī marit negocij, & magis accurate circumsp̄ctionis, quā primas leges prudēter condidisse? Ex quibus constat, quā necessaria sit hæc administrandi iuris pars secunda. quæ si tantū sit expetēda ciuili societati ad periturā hanc foelicitatē assequendā: quanto magis hac indigebit noua nostra religio, circa quā maioris momēti controuersie (quippe quæ ad digniora respiciat) tū publicē, tū priuatim quotidie oriunt. quare & si bi peculiarē, et ab illa lōge differentē disceptādī autoritatē habēt Christianæ religionis antistites. quæ qualis sit, hic diligentius excutiamus. 10

*De omnis generis controuersijs ecclesiarum præse  
Et suo modo cognoscunt. XVII.*



1. Cor. 5. 2. Thess. 3. 1. Tim. 5. 1. Cor. 6. 10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
1000

Nam

Nam cum uetat litem coram infidelī, certe apud Christianæ fidei initia  
10  
20  
30  
40  
50  
60  
70  
80  
90  
100  
110  
120  
130  
140  
150  
160  
170  
180  
190  
200  
210  
220  
230  
240  
250  
260  
270  
280  
290  
300  
310  
320  
330  
340  
350  
360  
370  
380  
390  
400  
410  
420  
430  
440  
450  
460  
470  
480  
490  
500  
510  
520  
530  
540  
550  
560  
570  
580  
590  
600  
610  
620  
630  
640  
650  
660  
670  
680  
690  
700  
710  
720  
730  
740  
750  
760  
770  
780  
790  
800  
810  
820  
830  
840  
850  
860  
870  
880  
890  
900  
910  
920  
930  
940  
950  
960  
970  
980  
990  
1000

*In quibus disceptatio ecclesiastica imitetur secularem. XVIIII.*



Egimus Mosen olim disceptādī rationē et formā, qua popu  
li Israelitici causę deciderent, à socero suo uito ethnico præ  
scriptā introduxisse. Sic Paulus plerasq; ecclesiasticę discē  
40  
50  
60  
70  
80  
90  
100  
110  
120  
130  
140  
150  
160  
170  
180  
190  
200  
210  
220  
230  
240  
250  
260  
270  
280  
290  
300  
310  
320  
330  
340  
350  
360  
370  
380  
390  
400  
410  
420  
430  
440  
450  
460  
470  
480  
490  
500  
510  
520  
530  
540  
550  
560  
570  
580  
590  
600  
610  
620  
630  
640  
650  
660  
670  
680  
690  
700  
710  
720  
730  
740  
750  
760  
770  
780  
790  
800  
810  
820  
830  
840  
850  
860  
870  
880  
890  
900  
910  
920  
930  
940  
950  
960  
970  
980  
990  
1000

M 4 bant

bant hi iurisdictionem, sed nudam causæ commissæ decisionem. Hoc  
 1. Cor. 6. ipsum uult Paulus ecclesiasticos præfectos imitari, cum dicit, Iudicia si  
 habueritis de ijs quæ ad uitæ usum attinent, qui contēpti sunt in ecclesia,  
 eos cōstituite ad iudicandū: indicās, ecclesiasticas grauioresq; causas re  
 seruari debere magistratum iudicio: leuiores autem (nemagistratus  
 nimium multis, ijsq; se indignis negocijs occuparentur) ablegādas ad  
 inferioris notæ homines, quo consilio uidemus & apostolos procura  
 1. Act. 6. tionem rerum, quæ ad corporalis uitæ usum pertinent, transtulisse ad  
 diaconos, ut ipsi liberius uacarēt precationibus & uerbo. Celebre erat  
 Plutarch. in Lucul. 10. apud Romanos, ut iuuenes nobiles in improbos ciues parata accusa  
 tione publicè declamarent, quo sic deterrerent à facinorū indignitate,  
 qui alioqui, nisi hanc iuuenilem impetū timerent, similia, aut etiam gra  
 1. Tim. 5. uiora designarent. Simili consilio & Paulus, eos qui peccant, coram o  
 mnibus argui præcepit, ut cæteri timorem habeant. Solebant præterea  
 qui apud Romanos ius dicebant, eum qui alium lege postulasset, non  
 prius ad litis contestationem admittere, quàm sententia esset definitū,  
 esset ne actio actori, aut iam ne esset, aut omnino esse desierit, et talis ne  
 sit ut huic in illum, nempe filio in patrem, liberto in patronū concedi  
 1. Tim. 5. debeat. Hoc ipsum Paulus uult in ecclesiastica disceptatione obserua  
 ri. nam Timotheo scribens ita loquitur: Aduersus presbyterum accu  
 sationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. indicās, an  
 te ingressum litis, sit ne iudiciū dandum, nec ne, disceptari debere. atq;  
 alijs ex causis aduersus maiores, alijs aduersus inferiores & ecclesiasti  
 cos, & laicos præfides actionem esse concedendam.

*Iusiurandum ad exquirendam ueritatem necessarium. XV III.*



Quoniam uero nihil æque ualet ad disceptationes deciden  
 das, ac ipsa rei factæ ueritas, quæ calumniantium ingenia,  
 calliditatem, et solertiam omnem reteggit: oportebit ecclesiasti  
 cum iudicem (cum donū ipsum, quod à Deo habet, natu  
 30 turam non tollat) ad ueritatē inuestigandā sacris quidem legibus, sed  
 eadem uia procedere, qua cognitor secularis: nisi fortè ueritas, quæ inue  
 stiganda est, non ad litigantium modo, sed ad ecclesiæ etiam publicam  
 utilitatem adeò pertineat, ut digna sit miraculo manifestari. quo modo  
 1. Act. 5. Petrus cognouit Ananiam & Sapphiram Spiritui sancto fuisse menti  
 tos. In alijs uero causis non minus subest periculo ecclesiasticus cogni  
 tor, quàm secularis, ne ex falsis attestacionibus falsam sententiam ferat.  
 quod malum quo minus, aut certe quo rarius fiat, solenne est in utroq;  
 foro, ut nulli testi credatur, nisi probo, eidemq; iurato. quem morē Pau  
 40 lus laudat, cum dicit, Omnis controuersiæ finis est, si accedat iusiuran  
 di confirmatio. Si quis uero peierauerit, tam grauius is cōmittit, ut gra  
 uius peccare non possit. Est enim ipsum periurium homicidio scelerati  
 us. quod si non esset, præpostere homicidij accusatio iureiurando ter  
 minaretur. Homicidium etenim homini: periurium autem reipublice,  
 imò

imò & Deo summā, quam potest, iniuriā facit. Nam qui iurat, Deum  
 uocat in testem ueritatis, tanq; omnium rerum ac etiam penetraliū cor  
 dis sui inspectorē. Qui uerò se execratur, etiam ultorem sibi Deum im  
 precatur, si sciens falsum dicat. Quod quanta religione, quantaq; prou  
 dentia faciendum sit, scriptura testatur locis innumeris. Paulus uero e  
 tiam per hoc ostendit, quod ipse in suis scriptis sæpe tum iuret, tum se  
 10 execretur: ut, Testis est mihi Deus, Scit Deus quia nō mētor, Testem  
 inuoco Deum in animam meam. Contrà in concionibus, quas tam  
 multas Lucas descripsit, nunquam aliquid huiusmodi fecisse inuenit:  
 quod uidelicet attentiore cura scribamur, quàm loquamur. Est certe o  
 mne quod amplius est, quàm est est, non non, ortum, ut Christus ait, Matth. 5.  
 ex malo: nempe ex illa omnium malorum scatebra primi parentis, in  
 obedientia. Hinc enim mors, ut ait Paulus, & oceanus malorum in un  
 dauit in orbē, fames, algor, lassitudo, dolor, anxietas, & quæ non? Que  
 Rom. 5. enim nunc præterea fiunt, quàm si status perseuerasset innocentiae, ue  
 re quis dixerit à primo illo peccato, nempe perniciosissimo primæ in  
 obedientiæ malo processisse. ut rerum diuisiones, agrorum cultura, ar  
 tes opificiorum, & id genus innumera, quæ ad hominum indigentiam  
 subleuandā nunc sunt necessaria. Hinc & tertia iuris administrandi pars  
 20 (ut superius diximus) profluxit, nempe coercitio: secundæ etiam par  
 tis non pauca, ut suspensiones aduersus iudices, exceptiones aduersus  
 testes, appellationes, & alia id genus. His adnumerandum est iusiur  
 randum. In statu enim innocentiae simplici assertioni fuisset planè fi  
 des adhibita. Nunc contrà facit hominum improbitas, ut non cuius  
 neque facilè, sed uix sanctè iurato præbeamus assensum. quin & orta  
 ex eodem malo ingenij nostri imbecillitas, præsertim ad æterna creden  
 da, fecit, ut Deus olim toties, & Christus per omnem doctrinam, &  
 post Christum assumptum angeli dicta sua, præsertim si quid grauius  
 affirmarent, iureiurando assererent. Quare iusiurandum non res mala  
 30 per se, sicut olim diuortium, sed certas ob causas laudatum: cum ne  
 que Deo, neque angelis conueniat, nisi quod uerè bonum est. Ve  
 rum quia assiduitas quotidiana, & cōsuetudo iurandi pronos facit ho  
 mines ad periuriū, ut ab hoc remotiores essent, Christus in eo sermo  
 ne, quo eminentiam nouæ religionis præ ueteri copiosius extulit, uo  
 40 luit nouæ religionis cultores in sermonibus ab omni iusiurandi genere  
 abstinere. Sit, inquit, sermo uester est est, nō nō. ac si diceret, In familiari  
 & quotidiana oratione cauendū omnino est, ne iuramēto assuefcamus  
 omnia cōfirmare. Vetat ergo Christus, extra graues causas iurare, quo  
 minus in iudicijs, cæterisq; grauib. causis *eis ὑπὸ κρίσει* labamur, ut ait Ia  
 1. Cor. ult. cobus. ac si diceret, Ne lubrica lingua ex assidua iurandi assuetudine in  
 simulationē, hoc est sub ueritatis prætextu in fucatę falsitatis asseueratio  
 nē incidamus. Hanc esse mentē Christi, est ex forma uerborū deprehen  
 dere. Non em̄ ubi à iureiurando deterret, dicit omnino nō iurandū: sed  
 empha

emphatice dictione *ὅλως* fini adiecta, ne iuremus omnino prohibet. hoc est, ne eo more, quo solet uulgi, qui in omnem euentum, et quamlibet ob causam iurat. nam & alioqui decet omnes nouæ religionis cultores, ut omnino caueant, ne temerè & in uanum, & cum nihil magno opere opus est, ipsum nomen diuinum, aut creaturarum nomina diuinam reuerentiã significantia assumãt. Cum uero necessitas, resq; disceptandæ hoc postularint, humane infirmitati succurrendũ erit iureiurando, hoc est inuocati diuini testimonij asseueratione.

*Quod prouocatio patrona sit & uindex ueritatis, & quare superioris iudicis sententia ualidior sit. XIX.*



**S**imiliratione prouisum est, ne ab iniquis, imperitisq; iudicibus ipsi ueritati periculi quid fiat. nam eam ob causam prouocatio est introducta, uindex & patrona ueritatis, ut si quid fortè iudex inferior errasset, hoc emendaret is, qui præesset maiore autoritate. Hunc prouocandi ritum in ecclesiam deduxerunt etiam apostoli. Nam cum quidam docerent Antiochiæ, oportere circumcidi secundum morem Mosi, atq; his acrius resistere Barnabas & Paulus: statutum fuit, inquit Lucas, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad apostolos & presbyteros Hierosolymam, tanquam ab inferiori tribunali ad summum ecclesie senatum. quo modo & Moses statuerat, ut iudices si minus in unam sententiam super re difficili conuenirẽt, profecti ad locum quem Dominus elegisset, acciperent à cœtu sacerdotum, quid pronuncian- dum esset. Sed non statim ad supremum senatum fuisse appellatum, uerum gradatim hoc etiam ecclesie temporibus à litigantibus factum, uerisimile est. Nam cum Paulus Titum toti insulæ præfecisset, ut is per ciuitates alios præfectos constitueret: credendum est, si à ciuitatum præsidibus esset appellandũ, id prius ad Titum, deinde ad Paulum, & tum demum si res postulasset, ad supremum ecclesie senatum peruentum fuisse. At mirum quibusdam uidetur, quomodo Christus præsideat etiam inferiori tribunali, cur ab huius sententia tanquam minus ualida, appellare liceat ad superiorem iudicem: perinde ac si appellares (quod ferũt accidisse Philippo Macedoni) à Christo male sobrio ad eundem circumspectiorem. Si uerum est, ut certe uerissimum est, teste scriptura, omnia hæc, etiam ea quorum cognitio humanum superet captum, ita à Deo esse ordinata, ut suo numero, pondere, & mensura sint disposita: quid est quod miraris, si Christus suæ sponsæ ecclesie iam minus, iam plus faciat tribuat ue, prout ipsa actio postularit, aut ipsi ecclesie necessarium iudicarit Deus. quemadmodum sine dubio facit in hac iudiciorum multitudine, ubi inferiori tribunali id tribuit, quod opus est: summo uero, quod illi iudicio debetur, à quo nulla amplius est inter homines prouocatio. nam aliter uita nostra politica stare non posset. quare quod à supremo tribunali, etiam si per errorẽ forte rei factæ, aut etiam per

per iniquitatem fuerit indicatum, & generaliter omnis sententia quæ per appellationis desertionem, aut quauis alia ex causa transierit (ut iurisperiti loquuntur) in rem iudicatam, ius facit. Sic enim uult Deus possessiones diuidi, ut suprema tribunalia iudicarent diuidenda: imò & uitam sic uult aut seruari, aut adimi, sicut de ea supremi iudices pronunciarint. Quales igitur uelit eas res haberi, quæ à iudice ecclesiastico fuerint dñiudicatæ, optimè intelliget is, qui meminerit (nam hoc superius docuimus) quanto fauorabilius & præsentius adsit Deus iudicio ecclesiastico, quam seculari.

*Quæ & quantarum uirium sit coercitio ecclesiastica. XX.*



**Q**uia uero frustra fertur sententia, nisi sequatur executio, oportuit à uiris contumacibus tam legum, quam sententiarum obedientiam pœnis extorquere, quæ est iuris administrandi tertia pars. Has secularis potestas uiolentas infert etiam usq; ad corporis, ut diximus, interemptionem, quam ecclesiastica potestas haud nouit. De huius enim fundatore dixerant prophetae, *Esa. 42.* quòd nec fractam arundinem contereret, nec limum fumigãs extingueret, donec posuisset iudicium in terra: quippe qui tunc esset rediturus feuerus iudex uiuorum & mortuorum. quod & illis Christi uerbis significatũ intelligimus, quibus Petro iussit ut gladium conuerteret in suum locum. Suprema enim coercitio, quam habet iurisdictio Christiana, est, ut rebellẽ & ecclesie non obtemperantẽ separet à religioso commercio. quod genus supplicij etiam leguntur Hebræi, & ethnice nationes inflixisse facinorosis. Tale etiam est, quod ad suos Christus dixit de Iudæis, *ἀποσυναγώγους*, hoc est alienos à synagogis facient uos. Qualem morem scribit Cæsar suo tempore Druidas apud Gallos, Herodotus Lacedæmonas aduersus Aristodemũ desertorẽ: & Demosthenes ipsos Athenienses ex Draconis instituto (ut superius diximus) in homicidas obseruasse, nempe ut sacris et foro arcerent. quo modo et illi tunc futuri aliquando totius mundi domini Romani, aqua & igni interdicebant, quos dignos iudicassent morte. Sic Deus in pœnã homicidij iussit Cain procul à familia paterna errare, & toto orbe uagari. & ut semel dicã, omnes nationes, quotquot nõ essent planè barbære, tardius peruenientes ad gladij (ut superius diximus) usum, Christianæ excõmunicationi pœnam non omnino dissimilẽ facinorosis infligebant, nisi quod posterioribus seculis Romani duriozem quandam pœnam excogitarunt, quæ tamen non planè ab ecclesiastica abhorreret censura. Quem enim illi de medio tolli cupiebant, eum sacrum, hoc est execrabilem iudicabant. & quanquam pro ueteri superstitione humana carne litarent, hunc tamen immolari nephas ducebant, quòd ipsis etiam dñs uideretur odiosus. Et hætenus quidem similis erat ea pœna ecclesiasticæ censuræ. in eo autem dissimilis, quòd eiusmodi hominem phas esset quomodo cunq; obuiũ occidere, quã sæuitiã ecclesia nõ admittit, nisi

nisi in eum, quem prophanus iudex sacrum fecerit. propterea & uetus religio eiusmodi homines Hebraice  $\text{כֶּרֶם}$  cherem, græce  $\text{ἀνάθεμα}$  uocabat: uoce qua eas res designabant, quas quoniam essent dijs dicatæ & deuotæ, attingere, aut loco mouere nephas erat. Ad hunc morem Paulus ab omni hominū consortio, et ecclesia abiectum hominem, et dijs inferis dicatum, anathema uocat. quæ ecclesiastica quantumuis contemnenda, ut apparet, pœna (quoniam Deus eam iuxta Christi promissionem ratam habet in cœlis) non solum ab hoc uisibili consortio, uerum etiā ab illa inæstimabili unione separat, qua omnia Christi membra inter se (ut à cœna precabatur) connectuntur. atq; adeo non solum in ea orbis parte, ubi contra eum est pronunciatum, sed etiam per omnes totius orbis ecclesias ab omni Christiano commercio est profugandus. traditus est enim sathanæ, ut Paulus de Corinthio stuprator, de Hyemeneo item & Alexandro scribit: & ideo omnibus, quotquot sathanicū ingenium excogitare potest, ludibrijs expositus. quocumq; enim se uertit homo ille sacer, malus spiritus cum comitatur, non secus ac umbra corpus. qui etsi in animam forsitan hominis nihil potest, sensus tamen corporis mira ac ineffabili tyrannide ludificat & uexat, quam tyrannidem subinde horrendo & uisibili facto ostendit, si Christiana necessitate exigente, iurisdictioni accedat potestas miraculorū, ut Lucas de Anania & Sapphira factum docet.

Quod uaria sint anathematis genera. XXI.



Va tamen pœna ligatos non uult Paulus, ut inimicos haberi: sed admoneri interim, ut fratres. nam ob hoc duntaxat à fratrum in religione consortio segregantur, ut pudore suffusi respiscant, inquit: obq; id sathanæ traduntur, ut per eiusmodi uexationem caro quidem intereat, hoc est carnis petulantia domet, contra spiritus uis ualidior fiat. quæ certe non tam pœna, quam medicina est cum purgans, tum conseruans. nam & ipsi Paulo Deus, ob eandem causam dedit stimulum per carnem, nuncium sathanæ, ut eum colaphis cederet, quo nimirum uirtus in infirmitatibus perficeretur. ad hoc Paulum, quoties aliquæ hac machina percellit, respicere, scriptura docet. nam ociosum condemnās, subdit, ut pudore suffundatur: Hyemeneum, ut discat non blasphemare: Corinthiū, ut spiritus eius saluus sit in die Domini. At non in omnes æquæ grauis est hæc animaduersion: sed est quidam gradus, ut pro culpæ suæ grauitate quisq; pœnas luat. Alia est enim, qua Christus, in te peccantem, uult à te duntaxat haberi tanquam ethnicū: Sit tibi, inquit, sicut ethnicus & publicanus. alia, qua publicè peccantē Paulus coram omnibus uult argui, ut & cæteri timorem habeant. horum utriq; ea quæ sunt iuris gentium & naturæ præstare licebit, & ab iisdem recipere. nam apud ethnicum Paulus non uult, si inuitarit, coenare. uerum durius tractat ociosum: nam cum eo omnem consuetudinē nobis interdicit, in quem se grauius animaduerturum

surum minatur, si nec sic resipuerit. quare per epistolā sibi indicari uult, quomodo hic extra ecclesiam se habeat. Hoc anathemate acerbius est, quo Ioannes illos percelli uult, qui alienā doctrinā adferūt. hos enim ab omni ædium hospitio & salutatione arcet instar eorum quibus apud Romanos aqua & igni erat interdictū. Cæterum quia diuersa ratione hoc pœnæ genus infligitur (aut enim iustè, aut iniustè hoc fieri certum est) erit prolatae sententiæ conditione interdicti grauitas æstimanda. Leuior enim erit sententiā, si per iniquitatem iudicis, testium uel, illata sit. alia, si iustè quidem illata, sine tamen noxa tua: quippe qui sis destitutus legitima probatione. alia rursus, si iustè, & tua culpa irretitus mox respiscas, anhelans, ut ille Corinthius, ad relaxationem. omnium autem grauißima, si iure ob meritam noxam condemnatus, in eadem fordescas. Quæ singulæ licet condemnatum separent ab ecclesiastica illa unione, ut nullo munere in ecclesia fungi illi liceat: per solam tamen eam credendum est hominem sathanæ tradi, quæ iustè fertur. atq; hæc postrema quamuis uita spiritali priuet, non tamen ipsa, nec quæuis alia pœna characteris ornamentum tollit: quippe quod sit (ut superiore libro docuimus) indelebile. hoc innuit Christus, cum contumacem diceret non ethnicū, sed tanquam ethnicum habendū. nam si redeat ad se, non est retingendus. Huius pœnæ omnium grauißimæ ut horrorem nobis incutiat Paulus, solet ei peregrina lingua aduenientis Domini terrorem adiungere. Si quis, inquit, non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema maran atha, quod significat Dominus uenit: Syram locutionem data opera non explanans (quod tamen face re solent ferè sacri scriptores) ob hoc ni fallor, ut insolitæ nec explicatæ uocis uehementior perpensio lectorē inducat, ad pœnæ grauitatē accuratius ponderandam. Sed hic aliud præterea est considerandū, nempe quis ordo in supplicijs infligendis fuerit apostolorū tempore. Minoris authoritatis magistratus pœnas minores: summi magistratus grauiores infligebāt. Thessalonicensis ecclesiæ præfectis relinquebat Paulus iudicandū, qui ociosorū essent aut monēdi, aut accusandi, aut uitandi: grauioris uero iniectionē sibi reseruabat, cum uult, ut dixi, sibi per epistolā indicari, quomodo se habeant, qui ab ecclesia essent exclusi. ut si re diligētius discussa inuenerit ad peiora declinasse, acerbius eos puniat. Vbi & uides nō solū rei factæ, sed etiā in futura crimina Paulum anathematis pœnā, et latae sententiæ, ut dicūt, canonē cōstituisse. Thessalonicēsi bus em̄ generalē legē, quæ omni tēpore duratura esset, præscribit, ne cū ijs commercium habeāt, qui curiose agētes, huiusce sui canonis admoniti non respiscāt. Nam præcipua anathematis uis nō tã eò spectat, ut condemnatus respiscat, q̄ ut ab alijs etiā obedientiā extorqueat: et propterea plus populo, q̄ condemnatis præscribit. Non enim tam stupratorē Paulus q̄ Corinthios obiurgat, quod passi sint eum diutius inter se agere, q̄ hoc facinus perpetrasset. Sic et paulo post, si quis cum frater appellat,

N fuerit

fuerit scortator, aut auarus, aut cōuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi, inquit, ne cibū quidē capiatis: sed profligate, inquit, istū qui malus est, ex uobis ipsis. Quare ecclesiasticū hoc interdictū cū tantæ sit necessitatis, nō tam ridiculè repetendū aut tollendū erit: sed tam diu expedit retineri, quoad totius ecclesiastici cœtus, & illorū præsertim, in quorū oculis condēnatus uersat, obedientiæ, salutisq; confirmadæ suffecerit, hoc enim interest publicæ disciplinæ, ut unius exemplum terreat quamplurimos à simili, alio uel facinore perpetrado. Hinc Paulus cum absens stupratorē condēnasset, Corinthū reuersus nō statim absoluit, tametsi ut uerisimile est, iam signa ostēderet poenitentiæ: sed tum tandē 10 absens absentē absoluit, cū facinoroso nō solū sufficiebat increpatio tam diu facta à pluribus, sed etiam periculū esse cœpit, ne grauaret eos omnes. Nam & in hoc, inquit, scripseram profligandū stupratorem, ut cognoscerem probationem uestri, an ad omnia obedientes sitis.

*Habet præter anathema alias coerciones ecclesia: quibus omnibus qui non paruerit, ad seculare imperium erit remittendus. XX.*



D iam dictam poenam tardius erit procedendum. nam ea extrema est ecclesiasticarum coercionum. Sunt autem alia castigationes hac poena leuiore, quibus æquum erit 20 peccatorem prius tentare, quam durius pungatur. nempe arcere ab ingressu templi: aut ad cœtus quidem ecclesiasticos admittere, sed prohibere à participatione sacramentorū. Item si sacerdos admittatur ad laicam communionem, sed prohibeatur potestate consecrandi. Item si potestate quam quis habet, non priuetur, sed præcludatur illi uia ad digniora, aut certe aliquo eminenti genere summoueat. cuius generis Paulus multa enumerat in epistolis ad Timotheum & Titum: uulgo uocant irregularitates. & ut semel dicam, quamcunq; functionē noua religio introduxit, potest poena ecclesiastica & datam auferre, & prohibere dari maiorē. huiusmodi castigationib. animus contumacis 30 premolliendus est, atq; donec ex fatis urgēt, ab anathematis poena abstinentum. Imò priusquam ad has perueniatur, eorum erit faciendū periculum, quæ solent seculares iudices supremæ sententiæ præmittere. ut mittere in possessionē, dare actionem in factum, cōdemnare quanti refert quod ea res facta non sit, decernere pignoricapionē, & alia huiusmodi. Quin etiam mulctā, uincula, probrum, flagra: imò & maiores illas, nempe exilij, relegationis, deportationis, et publicæ operæ poenas, si atrocitas criminis hoc postulet, & personæ qualitas nō impediatur, nō uideo cur nō possit ecclesiasticus præfectus infligere. Verum si qui sententiæ latæ non obedierint, ij ut sententiæ pareant, ab ecclesiastico uel cō 40 pelli non possunt. In hos ergo id quod supremum habet, anathematis nempe uim exercebit. Cui si nec tunc pareant, eos (quoniā illi uetita est executio per manum militarē) iudici tradet, qui gladij habet potestatem. quem

quemadmodum olim prætor summè facinorosos ad urbis præfectum remittebat. Impunita enim cum ea crimina esse non deceat, quæ in cauis nouæ religionis inter eiusdem cultores committuntur, seculari potestati eum tradi oportebit, qui spreto ecclesiastico anathemate contumaciter perseuerarit: nimirum ut qui molliorē aspernatur, acerbiorē coercionem uel emendetur, uel reprimatur. Hic uidere est, quomodo ad secularem iuris administrationem non parum accessit imperij per nouæ religionis aduentum. nam huiusmodi crimina (de quibus statim dixi) secularis administratio nisi coniuncta religioni, ne agnosceret quidē, ne- 10 dum puniret.

*Ecclesiarum præfecti poenas contumaci præscribunt, quas ipsi infligere non possunt. XXIII.*



Atterum ij non ad arbitrium iudicis secularis, sed ad illius sententiæ conditionē, quæ in ecclesiastico iudicio iam transijt in rem iudicatam, erunt plectendi. nam ut is qui condēnauit, etiam mulctam, aut poenam præscribat, quæ sit condemnato irroganda, ipsa ratio docet. Verum, quia et ipsa pertinacia nō debet manere impunita, erit illius proteruia, qui ecclesiasticæ sententiæ non paruerit, non solum cogenda à iudice seculari, ut quod iudicatum 20 est soluat: sed etiam alia mulcta, aut poena constringi debet, quæ religionis uiolatore digna est, hoc est quæ is est uindicandus, qui totius Christianæ societatis publicam disciplinam labefactaret. hæc autem à religionis antistite erit decernenda, non à seculari, qui saltem mandatam exequetur. Docet istud satis clare scriptura, ubi licet usum gladij penitus ecclesiasticis auferat Christus, proprietatem tamē gladij ijs permittit. Nam cum Petro dicit, conuerte gladiū tuum in locum suum, non ei gladium aufert, cum iubet ut gladium suo loco recondat: sed usum gladij duntaxat, id est potestatem sanguinis poenam infligēdi. ecclesiasticis tamen relinquēs, ut ab ijs ij discere deberēt, qui insolētes et contu- 30 maces sunt uindicaturi, quomodo et in quos gladij supplicij adhibebunt. Ut prætereā (quod superius diximus) non à natura, sed reuelatione diuina gladij usum esse introductū: ut etiam hæc satis magna ratio sit, quare diuinæ iurisdictionis ministri, si de gladij usu et potestate quærat, consuli debeant. qui, ut testat scriptura, horribiliora corporis supplicia, q̄ sit gladij animaduersio, per miraculorū potentiā infligūt, si necessitas postulat. Quid quod ipsa religio inspirata, ut superius dictum, per omnem iuris secularis suppellectilē discurre, & eam perlustrare possit, etiā si nullā haberet iuris administrationē: ut ubi legū sanctiones repererit fortè uehementiores (quales pleræq; ciuitates habent de furtis) eas remitti: si remissiores q̄ conueniat Christianæ reipublicæ 40 propagandæ, duriores imponi iuberet. Ne interim dicā, ad uitæ humanæ tranquillitatem hoc esse necessarium, atq; propterea à diuina prouidentia ordinatū, ut si qd uni deesset administrationi, id altera suppleret.

*Multa esse utriq; foro communia. XXIII.*



**I**ndigent ergo ambę administrationes usq; adeo mutua opera, ut inter Christianos facile separari non debeant. imo etiam sunt quaedam adeo utriq; administrationi comunia, ut nihil referat, quo in foro litem quis experiat. nam in ijs non nisi praeuentio spectatur, ut illi iudici, qui alterum praeuenerit, causae sit cognitio. Sed dubitabit aliquis, an ecclesiasticus secularem praeuenire, atq; eidem actionem praeripere queat, ut punitum ab ecclesia supplicio constringere secundo secularis non possit. Si patrifamilias, qui societati ciuium se astringit, in suos liberos ac nepotes animaduertere non licet, postquam hos ciuitatis praefectus communi ciuium nomine punit: quis est cui non uideatur rationi consonum, nec in eum a ciuitatis praefecto animaduertendum, qui ab ecclesiastico iudice totius ecclesiae, hoc est Christianae societatis nomine supplicio fuerit affectus? praesertim cum apud ecclesiasticos summa et amplissima sit ministratio. Nam haec quam late Christiana religio se extendit, unica est: secularis uero, in principatus innumeros diuisa. loquor autem de ijs delictis, quibus sanguinis poena non irrogat: & de ea ciuium societate, quae iam Christo nomen dedit. Quaecumq; enim causae inter ciues commode possunt sine sanguine expediri, eius naturae sunt, ut multum publice expediret disciplinam, si uirilibet essent fori: hoc est, si in actoris esset uoluntate, in utro uelit iudicio litem experiri. multum ea res iudicium utriusq; fori diligentiam excitaret, tum ad scelera punienda, tum ad causas terminandas. Hac ratione inducti uidentur Romani, ut illi qui ageret actione reali, liberam darent optionem, an uelit agere in eo iudicio ubi res sita est, an ubi is qui cum agendum erit, domicilium habet. Sed fit etiam, ut de ijs quae sanguinis poena uindicantur, ecclesiasticus praeses cognoscat. Nam si domesticarum causarum cognitiones per parentum negligentiam deoluunt ad secularem iudicem: cur non ad ecclesiae praesidium censura (ad quam secularis administratio, ut ad Lydiu lapide probanda est) non uenit id, quod alioqui per secularem iudicem negligentiam maneret impunitum? Verum hic quoque nihil ultra anathema poterit ecclesia. Neque haec, de quibus hic uerba facimus, tam a ratione aliena sunt, aut ecclesiae repugnant, quam quidam arbitrantur. nam ubi ciuilis societas euangelio nomen non dedit, certum est crimina, quibus ciuilis administratio supplicium adhiberet, si uir Christianus ea committat, suapte natura esse utriusq; fori: quippe per quae utraq; respublica, tam ecclesiastica quam ciuilis, perturbetur. quin ipsa scriptura tum ab utraq; respublica tales docet puniendos, quantum uidelicet utriusq; interest: neq; ibi unius praeuentio alterius iudicis officium excludit. Poena enim quam Paulus infligit Corinthio, non impediuit, quo minus secularis iudex potuisset id supplicium sumere de eodem stupratore, quod leges tali peccato praescripissent. Et contra, si iudex secularis Paulum anteuertisset, nihilominus Paulus eum castigasset, ut

1. Cor. 9.

ut Christiani, quantum noua religio id genus sceleris abhorreat, didicissent. In publicis enim iudicijs, praeter eum cui iniuria illata est, etiam respublica est ueluti actrix, exposcitq; mali exempli, quod facinorosus scelere suo attulit, reparationem. Generale est, si eodem facto pluribus sit damnum illatum, ex simplici facto pluribus actionem nasci. quare cum alia tunc esset politica respublica, alia Christiana: quid mirum, si idem scelus utraq; prosecuta fuisset?

*Quid iurisdictionis ecclesiastici habeant ex hominum donatione, quid non. XXV.*

**V**ulgare est et omnibus notum, posse id praescribi, quod homini ab homine donari potest: quod uero unus alteri dare non potest, id usu quantumuis longo uendicari non posse. Cum ergo ecclesiastica potestas non ab homine (ut iam saepius dictum est) sed ab ipso Deo sit introducta, fieri profecto non potest, ut quis eam per possessionem quantumuis diuturnam, & non momentaneam occupet: cum & ipsa alioqui possessio sine diuina autoritate nulla sit. His ita positjs, & uel parum intellectis, facile unde pendeat ecclesiastica autoritas apparebit. quae si non sit (ut hinc liquet) ex principum donationibus: certe nec id priuilegium acceperunt a principibus ecclesiarum ministri, ut ab illorum iurisdictione, magis etiam quam ipsi principes a suorum subditorum placitis, liberi sint. Nam hi licet ita praesint, ut superiorem non agnoscant, quoniam tamen autoritatem ab ijs quibus praesunt, acceperunt, sit certas ob causas, ut populi uniuersitas ijs praescribat quaedam, & inter certos limites cohibeat. Reuocatur enim non raro donatio, quantumuis firma, multis ex causis. Verum secus est in autoritate ecclesiastica. Hanc enim cum ministri ecclesiastici non habeant ab homine, sed ijs sit coelitus concessa, nullo casu aut ratione fieri potest, ut potestati ab hominibus constitutae subijciantur. Ideoque repugnaret diuinitus constitutae rerum conditioni, si is qui ius seculare administrat, (etiam si tota illi adhaerit Christianae plebis uniuersitas) si inquam is, ius iuris uel coercionem ijs diceret, quibus ecclesiastica iuris administratio data est. Hoc enim non minus contra naturam esset, ac si familia parenti ius dicere attentaret, cui ab ipsa natura potestas est, quae firma, stabili atq; immutabilis manet. Caeterum in ijs rebus, quas noua religio reperit antea fuisse in hominum usu, habet secularis iuris administratio iudicandi autoritatem, etiam si inter ecclesiasticos super huiusmodi rebus suboritur controuersia. Nam quanquam secularis iudex nullum habet imperium, ut iam dixi, in ecclesiasticum, decerneret tamen, si ijs de rebus disceptatio nasceretur inter ecclesiasticos. quae sententia (de Christiano loquor iudice) sic ius faceret, ut ei omnino esset parendum, nisi euangelio repugnaret. Sed uisum fuit Christianis principibus, etiam super negotijs secularibus, ecclesiarum ministros ecclesiastico iudicio sisti debere. Quare personales (quas uocant) actiones, quae

ex seculari delicto, aut contractu inter ministros ecclesiarum, uel aduersus ipsos nascuntur, non aliunde nunc liberæ sunt, seu, ut uocant, exemptæ à secularis iudicis cognitione, quàm ex principum donationibus. Quod uero si per eos statutum non esset, aut forte nunc reuocarent, frustra tamen pertraheres ministrum ecclesiasticum ad forumulare, nisi rem aliquam possideret, in quam si uocatus non comparuerit, aut sententiæ non obtemperauerit, posset iudex id quod extremum habet, exercere: cum in ipsius personam, ut modò ostendi, nihil possit. Quod uero à seculari iudice interdum uideamus ecclesiarum ministros coerceri, ex eo fit, quod præfectus ecclesiasticus ob insigne aliquod flagitium exemptionis priuilegio eos exuerit, & per hoc subiecerit seculari potestati. Contingit & ex alia causa, ut si minister ecclesiasticus seculari iuris administrationem perturbarit. Si enim ad uim repellendam licet, ut seruus aduersus dominum, filius aduersus patrem insurgat: cur non liceret secularis iuris administratoribus cohibere ecclesiæ ministros, ne temere pergant ciuilem societatem molestare? Quod autem eum coerceant, qui omnem ecclesiasticam auctoritatem contemnit, fit non solum ex præfectorum ecclesiarum consensu, uerum etiam ipsa necessitate. alioqui enim pergerent impune publicam Christianæ religionis disciplinam contemnere, cæterosque inuitare ad religionis exitium.

*An liceat, & quo animo liceat Christiano litigare. XXVI.*



Equitur nunc celeberrima illa quæstio, hodie à non infime eruditionis hominibus tractata, num scilicet Christianis litigare liceat. Multa sunt loca in scriptura, quibus omnis litigandi, seu experiendi in iudicio ratio uetita uidetur populo electo: ut non mirum sit, quosdam in ea hæsisse opinione, omnino non esse coram iudicibus contra fratrem agendum. quare hæc loca, priusquam pergamus, occurrunt hic examinanda & discutienda. Paulus ait: iam omnino delictum in uobis est, quod lites habetis inter uos inuicem. cur non potius iniuriam patimini, &c. Christus similiter inter prima suæ doctrinæ rudimenta palam dicit, illius munus, cui cum fratre eiusdem religionis actio est, non prius à Deo acceptum iri, quàm fratri reconcilietur. sed & reconciliandi moram nullam esse uult. ita enim loquitur: Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, &c. cui damnum est illatum, iubet ut ignoscat, nec talionem reddat: ne quod ipse Deo debet, ab ipso strictius, & ad minimum denarium exigatur. Sed ne & illum, qui assidue & studio nobis nocet, aut molestus est, ulciscamur. Mihi enim, inquit Dominus, ultio, ego rependam: at magis beneficio arctius nobis deuinciamus, non tantum nouæ, uerum etiam ueteris religionis scriptura iterum atque iterum inculcat. Si inimicus, inquit Salomon, esurit, parce illum: si sitit, da illi potum. Christus, Benefacito ihs qui uos odio persequuntur. Paulus, Ne uincaris à malo, sed uince bono malum. Quid hic dicemus: omnem in iudicio agendi rationem Christianis uetitam, nec aliquam contra iniu-

iniuriam illatam defendendi, aut de iactura facta conquerendi copiam ipsidem relicta: non ita certe. At eius animus, qui fratri litem mouet, considerandus est, num ducat uindictæ cupiditate: quod et ethnici, nedum Christiani uiperarēt. aut magis ad iacturæ respiciat compensationem: quod itidem ethnici, si non damnarēt, haud tam laude dignum ducerēt. aut num magis studeat proximi sui salutem, hoc animo, nec alio, cum fratre experiri licebit: ne scilicet is iniustis occupationibus inordefcat, ne uel studium aliena occupandi huius exemplo ad alios serpat. Secus qui facit, non iuxta scripturas superius citatas se facere sciat.

*Duæ litigandi formæ Christianis peculiæres. XXVII.*



Am qua forma & ratione Christianis aduersus fratrem experiendum sit, superest ut uideamus. Introduxit noua religio duas disceptandi formas sibi peculiæres: unam quæ priuati, alteram quæ publici iudicij formam imitat. Si enim in te peccatum sit, priuatum: si in religionem, publicam disceptationem præscripsit. illam in scholis, denunciationem: hanc, συζητησι, si ad uerbum uertas, conquisitionem uocant. Vtramque formam nobis tradidit scriptura ut regulam, ad quam Christianæ controuersæ sunt dimetiendæ. Si peccauerit, inquit Christus, in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipsum solum. Hic uides priuati iudicij modum. Aliam formam depinxit Paulus, ubi ait se palam & coram omnibus Petro restitisse, quod gentes cogeret ad Iudaicarum ceremoniarum obseruationem. Et quod attinet ad prioræ formam, utitur hac frequentissime noua religio, cum delictis corrigendis adeo intenta est, ut etiam occulta quàm diligentissime redarguat: quæ secularis iuris administrandi auctoritas non solum non redarguit, sed & pleraque manifesta omnino tolerat. Veteris religionis cultori populo dictum fuit, Non uidebis asinum fratris tui, aut bouem eius cadentem in itinere, & abscondes te ab eis, sed subleuando subleuabis. Quid mirum, cum lex illam curam brutis adhibendam iusserit, si noua religio idem de homine statuatur, atque tibi imputet, si tua negligentia pereat anima fratris tui, pro qua mortuus est Christus? Quem igitur inclinarum uides ad lapsum, debes illico ne labatur succurrere, adeo ut ne prima quidem futuri lapsus indicia spernenda sint. quia scriptum est: Qui spernit modica, paulatim decidit. Multo uero diligentius debes, si iam lapsus est, statim erigere: hoc est, de commisso delicto, cum primum adsit loci & temporis opportunitas, redarguere. Vade, inquit: indicans accelerandum esse. Vetus lex præcepit, ut oppugnaturus ciuitatem, prius pacem offerret, quàm expugnationem parasset. Quid mirum, si & lex nouæ religionis præcipiat, ut peccanti in te fratri ultro offeras pacis condiciones, priusquam in eum quicquid statuas grauius: Vade, inquit, & argue eum. non solum hoc ihs qui præfunt, sed etiã subditis præcipiēs. quia unicuique mandauit Deus de proximo. alioqui enim Deus sanguinem illius requireret de manu tua, etiam si

tantummodo in te, hoc est te præsentem deliquerit, & nullam aliam intulerit iniuriam quam scandali. Eo enim euentu te Deus posuit speculatorem, & custodem illius, qui cecidit te spectante. Verum inter te, inquit, & ipsum solum argue. non eum per ora hominū traduces, hoc est non famæ aut nomini lædes, neque obiurgabis, neque illudes. Argue, inquit, hoc estrationibus & admonitionibus peccati periculū detege. Ostrationem enim potius, quam reprehensionē significari arguendi uerbo, docet ille qui scribit, Degeneres animos timor arguit. Istud autem, si te præsentem peccarit, faciendum: hoc est, si constiterit tibi de peccato eius, alioqui meliora de proximo speranda sunt. Non enim is quem aliorū fama audis traduci, illico tibi corripiendus est (hoc enim ad officiū spectat præfectoriū) sed quem tu uidisti graui salutis suæ periculo deliquisse, nec resipuisse. Si enim iam resipuerit, quorsum opus redargutione? Verum, si idem admonitus nihilominus pergat, ostendit noua religio remedium asperius. Si te, inquit, non audierit, adhibe adhuc unum, aut duos: non quibus delictum detegas, sed quos preceris et inducas, ut tecum hominem obseruent, num secundo in idem delictum incidat. testes enim adhiberi iubet, hoc est præsentis delicti inspectores, non autem præteriti examinatores. Nam addit: Ut in ore duorū, aut trium testium stet omne uerbum: docens eiusdem peccati testes plures esse debere, & sic tandem nominis famam, si aliter reduci nequeat, propter animæ salutem negligendam. Erit tamen etiam hic, quantum fieri potest, sine salutis eius periculo fama proximi seruanda. Nō enim statim duos aut tres, sed singulatim eos accersendos dicit. Adhibe, inquit, adhuc unum, si illius fortè & diligentior & uehementior admonitio plus sit ualitura, quam tua. Si uero ita ab eo id quod uelis, extorquere non poteris: duo erunt adhibendi. non quod tuum tunc sit, coram ijs eum redarguere: sed potius illis hoc faciendū erit, sequi enim, Si neque illos audierit Sed si, ut fit, testes à te adhibiti rē neglexerint, nihil ad te: tu Christiani hominis muneri satisfecisti. Sin uero peccatorē admonuerint, & is ipsorum quoque admonitionem despexerit, iam non illis, sed tibi, apud quem primum fuit lapsus, præceptum est, ut ecclesiæ rem aperias, quod uulgò uocant denunciare: quanquam eo uocabulo ueteres usi sint in alia significatione. Dic, inquit, ecclesiæ: nempe tu, atque adeò tu unus, cui is primum obuenit erigendus. neque enim scriptura dicit, quos prius testes adhibuisti, eosdem hic rursus adducendos: sed potius rubori illius parendum, ut non aliam ob causam credendū sit, scripturam iubere testes adhiberi, quam ut habeas, si te uelit arguere calumniæ, qui testimonium ferant tuæ sinceritati. Delatum uero non aliter uult scriptura tractandum ab ecclesia, quam tu eum iam tractasti: nempe ut & ipsa, qua dignum est grauitate, arguat peccatorem tam pertinacem: sed solum arguat. neque id aliter faciat, quam à te præceperat fieri: nempe seorsum. Quod si nec ecclesiæ monitioni obtemperarit, mox habendum iubet hunc scriptura,

non

non quidem publice, sed tibi duntaxat, tanquā ethnicum et publicanū. Hoc ordine hæc omnia prætentanda sunt, priusque noua religio fratri priuatim etiam sæpissime delinquenti seueriora adhibeat remedia: hoc est, priusquam eum publice coram omnibus arguat. Hæc de denūciatione, prima inter Christianæ religionis cultores litigandi forma. Altera est *συζητης*, quam dixi in scholis conuentionē uocari, cum dubitatur de re publice facta, peccatum sit, nec ne: hoc cunctis modo, an alio res fieri debeat: et sic de alijs. Huius exemplar est in Apostolorū actis. Cum enim orta esset seditio super circuncisione eorū qui ex ethnicismo ueniebant ad nouam religionem, statutum fuit, ut ab utraque parte contendentes ascenderent ad apostolos ac presbyteros Hierosolymam, publiceque disceptarent super ea quæstione, & disceptatæ quæstionis declarationem expectarēt à sacro senatu. Qua ratione hoc factum sit, Lucas scripsit in Actis, & nos suo loco fusius dicemus.

Quæ sit forma Christianæ actionis, et accusationis. XXVIII.



Truncus ergo dictum disceptandi modum ea ratione Christianis concessum uidemus, ut eo ad delinquentiū salutem utamur. iam uidendum, num & actio nobis permittatur, qua liceat nostra prosequi in iudicio. Domini, inquit Propheta, est terra, & plenitudo eius. Omnia enim, quæ hic possidemus, quibus aduersa toleramus, prospera tuemur, debilia sustentamus, firma continemus, uitam denique labentem excipimus, omnia inquam hæc Domini sunt: nec diutius nobis concessa, quam à nobis ea repetere Deus uoluerit, ut ijs interim ad suam gloriam utamur: ut siue erogamus, siue retinemus, siue etiam repetimus (ut Tobias mutuum à Gabelo) ad gloriam Dei, ut Paulus docet, fiat. Hoc enim non raro gloria Dei postulat, non ut nostra reseruemus, sed ad tutandam Christianam tranquillitatem etiam raptori libenter cedamus. Si quis, inquit, te uelit in iudicium trahere, ac tunicam tollere, permitte illi & palium. Secus, si ira gloriam Christi promoueri non speres. tunc enim nostra retinere, & si qua ablata sunt, repetere oportet. At fit interdum, ut æque probabili ratione, quod hic repetit, alter uelit retinere: ubi ut recte cognoscatur cuius res sit, omnino opus est iuris disceptatore. horum uterque quamuis iuste litiget, maiore tamen iure is litigare intelligitur, qui ante litis ingressum pacis conditiones reo obtulerit, (quod in ueteri lege, ut superius diximus, præceptum fuit belligeraturis) paratus nōnullo etiam dispendio redimere litem: hoc est, qui nō omnino exacta ratione agere, sed tolerabili conditione cum alio transigere paratus fuerit: per uiam (ut uocant) compromissi, quod ad Corinthios præcipit Paulus. atque hæc est forma Christianæ actionis. Qui uero nihil de suo cedere uelit, adeò ut ne magnam quoque uexationem paruo dispendio redimat, is certe parum Christiane facit, dum recusat arbitrium: neque tamen iniquum facit, si quod suum est, exactis



Matth. 5. exactissima ratione seclusa fraude repetat, quemadmodū nec illi iniquē, aut perperā faciunt, quamuis non satis Christianē, ut ait Christus, qui reciproca dilectione prosequuntur eos, quorum beneficiū & benignū animū prius in se senserint. Ex his iam colligis studiose lector, quomodo etiam Christiano liceat ius suum, commodumq; proprium proficere, qui in iudicio, dummodo lis non agatur coram iudice disparis religionis, quod Paulus diligentissime uetat. Quin & accusationem, qua non solum nostra repetimus, sed poenam reo uolumus etiam infligi, licitā esse inter nouæ religionis cultores, docet Paulus, huius quæ debeat esse forma inter Christianos, describit eo loco, ubi nullam accusationem aduersus presbyteros iubet admitti, nisi sub duobus aut tribus testibus: hōdem uerbis subindicans, aduersus inferioris notæ siue plebeios, siue ecclesiarum ministros, sub unius etiam testimonio accusationem admitti posse. Hæc accusatio tantum habet locum in eos, qui publice peccant. nam illi, Paulo teste, publice arguendi, ut cæteri timorem habeant: & qui per hos ad similia facinora perpetranda fuerint inuitati, facinoris eiusdem expiati exemplo retrahantur. quæ res humanæ societatis tranquillitatem conseruat. Cæterum apud quos iudices quæque actio seu accusatio institui debeat, satis liquet ex eo capite, ubi de causis utriusq; fori actum est.

*Cur Christianis tam stricte uetitur, ne litigent apud iudicem infidelem. XXXIX.*



Non ergo agit cōtra Christianæ religionis regulas seu leges, qui seruato iuris ordine sua per actionē, aut facinorosi exempli publicam emendationem per modum accusationis, coram iudice Christiano prosequitur: dummodo id faciat sine odio fratris, aduersus quem litigat, sineq; libidine uindictæ. Non enim meret altercatio, rixa, obiurgatio, aut etiam contētio uocari, quod propter priuatam, aut etiam publicam utilitatem sit citra calumniā: sed possumus disquisitionem uocare, potissimum si litigantes causam defendant utrinq; probabilem. Verum cum etiam in ethnicis hominibus uigeat ratio tum religionis, tum iuris naturalis, ita ut lites sæpe ab his recte terminari possint: roget quis, cur Paulus tantopere Christianos uetuit in infidelium iudicio litigare: causa in promptu est. Cum enim Christianæ religionis societas planē sit (ut primo libro ostendimus) omnium humanarum societatum coniunctissima, & quidem coniunctior, ipso Christo teste, quam parentes & filij, cæteriq; domestici: profectō contra iustum & æquū esset, si ob aliquam controuersiam inter nos exortam infidelis (quippe exors nostræ societatis) in Christianū admitteretur consortium, ad litem inter fratres decidendā. Cum enim haud de-  
 1. Cor. 6. ceat domesticas esse discordias, & si omnino oriant, non debeant proferri ad alienos: sed ubi natæ sunt, ibi & extinguī (adeo ut Romani olim ethnici poenas etiā sanxerint in eos, qui domesticas discordias temere pertra-

pertraherent ad iudicia ciuilia sine prætoris autoritate) quid mirum, si Paulus præcipiat, ut Christiani (quos decet multo, quam domestici sunt, esse coniunctiores) natas inter se controuersias per eiusdem religionis consortes tanquā intra eosdem parietes, arbitrio, ut dixi, aut saltem iudicio componant. Ut præteream, uix fieri posse, ut inter Christianæ religionis cultores (si alter aduersus alterum in iudicio agat) non rancor aliquis, uindictæ libido, & siue iure, siue iniuria obtinendę uictorię uehementior appetitus suboriat. quæ cum sint inter infideles frequentiora, non sine magna ratione uoluit Paulus, Christianos litigatores, si aliud impetrari nequeat, saltem ab disparis religionis litigantium schola, turba, & contagione procul esse remotos. Est huius rei & ista causa, quod uiri Christiani debeant inter se iustum & iniustum iuxta sue religionis regulas metiri. has quia uir disparis religionis nescit, & aspernatur: non potest controuersiarum inter Christianos idoneus esse iudex. Sed quid agas, si inuitum te frater ad iudicē pertraxerit disparis religionis? Secundum Christi præceptū cum illo exoptulabis per uiam fraternæ correptionis, de qua superius dixi: exigens ut tecum certet coram communis religionis cultore iudice. Quod si pertinacius contempta etiam ecclesiastica redargutione hoc recusat, scis tibi iam cum illo, iuxta secularis iuris regulas duntaxat, tanquam cum ethnico & infideli agendum, quod quomodo fieri debeat, nunc dicam.

*Quomodo agendum cum aduersario disparis religionis. XXX.*



Vllus hostis Christianis grauior aut molestior esse possit, a hostis religionis, et tamen hic quoq; beneficijs demulcendus, si quo modo possit ad religionis sanitatem perducī: adeo, ut etiam rapienti non solū sint bona fortunæ relinquenda, uerum etiam uita ipsa ultrò impendēda, si per hoc is uideatur ad religionem perducēdus. nam quæ habemus, accepimus uniuersa à Deo, ut superius dixi, ad ipsius gloriam, & proximorum omnium, qui nobiscum ad æternam felicitatē nati sunt, salutem et utilitatem. ideoq; in gloriam Dei & illorum salutem, omnia libenter et tolerāda & relinquēda. quod Christus disertē docuit in monte. Quisquis, inquit, impegit a-  
 30 lapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram: & qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium: & qui te adegerit ad miliarium unum, abito cum illo duo. & paulo post, Diligite inimicos uestros, bene precemini deuouentibus uos, benefacite  
 40 ijs qui uos odio prosequuntur, &c. Si uero ista patientia tua non sit in Christianæ religionis exaltationem, & proximorum (cum patientiam hanc in nobis admirantur) salutem cessura: potes, imò debes iustis quidem modis, quod tuum est repetere, & si opus est, etiam ui seruare & retinere: imò & ui publica (quod uocant bellum) modo fungaris publica autoritate, recuperare. Cæterum si id quod religionis candida-

candidatus dedit propter religionem, idem mox factus recusator, uelit tibi subtrahere: non est hic considerandum, an is patiētia tua futurus, an non futurus sit melior, sed ultrò illi & cætera, quæ ab eo ea ratione acceperas, obtrudenda sunt, adeò ut puluerē quoq̃, qui fortè pedibus hæsit, Christus illi uelit relinqui. Secus de eo qui suscepta olim Christiana fide, fiat postea desertor: quia hic cū religionē susciperet, se suaq̃ omnia, tam præsentia q̃ futura, deuouit necessitati religionis. Hæc sunt, quæ de ecclesiastica iuris administratione dicere uolui. de qua sine dubio longè plura proferre potuissim, nisi summam ea exponere esset constitutum, quæ longiorem orationem desiderarent. Verum quia cōtrouersiam omnem, quæ in iudicium deducitur, aliquo iure niti decet: & leges ei esse positas, quibus decidi & terminari possit: restat iam, quoniam de ecclesiastica administratione diximus, ut quo iure et legibus ea gubernetur, uideamus. Hanc certe non aliæ decent leges, nec conueniunt, quàm quæ uerè sunt religiosæ & Christianæ: sacra nempe scriptura, Christianæ religionis præcipua et summa moderatrix. ea inquam, de qua Paulus dicit, Omnis scriptura diuinitus inspirata, & utilis est ad doctrinam, ad redargutionē, ad correctionem, ad institutionē, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo, &c. Ab hac nō debet secularis iudex deflectere: per hanc iudex ecclesiasticus iuris administrationē exercebit. Ea enim hæc doctrina est, quam Paulus instrumentum facit omnium ecclesiasticorum officiorū, cum de tempore suæ resolutionis certus, Timotheo inter ultima uerba scripsit, Obtestor ego coram Deo et Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua in regno suo: Prædica sermonem, in sta tempestiue, in tempestiue: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate et doctrina. Exigit ergo ordinis ratio, ut de sacra scriptura sequenti libro differamus.

## DE INSTAVRANDA RELIGIONE

## LIBER OCTAVVS, QUI EST

## De authoritate scripturarum.

## De origine scripturæ. I.



Vum multæ res in ecclesia nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis & obscura quæstio est de authoritate scripturarum, quæ & ad agnitionem religionis pulcherrima est, & ad moderandum Christianum populum necessaria. Literæ enim quæ sacræ uocantur, non solum supremam illam naturam pulcherime describunt, quam ab initio ostendimus basim esse totius

tius religionis: uerum etiam quas leges illa electis hominibus tradidit instituendæ uitæ, diligentissime docent. Legum autem reuerentia hoc maximè efficit, ut legibus homines libenter pareant: contra, hæc si contemnant, ferè solet perniciofa rerū mutatio subsequi, imò societas ipsa hominū dissipari. Quod periculū multo certius imminet Christianæ reipublicæ, si de sacrarū literarū authoritate ambigat. hæc enim maiori ex parte omnē rationis captū superant, suamq̃ uim habent ex legislatoris duntaxat authoritate. quod de humanis legibus usq̃ adeò timendū non esset, quanquam nihil non etiam hic timendum. Nam humane leges licet totę abolerentur, ipsa tamen rationis uis maneret, unde primū leges ortæ sunt, quæ usq̃ hominē ad id instigaret, quod lex hactenus docuisset: contra, si diuinas leges è medio tollas, aut de earum authoritate ambigas. Hic enim illico humana mens ueluti ruptis repagulis uergit in omnē licentiā: ut hodie euenisse uidemus cum alijs plus nimio, alijs nimis parū scripturarū authoritati attribuētibus, pleriq̃ occasionē inde captant scripturā omnē contemnendi, aut certe de omni scripturæ authoritate ambigendi. Et fanè, dissensio hæc nisi diiudicet, in summis nos tenebris necesse est, atque in maxima rerum trepidatione uersari. quandiu enim quisq̃ id, quod satis exploratè perceptum & cognitum non est, sine ulla dubitatione defendit, tandiu uarię opinionū dissensiones, in tanta præsertim re, futuræ sunt. quod malū ne latius serpat, hanc quæstionem hoc loco ea ratione, qua tractauimus superiora, explicabimus: ut quibus fundamētis hæc quæstio innitatur, in aperto sit. Scriptura pluribus in locis ostendit, cogitationū in homine uariū esse modum: multumq̃ differre eas, quæ ex naturali humanæ mentis industria proficiscuntur, ab ijs quas diuinus suggerit spiritus, & has ab illis quas insidiæ fabricantur sathanicæ, satis clarè etiam sacræ literæ docent. Primi generis formam eo loco habes, ubi consilium describitur, quod Ietro dedit Mosi, de constituendis tribunis, centurionibus, quin Exod. 18. quagenarijs, & decanis, qui populum diuisim et turmatim iudicarent. Secundi, ubi enarrat Moses, quæ Balaam etiam inuitus proferebat. Tertiam speciem tradit Ioannes, ubi diabolus narrat immisisse in cor Iudæ Iscariotæ, ut proderet Iesum. Hoc ultimum genus nihil ad nostrum propositum: priores duæ animi meditationes nostræ quæstioni seruiunt, & ex utra harum (nam ex altera, certum est) ea scriptura, quam sacram uocamus, manarit, inuestigandum. Quosdam uideo esse in ea opinione, ut natam dicant eam ex naturali industria: atq̃ hoc aiunt Lucam de se fateri in proemio euangelij, quod uidelicet id collegerit ex ore eorum, qui ab initio suis oculis rem uiderāt, ac pars aliqua fuerant rerum, quas esset narraturus. authoritatem uero dicunt scripturis additam, quando eas summa ecclesiæ authoritas approbavit. Alij secus sentiunt, & negant quicquam authoritatis additum scripturis ab ecclesia, sed potius diuinitus eas & inspiratas & scriptas: ac quæ sit ipsius ecclesiæ

ecclesiæ authoritas, nobis per eas significatum. Hæc prima & præcipua est omnium quæstionum, quas tam multas hodie etiam vulgus de scripturis mouet, & si dijs placet, tractat. Illud hic in primis liquet, etiam si concedamus ab ecclesia authoritatem scripturis datam, non eundem tamen honorem ijs quæ ex industria naturali, et ijs, quæ diuino instinctu sunt exaratae, datum esse. Nam illis duntaxat testimoniū defert ecclesia ueritatis naturaliter perceptæ: in his uero ostendit, etiam adorandam esse maiestatem diuinæ authoritatis. quare aliud quid inuestigemus oportet, quod hanc quæstionē melius discernat, et scripturæ dignitatē propius nobis explicet. qua quidem in re, primū uarietate ipsarū reuelationū, quæ has cogitationes suggerunt, & tales animi pariunt meditationes: deinde, quomodo ex aliqua harum reuelationū suam ducat originem sacra scriptura, animaduertere necesse erit.

Triplicem homini inesse cognoscēdi uim, etiam ijs notissimū est, qui philosophiam uix à limine salutarunt: ut scilicet duplici modo sentiat, intelligat uno. Sentiendi uires homini cum brutis communes sunt. præsentēs enim res per sensum exteriorē, absentes uero & ab oculis semotas per interiorē etiam bruta cognoscūt: intelligentia uero (qua una præstamus beluis) facit, ut etiam ea homo animo suo impressa habeat, quæ sensibus illis non sunt obnoxia. Si harum uirium cuiquam, præter datam ab initio omnibus communē rationem, Deus maiorem humanis uiribus facultatem tradiderit, ut si uel præstantius lumen infuderit, uel augustiora spectra impresserit, uel naturalia spectra diuino artificio concinnarit, uel peculiari quodam modo cauerit, ne quid ingenitæ uirtuti obstet, quod mentem hominis fallat: quis negabit cognitionem, quæ hinc proficiscitur, humanum superare ingenium, & propterea iure dici reuelationem diuinam? Hinc est, quod Deus ipse tres ordines faciat diuinarum reuelationum. Si fuerit, inquit, uobiscum propheta Domini, in uisione cognoscat ab eo, aut in somno loquar cum eo: non talis est seruus meus Moses, ore ad os loquar cum eo, & palam, non autem in ænigmatibus & similitudine uidet Dominum. Hisce uerbis quis non uidet, iuxta tres hominis cognitricēs uires, reuelationum diuinarum triplicem fieri distinctionem? Ad sensum enim exteriorē spectat, cum dicit, In uisione cognoscat ab eo: ad interiorē, quod addit, in somno loquar cum eo: ad uim uero intellectuicē, quod de Mose subdit, non in ænigmatibus Dominū uidet. nam in ænigmate uidere, proprium est tam exteriorum, quàm interiorum sensuum, quippe qui non ad cognitionem Dei inuisibilis ac incorporei, sed ad corporalem tantum repræsentationē, ac si diceret, ad picturā quandā Dei duntaxat respiciūt, quod scriptura uocat ænigma. Cuiuscunq; uero gradus sint, scriptura raptū uocat, quod scilicet uis cognitrix ad ea quæ naturæ ordinem uincunt, rapiatur: qui si tam uehemens fuerit, ut tota hominis cognitrix uirtus in eo occupata, uires minores seu inferiores absorbeat, sopiat, aut

sistat, iam nomenclaturam meretur extaseos, aut excessus. Sed utcunq; fiat, hoc numine quisquis afflatus fuerit, in alium is, quam uim recepit, transferre non potest, ut eruditus solet in rudiores artium facultates: cum illud sit merum spiritus munus, & ipse qui sic afflatus est, semper sibi eam retinere haud possit. Imò nec memoriā quidem retinet, quæ eas res postea repetat, cum se diuinus spiritus subtraxerit, quamuis forte maneat leuis quædam reminiscētia: perinde ac si nuper alicuius artis egregie gnarus, postea prorsus oblitus perpendat, quantus pridem artifex fuerit. Atq; hoc est, quod Paulus de raptu suo loquens, addidit: an in corpore nescio, an extra corpus. quasi diceret, uix uel reminisci possum illarum rerum, quas præsentē spiritu clarè uidi & audiui. Huiusmodi diuinæ animi inspirationes & afflatus, qui mentem hominis mouent, & diuinas ei res exhibent spectandas, alijs certe nihil profuerint, & ipsis suis authoribus parum aut nihil, nisi factæ reuelationes fidelissimis rerum monumentis fuerint mandatae. quod alterum est, quod hic diximus inquirendum: nempe an scriptura, quam sacram nominamus, ortum habeat ab aliqua huiusmodi reuelationum.

*Tam noui quàm ueteris testamenti scripturam diuino afflatu scriptam esse. II.*

**S**cripturam uulgo definiunt, latentis cogitationis causa iuandæ memoriæ exaratam notulam. Nam si proprie scribere dicuntur, qui res à se excogitatas, quæ eas legere dignum est ratione, per huiusmodi notulas manifestant. ut Epigrammatographus, Versiculos in me narrauit scribere Cinna: Non scribit, cuius carmina nemo legit. Ideoq; nō una, neque simplex ipsa scriptura est, uerum diuisa, pro uaria tum excogitandi, tum scribendi conditione, nam quemadmodum alia cogitat per se homo, & alia diuinus spiritus ultra humanum captum suggerit: ita fateri necessum erit, diuinę inspirationis indicem scripturam longe esse et digniorem & præstantiorē, quàm sit ea quæ solius hominis industria reperta exprimuntur. Non tamen omnis diuinæ inspirationis scriptura statim diuina nuncupabitur, sed quemadmodū humana illa proprie dicitur, quæ præterquā quòd sit ab homine excogitata, humano præterea fuerit ingenio descripta: ita ea demum diuinū merebit nomen, quæ duplicem numinis præsentia fuerit sortita, hoc est, quæ & diuinitus fuerit inspirata, & diuino conscripta instinctu. Nam fieri potest, ut quis diuino afflatus numine, ea more humano scriptis mandet, quæ illi soli, non alijs Deus dederat cognoscenda: & contra, ut quæ quis suo ingenio sibi meditatatus fuerit, postea diuino instinctu in lucem edat. quæ tamen neq; humana, neq; diuina erit dicenda scriptura, quòd neutra suis iustis (ut statim ostendebamus) constet partibus. Sed nec meo iudicio ipsa diuina scriptura semper sacra est, neq; hæc semper sancta, quanquā sæpius inter se confundantur, nam sacram hoc puto habere significatio

nis ultra diuinam, quod illa in alicuius populi perpetuum usum sit exarata: hæc non item. quam enim pingebat suo digito in terra coram Pharisæis accusantibus adulteram, diuina erat, at non sacra. statim enim illa (ut uerisimile est) periit. Pari modo nec quæ sacra est, protinus sanctam dixeris, quod sanctum (ut libro quarto docuimus) sit, quod est eximia sanguinis effusione uendicatum. Illæ itaque scripturæ propriè sanctæ sunt, quæ diuinitus inspiratæ, sanguinis sanctificatorij tractant dignitatem. atque hinc est, cur sancta scriptura uocetur testamentum, quod, ut inquit *Hebræ. 9.* Paulus, donec testator uiuit, non ualeat, sed mortis interuentu ratum sit. Nouum enim testamentum magni illius mediatoris mortem nobis testatur, per quem sumus sanctificati, & quam uetus testamentum tot locis Christo subeundam prædixerat. Vtrunque designat Hieremias his uerbis: *Hiere. 31.* Ecce dies uenient, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda, testamentum nouum, non iuxta testamentum quod feci patribus eorum, &c. Sed qua ratione ipsa scriptura dicatur ecclesiastica, uideamus. Certum est, Deum ueteris religionis cultoribus, plures olim scripturas tradidisse, quæ nunc extant: de quo ne dubites, eas in subsequentibus assignabimus. quæ ut diuine, sacræ, et sanctæ fuerint, ecclesiasticas tamen esse noluit ipse Deus: quippe quæ ante ecclesiæ exitum fuerint abolitæ, quas ergo dicemus ecclesiasticas: certe eas tantum, quas post tam crebras ueteris populi iactationes, ad nouæ religionis et electi sui populi usum uoluit Deus reseruari, aut nouas conscribi. de quibus prima sua concione cum iurisiurandi asseueratione dicebat: *Matth. 5.* Amen quippe dico uobis, donec prætereat cælum et terra, iota unum aut apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Has autem scripturas diuina omnes reuelatione afflatumque scriptas esse, Petrus ita clarè & apertè affirmat, ut miror esse, qui de eo dubitent. Illud, inquit, in primis noueritis, quod omnis prophetica scriptura (omnes haud dubie canonicos libros intelligens) non sit priuatæ interpretationis: uocabulo priuatæ interpretationis naturalè hominis industriam notans. nam mox subiungit, Non enim uoluntate hominis allata est aliquando prophetia, sed à spiritu sancto impulsu locuti sunt sancti Dei homines, ac si diceret, non solum prophetarum mens fuit diuino instinctu concitata, ut tanta arcana excogitaret, sed lingua etiam eorum ad loquendum, manus ad scribendum à diuino spiritu directore gubernabat. Atque adeo Dauid assimilat suam linguam calamo scribæ uelociter scribentis. quare non modo Mosi ingenio esse ea conscripta non credendum est, quæ ille de iis quæ ante creatum hominem gesta sunt, prodidit posteritati, sed ne ea quidem quæ uidit coram: nec enim omnia illa, nec alijs uerbis ea sempiternis consignare monumentis potuit, quam spiritus suggestisset. Hoc ipsum, non solum de cæteris etiam prophetis, uerum etiam de illis scriptoribus sentiendum, qui nouum testamentum nobis scripto tradiderunt. Non enim solum, quæ Christus dixit aut fecit, Deo impellente dicta facta que sunt, ut testatur de se Christus cum dicit,

Quem

Quem sermonem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris: sed eadem nemo etiam potuit dignè conscribere, nisi eodem numine esset afflatus. hoc semel & sæpius testatur Paulus: Puto, inquit, quod et ego Dei spiritum habeam: palam asserens, ut olim per prophetas, sic nunc per apostolos, imò etiam per se spiritum Dei loqui. At quod sint, qui dicunt Lucam humano ingenio, utpote ex aliorum relatu, suum scripsisse euangelium: his pro se respondet ipse Lucas, cum se distinguit ab illis hac ratione, quod ante alios sacrarum rerum certitudinem habuit, nempe eos qui ipsi rebus interfuerunt. Nam hic, ut & cæteri euangelistæ, multa scripsit, quæ eos nemo mortalium potuit docere, ea præsertim quæ Christum narrant egisse seclusum à turbis. ut sublimiora mysteria præteream, nempe quod ieiunaret dies quadraginta: quod eum sathanas tentarit: quod noctem insomnis orarit: quod angeli ei ministrarent: quod dum oraret, factus sit sudor eius tanquam guttæ sanguinis cadentis in terram. quæ omnia scire homo non posset, quo minus scribere, si diuinitus ei non essent reuelata. Iam si apostoli, qui à sua uocatione nunquam non Christi lateri adhæserant, & omnes res præclare ab eo gestas oculis suis uiderant, usque adeo tamè rudes permanerint, ut non potuerint prius acta dictaque Christi intelligere, quam rediuiuus ipsis mentem aperuisset, ut scripturarum arcana introspecerent: quid quæso, mirum uideri debet, si iisdem alia cognoscere non potuerint, quam quæ Deus illis inspirasset, nec plura scribere mysteria, ac spiritus reuelasset diuinus: is enim, ut inquit Paulus, reuelat mysteria. Omnium uero clarissime hoc probat, noui testamenti scriptores diuinitus etiam fuisse afflatos, quod toties prædicauit ueterem scripturam, & eam in uno Christo fuisse impletam. quam equidem arbitror omni luce clariorè esse differentiam inter germanum euangelium, & ea quæ uocant Nicodemi, Nazareorum, aut aliorum, quos Lucas dicit scripsisse de iis rebus, quibus ipsi ceu pars aliqua interfuerunt. Non enim hi sua ad ueterem scripturam perpetuo referunt, sed multa quæ ne quidem prophetæ somniarint, suo, non autem spiritus instinctu addunt, aut aliter narrant: quæ certe propterea non ita magni, imò nihili aestimare oportet. Sanctius de germana euangelij scriptura, cæterisque sacris literis sentiendum: quarum non solum sententias, sed ipsam etiam formam loquendi, & ordinem, imò literas, ac literarum apices dignum est, tanquam res numine plenas uenerari & amplecti. Cum uero nemo diffiteatur, utriusque testamenti scripturas solidum esse fundamentum nouæ religionis, ita ut nihil ex iis adimi, imò ne immutari quidem debeat: & tamen sint, qui sub Christiani hominis titulo consueuerunt interdum totos libros, interdum partes quasdam refecare, eas præcipue, quas excogitatis à se nouis dogmatis potissimum uiderint reluctari: quia inquam, tales quidam sunt, qui has turbas iam ante multa secula sopitas resuscitant: operæ precium, imò necessarium mihi uisum fuit, ante alia exactius tractare.

Etare, iusta ne ratione, an mala hoc illi nobis negotium facessant.

*Sacri libri ueteris testamenti qui sint, quibus authoribus, quo loco & tempore & idiomate conscripti, & in quem ordinem redacti. III.*



T ut ad rem accingamur, scriptorum qui diuinitus sibi factas reuelationes ediderunt, hanc Hebræi constituunt feriem: Iob, Moses, Samuel, Dauid, Salomon, Ionas, Abdias, Esaias, Oseas, Ioel, Amos, Micheas, Naum, Abacuk, Hieremias, Zophonias, Daniel, Ezechiel, Aggeus, Zacharias, Mardocheus, & Malachias. Porrò Iob in Idumea degens, aut alius quispiam illius nomine haud longo tempore ante Mosen, Hebraico sermone, interdum Arabico atque Syro scripsit. Moses iam senior, in terra Moab Pentateuchon absoluit lingua Hebraica: quæ etiam Iosue (ut quidam uolunt) res suas præclare gestas: & quod nemo dubitat, Samuel res Hebræorum digessit. Et quia hic primus scribere talia aggressus est, duos Regum libros priores eidem attribuunt: quanquam ante finem primi interierit. Dauid aut ipsemet Psalmos edidit, aut eos argumento alijs suppeditato edendos mandauit. Post hunc Solomon scripsit librum Prouerbiorum, Ecclesiasten, & Canticum canticorum. Illo defuncto, Ionas prophetias edidit sub Hieroboam, & Abdias sub Achab, regibus Israel. Tempore transmigrations decem tribuum Israel, claruerunt in Iudæa, Esaias, Oseas, Ioel, Amos, & Micheas, regnantibus Osa & Ezechia. post hos Naum & Abacuk, imperante Manasse. Instante autem transmigratione Iuda, prophetauerunt Hierosolymis Hieremias & Sophonias. à prima captiuitate, Daniel: à secunda, Ezechiel: uterque inter captiuos lingua Chaldaea, quanquam literis Hebraicis, scribere cœperunt post ciuitatem euersam. Hieremias opus inchoatum absoluit in Ægypto, Esdras & Neemias scripserunt de populi reditu Hebraicè. quo idiomate & Mardocheus reginæ Hester historiam in Chaldaea scripsit. sic post restitutum populum, Aggeus apud Hebræos & Zacharias scripserunt: & ultimus prophetarum Malachias, quem putant & Esdram. At uero uidentur tum ij, tum alij, multo plures libros, quam nunc extent, numinis instinctu conscripsisse. Nam Moses quarto libro suo citat librum bellorum Domini. Meminit & Iosue libri Iustorum, eo loco quo narrat solem sterisse ad preces suas, cum esset pugnaturus contra Gaboan, cuius meminit & secundus liber Regum. Sic *παράλειπον* liber citat libros Nathan prophetæ, & prophetias Ahia Silonitis, uisionesq; Addo uidentis. Traditur & Esaias, præter prophetias etiam historiam contexuisse. Idem affirmat liber Regum de Iehu filio Hanani, & de quodam Semeia: quorum omnium hodie ne uestigium quidem extat. Solomonis quoq; extant sententiæ parabolicæ tantummodo octingentæ, & carmina multo pauciora: quem scriptura testatur,

Num. 21.

Ios. 10.

2. Reg. 1.

2. Paral. 9.

Bedai in Es-

dram lib. 2.

cap. 9.

tur, parabolarum tria milia & carminum quinq; millia edidisse. Ut interim præteream, quòd in Machabeorum libris fiat mentio descriptionum Hieremiæ, & Nehemiæ commentariorum: quorum testimonia ibi decerpta, hodie nusquam (quod equidem sciam) inueniuntur. Opinio est, neq; ea uulgaris apud Hebræos, templo & ciuitate Hierosolymorum per Babyloniorum regem exustis, eos tunc libros solum seruatos, qui post regressum ex Ægypto essent populo erudiendo necessarij. Nec mirum, Deum tantum curæ libris sacris conseruandis adhibuisse, cum in eadem calamitate non minus fuerit sollicitus pro igne, re friuola, quem liber Machabeorum testatur instante excidio à sacerdotibus in spelunca reconditum, ac postea iussu Nehemiæ repertum. Hos libros cum iam populus è Babylonico exilio esset reuersus, Esdras in iustum ordinem restitutus, primum dicitur excogitasse nouam quandam Hebraicorum characterum formam, ne Israelitæ iam reduces, Pentateuchi & priorum characterum communiõne (nam Assyrii, qui migrauerat in terram sanctam, ritus Mosaicos edocti, Pentateuchum habebant) à uicinis gentibus ad cõmercia, & per hoc ad idolorum cultum, quem unam cum Mosaicis ritibus seruabant, inuitarent. Repertis itaq; nouis characteribus, talem sacræ scripturæ constituit seriem, ut libris per ordinem digestis, & uno interdum in plures diuiso, eorum numerus inuentis recens à se characteribus duobus & uiginti responderet. Hebræi canonem uocant: quem postea ipsi per tres classes ita distinxere, ut quinq; libri Mosi sint pars prima: prophetarum, secunda: tertia uero, *τὰ ἀγιόγραφα*. Prophetas faciunt duplices: maiores, Esaiam, Hieremiam, & Ezechielem: reliquos duodecim, minores appellant. Maiorum singuli faciunt singulos libros. duodecim uero minores, sub uno comprehenduntur. Iam inter propheticos etiam numerant (quod nos non consueuimus) librum Iosue, librum Iudicum, adiuncto Ruth: Samuelis, qui uulgo primus & secundus Regum dicitur: & Malachim, quem tertium & quartum Regum uocamus: ut sint prophetarum simul octo uolumina. Dauidem interim ac Danielem secludentes à prophetis, quos tamen Christus ipse, & Petrus, prophetas nominant. Hos enim, & reliquos libros Hebræi *τὰ ἀγιόγραφα*, hoc est sacra scripta uocant numero nouem, nempe Iob, Psalmos, Solomonis Parabolas, Ecclesiasten, Canticum canticorum, Danielem, Paralipomenon, Esdram cum Nehemia, & Hester. Hi sunt libri quos solos Hebræorum canon agnoscit. quibus licet tot secula intercesserint, Iosephus putat neminem unquam addere, auferre, aut permutare quid ausum fuisse. alij credunt Esdram quibusdam in locis aliquid de suo interseruisse, si quid arbitrabatur rei fore, de qua sermo erat, opportunum. Nam quod scriptura dicit in fine Deuteronomij, Non surrexit propheta amplius in Israel, sicut Moses, quem nosset Dominus facie ad faciem: non est uerisimile, Mosen de se scripsisse.

1. Reg. 4.

2. Mach. 2.

2. Mach. 1.

cap. 2.

4. Reg. 17.

Math. 24.

Act. 2.

scripsisse. & de duodecim lapidibus, quos Iosue posuit in medio Iordani alueo, quod ibi sunt usque in præsentem diem: & de sacerdotibus Dagon, quod ingredienti templum non calcant limen usque in hodiernum diem. Hæc & alia multa non est uerisimile, ut aiunt, primarios auctores scripsisse, sed à Samuele aut Esdra addita. nam hic et aliorum quorundam librorum auctor creditur (tamen non ferant ipsius titulum) præsertim eorum, quorum nescimus alios demonstrare auctores. meo quidem iudicio stultè se fatigant, qui inquirendis sacrorum librorum auctoribus multum operæ consumunt: cum omnium sacrorum librorum oporteat diuinum spiritum agnoscere primarium auctorem, ut iam docuimus: homines uero, non nisi scribas. Si quis enim anxie disquirat de libro Iob, num ipse, an potius Moses, uel alius quispiam eum conscripserit: item de Psalmis Dauidicis, num qui ante eum fuerint compositi, aut à posterioribus additi: quid quæso is aliud bonæ frugis fecerit, quam ut innatam auctoris indolem, aut partem eius labore sapientiâ discat: quemadmodum in Hieremia simplicem rusticitatem, in Esaia magniloquentiam, in Ezechiele ciuilem mediocritatē animaduertimus. Quod autem ad scripturæ solidam, nulliusque patentem calumniæ auctoritatem pertinet, nihil prorsus refert, siue fidelis Domini seruus Moses, siue nequam Balaam, siue homicida Caiaphas, siue etiam asella ipsius Balaam eam protulerit: modo certum sit, diuino impulsu eam fuisse enunciatā. Nam non ab illis qui eos conscripserunt, libri sacri suam habent auctoritatem. Fit enim sæpius, ut qui diuino instinctu sacra in lucem ediderunt, eadem etiam ea scribant, quæ magis ad rerum prophanarum pertinent cognitionem. Nam de Solomone legimus, quod etiam de animalibus, auibus, reptilibus, et alijs id genus differuerit, quæ ad naturalem spectant philosophiam. & Esaia librum historicum, ut superius dicebam, scripsisse traditur: qui si extaret, haud esset numerandus inter sacros, nisi certo certius esset, diuino numine menti eius impressum fuisse, & in lucem editum.

*Qui libri qua ratione Hebræorum canonis non ascribuntur. IIII.*



Ecce mirum uideri debet, si Hebræi aliquos libros, quos tamen ecclesia postea recepit, ab horum numero excludant: id qua ratione factum sit, hic paucis explicabo. Duo hæc, qui sacras scripturas legunt, præcipue præ oculis esse habenda, quæ ueluti scopum sibi proponant, neminem esse puto, quem lateat: nempe totam ueterem legem spectare unum Dauidem, unde finis legis Christus ad iusticiam omni credenti nasceretur: deinde ipsum montem Sion, ciuitatemque Hierosolymitanam, quam ex omnibus locis Deus cultui suo iam à principio deuouerat. quam scripturæ œconomiam qui non animaduertit, is haud satis intelliget uim scripturarum. Quomodo autem ad Dauidem uetus scriptura semper respiciat, satis testatur finis libri

nis libri Ruth. Cum enim in prioribus scripturæ libris, tota hominis genealogia primū ad Noe, deinde ad Abraham esset deducta, atque hinc deinceps de omnibus tribubus tractatū: ecce auctor libri Ruth, relictis cæteris generationibus, solam Dauidis regis lineam contexens, à Phares filio Iudæ enumerare coepit. Videbat, quisquis ille fuerit, omnia quæ scripta essent, ad unum Dauidem, & huius semen referenda, quanquam ipsius Dauidis nullibi adhuc esset mentio facta. post uero cum iam certo Dauidi promissum esset, è sanguine suo illum nasciturum, qui esset hominibus salutem allaturus, nulla ferè scripturæ pagina est, quæ ad Dauidis genealogiam non respiciat: ita ut hinc non solum Herodes, sed & pueri cum mendicis scirent, Christum in carne fore filium Dauidis. Atque hinc est, quod post promissionem huic factam, eorum quæ ad alias tribus spectant, scriptura ferè nihil enarret, nisi quid forte apud eas gestum sit, quod ad totum populum Hebræum, & propterea ad tribum quoque Iuda, Dauidisque posteritatem omnino pertinere uideretur. Sic montem Sion & ciuitatem Hierosolymitanam inter cætera loca uetus scriptura peculiari ratione commendat, ut uere alter scopus sit, ad quem studiosus sacrarum literarum lector debeat properare. hic expulsis Iebuseis, Dauid ciuitatem à suo nomine, Solomon uero templum illud memorabile erexit. A quo tempore, ad montem Sion, ciuitatemque Hierusalem sacræ literæ nunquam non respiciunt, dum toties ad filias Sion & Hierusalem acclamant. Hos duos scopos si præ oculis habes, facile intelliges, qua ratione sacros libros Esdras consarcinarit. eos enim solos suo canoni uoluit ascribere, qui de illis duobus, nempe de monte Sion, & Dauidis semine tractarent. Cum itaque liber Thobiae unius hominis orti ex tribu Neptalim res gestas narret, quæ contigerunt procul in Assyria: liber uero Iudith id solum habeat, quomodo oppidulum Bethuliae per solertiam femine, quæ erat ex tribu Simeon, fuerit ab obsidione liberatum: nemo certe mirari debet, cur Esdras dictos libros non inter sacros libros numerarit. Sed dixerit quis, & ipsum librum Hester (qui tamen ab Esdra inter sacros repositus est) non spectare ad ipsum Dauidem, quod illa de tribu Benjamin sit: nec ad montem Sion, quod ea res gesta sit in Babylonia, aut etiam remotius. Illa, quanquam alterius est tribus, attinet tamen res per illam gesta ad totius populi salutem: proptereaque ad tribum Iuda, ac præcipue ad montem Sion. fuit enim maritus Hester rex ille Assuerus, qui templo iam erecto concessit Iudæis, ut ciuitatem Hierosolymitanam in monte Sion reedificarent: à quo etiam tempore suum habent exordium Danielis hebdomadæ septuaginta. quare omnino res ipsa exigebat, ut hanc historiam inter sacra reponeret. Ne dicam interim, librum Iudith, quanquam Esdræ ætate res ipsa contigit, aliquandiu forsitan post Esdras conscriptum, ut satis aperte indicat eius libri finis: nisi dicas postremam periodum ab aliquo alio postea adiectam. Sed cur Hebræi librum Baruch, & epistolam Hieremiæ non

2. Esdrae.


Dan. 9.

non numerent inter sacros, equidem aliam nescio causam, quam quod scriptura affirmet, quandam epistolam Hieremias, & libros Baruch à rege Ioachim exustos: ac propterea hos qui iam extant, putant suppositivos: cum tamen constet, alium librum cum epistola ab ipsdem postea editum, ubi multa de Christo, nouissimisq; temporibus indicantur. Eadem petulantia historiam Susannæ et Beli, & Puerorum canticum subsannant: tamen si Hieremias rem Susannæ gestam approbare uideatur, duobus iudicium adulterorū nominibus expressis. Ponat, inquit, te Deus sicut Zedechiam & Achab, & c. quin & Beli historiam agnoscit in ea quam iam dixi, epistola, ubi ipsius Beli, & sacrificij quod Chal-  
 10 dæi huic faciebant, meminit. Hanc non omnino esse fictā, arguunt etiam ethnici historiographi, qui asserunt Ninum patris sui Beli imaginem erexisse in omnium facinorosorum salutem, qui ad eam confugissent. Canticum uero puerorū sedentium in medio fornacis ardentis, quod uaticinijs Danielis est insertum, equidem non reperi ullo alio loco inter sacra commemoratū: approbatum tamen est in quarto concilio Toletano. Qui uocantur tertius & quartus Esdræ, in confesso est inter libros sacros non esse annumerandos: quamuis alioqui non sint indigni, qui uel semel legantur: ueluti & illa, quæ partim in Græcis, partim in latinis codicibus inserta sunt libro Hester: oratio item Manasse, quæ nu-  
 20 per reperta dicitur Græcè scripta. Duo uero libri Machabæorū, (nam tertius uidetur planè nihil pertinere ad res sacras) Ecclesiasticus item, et Sapientia, quæ uulgò Solomonis inscribitur, quod non sint in canone Esdræ, quis mirabitur, cum res aliquot seculis post Esdras gestas contineant: ut præteream eas res non statim ab eorum qui gesserant, morte, scriptis mandatas. Ecclesiasticum Hebraico sermone ab auo suo cōscriptū, Iesus filius Sirach edidit, tempore Ptolemæi Euergetis. Hunc dicit se uidisse Hieronymus inter alios libros, sed cui tunc Parabolarū nomen erat inscriptum. Liber Sapientiæ à quo, & quando scriptus sit, penè nescitur: qui tamen scripsit, personam assumpsit Salomonis. pu-  
 30 tant scriptum à præclaro illo Philone, sententiā uero à Solomone mutuatam, sed ut ut est, certum est hos inter apocrypha ab Hebræis poni. Et meo quidem iudicio cæcus est, qui non uidet, qua necessitate perfidi Hebræi tam pertinaciter proximè dictos libros reiiciant. Si enim ipsos quos in ordinem digessit Esdras, & hos adiungerent, eodemq; honore cum alijs haberēt, certe cum hi ultimi sint, et post hos populo Hebræo amplius ne litera quidem accreuerit, quæ illis de uenturo illo Messia testaretur: necesse haberent fateri, quod post res gestas his libris comprehensas singularis aliqua res contigerit, quæ in causa sit, quo minus res Hebræorū gestæ, ut solent, scriptis amplius mandarent. nempe quod  
 40 intercessor ille in orbe apparuerit, cuius aduentū scriptura expectabat. Hæc itaq; causa est, cur Hebræi hos libros inter apocrypha ponant: nō quod sint falsi, sed quia dicunt non esse ipsis certum, in decidendis con-

trouersijs

trouersijs diuinam hos habere authoritatem. qui uero quantæ sint authoritatis, uel inde licet deprehendere, quod non solum horum authorum res prophetas ipsos accommodatissime citent, sed etiam ab alijs, atque adeò ab ipsis euangelicæ religionis scriptoribus identidē uel aperte, uel per allusionem in testimonium assumantur. ut quod Christus ex quarto libro Esdræ adducit: Ita uos collegi, ut gallina pullos suos sub alas suas. Et Paulus illud ex eodē, Quid fecisti Adam: etsi enim tu peccasti solus, non factus solius tuus casus, sed & noster, qui ex te aduenimus. Idem ex libro Iudith: Qui improperiū murmurationis suæ contra Do-  
 10 minum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore. & Iacobus ex Ecclesiastico, quis est qui non deliquerit in lingua sua: & Paulus ex eodem, Quasi lutū figuli in manu ipsius. Ex Tobias libro Ecclesiasticus sumpsit, Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & c. & author Apocalypseos illud, Portæ Hierusalem ex saphiro et smaragdo ædificabuntur, & c. Ex secundo Machabæorū Ioannes meminit festum Encæniorum. Hæc et similia passim inuenies apud scriptores euāgelicos. Vnde patet, quantū ueteres his libris tribuerint, & quàm non sint contemnendi, etiam si eos Hebræi paruipendant.

Qui libri, quæ ratione, à septuaginta sint translati. V.

20  Equitur nunc ut de sacrorum librorum interpretibus dicamus. Quemadmodum olim populum Israeliticum à cæteris omnibus nationibus Deus sibi selegerat, ita res huic populo sacras non uulgari, sed propria quadā lingua uoluit tradi. Vnde factum est, ut per aliquod tempus diuina lex populo Iudaico permaneret peculiaris: nec prius accessus ad hanc ethnicis sit datus, quàm peregrinis scientijs uehementius dediti, nullum sinerent lapidem quietum, donec & huius disciplinæ scientiā degustassent, ne (cum omnia tentarent) huius disciplinæ omnino rudes uiderentur, quamquam solidam genuinamq; eius intelligentiam assequi semper non qui-  
 30 uerint. Sic Homerus & Hesiodus, si Iustino credimus, imò Orpheus & Linus, ut testatur Aristobolus, & his frequentius Aristoteles, Plato, antiquissimusq; Pythagoras non pauca hinc sumpsere, quibus sua scripta adornarunt firmaruntq;. qui an Hebraicè norint, an Græcè translata legem intellexerint, aut alio modo didicerint, incertum est. Nam præterq; quòd lex Mosaica ducto in exilium populo, sit Assyrijs tradita, fuerunt etiam ante Persarum in Babylonia imperium, teste Ari-  
 40 stobolo, qui uerterunt Pentateuchum in linguam Græcam, quo res tam præclara omnibus foret familiarior. quod & ipse Demetrius, qui regis bibliothecæ curam susceperat, affirmasse legitur, dixisseq; regi, uidi-  
 disse se quædam, quæ perperam translata passim suis temporibus circumferebantur: quæ usque adeò admiraretur, ut ea quàm maximè digna iudicaret, quæ regis bibliothecæ adiungerentur. Notius est, quàm sit necesse, ut hic reperam, Ptolemæum Philadelphum à Demetrio

Iustinus  
aduersus  
gent.  
Euseb. lib.  
3. præpa.  
euan. cap.  
7.  
4. Reg. 17.  
Euseb. lib.  
13. cap. 7.  
Euseb. lib.  
8. cap. 1.

Iosephus  
12. Anti.

admo.

admonitum, literas ad Eleazarum Pontificem cum magnis muneribus, et templi donarijs misisse, delectis ad hoc negocium, Aristeo quodam & Andrea familiaribus suis, sed ethnicis. Literarū autem summa hæcerat. Quoniam iam magno desyderio rex detineretur, ut aliquando libros Iudaicos in linguam sibi notam uersos uideret, neque id commodius fieri posse putaret, quàm si ab ipsis Iudæis libri transferantur: se obnixè petere, ut ex singulis tribubus sex seniores non minus sapientia & moribus, quàm linguarum peritia ornatos, Eleazarus deligeret, & cum lege ad se mitteret, qui eam uerterent in linguā Græcam: ne cum suam bibliothecam cuperet instructissimam, his Iudæorum libris caret. quibus tam æquis atq; honestis optimi regis postulatis Eleazarus satisfaciendum ratus, ne si regi hanc operam denegasset, etiam ipsi Deo regij cordis gubernatori repugnare uideretur: uiros non ex solo genere sacerdotali, sed ex duodecim tribubus septuaginta duos (quanquā uulgò nisi septuaginta nominamus) ad regem mittit. Verum hi quo spiritu uerterint, magna inter doctissimos homines dissensio est. Nam Iosephus & Hieronymus affirmant, habito inter se consilio, & ingenio humano id factum. contra Ireneus, & ille inter Græcos Hebraicè et Syriacè peritissimus Theodoritus, atq; ex Hebræis Iosephon, Iosephi abbreviator: qui regem aiunt, ne inter se conspirarent, separari eos iussisse, & cellulis in insula Pharo non longe ab Alexandria extructis, quarum uestigia scribit Iustinus sua etiam ætate extitisse, & oculis uidisse, singulas (ut Philastrius et Imperator Iustinianus scribunt) duobus attribuisse, ut ita alter alterum exciperet dictantem, omnesq; uno atq; eodē die, nempe septuagesimo secundo, à quo incoeperāt, ipsum negociū, quod planè testantur Hebræi, absoluisse. postridie eius diei rex omnes in basilicam conuenire, & quod uertissent, coram conuocata ad hoc tum Iudæorum, tum ethnicorum multitudine proferre iussisse. Inuentaq; hic fuisse interpretum tanta concordia, ut ne in minima quidem dictione discrepantia aliqua esset: cum tamē librum unum secare in partes, sparsos in ordinē redigere, innumera loca mutare & liberius uertere, Græcas uoces novas fingere, ut Hebraici sermonis proprietatem aptius exprimerent, & libris & psalmis novos titulos inscribere, ut Philo testat, non uerent. Addit his Aristæus, ut testatur Freculphus, Hebræos annuente rege maledixisse more Iudaico, si quis addiderit, subtraxerit, mutaueritq; aliquid. atq; ab Iudæis regem rogatū, ut hæc traductio præsidibus quoq; daretur legenda. regē uero præter hoc promississe, diem, quo ad eum diuina scriptura fuerat allata, perpetuis temporibus sibi fore solennē. Hæc si uera sunt, nō potuit certe sine miraculo fieri, ut sic omnes in unam sententiam conuenirent, ac si eam translationē nomine omnium unus fuisset fabricatus. Sed quid non potest spiritus diuinus, qui quod humano deest ingenio, cum opus est, suggerit: Ptolemæus et si nihil aliud ab his uideatur expectasse, quàm ut eam uersionem appro-

Ireneus 5. aduer. hæref. Theodoritus in Genesim. Iosephon de excidio Hierosoly. Philastrius de hære. In auct. de Hebræis, quomodo eos oporteat sacros libros legere.

Philo in Chronico. Freculphus to. 1. lib. 5. cap. 1.

baret, in quam plures conuenissent: (eam enim mentem fatis indicat in epistola ad Eleazarum) uoluit tamen & eadem opera spiritus futuræ suæ ecclesiæ consulere, ut Hebræis sequenti tempore scripturam sacram ueneno suo inficientibus, haberet semper ecclesia hanc uersionem, qua non aliter quàm Lydio lapide uteretur. Quin etiam ipse Eusebius tam luculenter docet, hanc translationem diuina prouidentia institutam, ut uix uideam, cur de hac quis debeat hæsitare. Quid uerò Augustinus de his sentiat, non opus est ut referam, qui nunquam non dictos interpretes prophetico spiritu illustratos auerat: sed omnium copiosissimè Imperator Iustinianus in ea nouella, quam condidit de Hebræis, quomodo oporteat eos scripturas legere: ubi & multis alijs rationibus docet, horum interpretationem cæteris omnibus esse anteponendam. Nemo tamen hoc ita intelligat, ut putet hanc uersionem sufficere, & propterea Hebraicam originem reiiciendam, sed (ut teste Tertulliano Ptolemæus fecit) potius utranque coniungi debere: quòd illa huic nostræ translationi auctoritatem, hæc uero Hebraicæ ueritati multum addat lucis & perspicuitatis.

Euseb. lib. 8. cap. 1.

Tertul. ca. 19. aduers. gent.

Est & de libris dissensio, quos hi transtulerint. Nam Hebræi solum Pentateuchum ab his traductum contendunt. ad huius rei probationem testem citant Aristæum: (hunc dixi alterum fuisse legatum, qui rem gestam pulcherrimè literis mandauit) Hoc planè affirmat Iosephus, & abbreviator huius Iosephon: ad quorum opinionem diuus Hieronymus quibusdam in locis accedit, præsertim ubi translatio nem iuxta Hebraicam ueritatem ante aliam commendat, nimirum causæ suæ seruiens. Alijs in locis ferè contrà sentit, in commētarijs potissimè, quos amplissimos scripsit in Prophetas. Sed & illud ad opinionis suæ confirmationem sumunt Hebræi, quod Ptolemæus scribens Eleazaro, nihil præter legem poscat: qua uoce non nisi Pentateuchum ipsi intelligunt. Rursus & illud, quod (ut etiam Christiani fatentur) suam uersionem absoluerint diebus septuaginta duobus. quod tam breui tempore facere non potuissent, si uniuersum Hebræorum canonē uertissent. Verum omnia hæc Iudæos ex innata sibi pertinacia dicere, multis ex rebus uideri potest. Ptolemæus enim non solum rerum politicarum, sed et omnium librorum cupidissimus erat, cuiuscunq; etiam essent argumenti. quare cum bibliothecæ suæ diligenter adornandæ libros Iudaicos addere uellet, an quisquam tam barbarus, & rerum imperitus sit, qui dubitat, quin ipsos prophetas, aliosq; sacros libros simul poposcerit: cum præsertim, non solum Pentateuchi, quam hi legem uocant, sed & aliorum librorum mentionem Demetrius apud regem fecisset. Præter leges, inquit, disciplinam etiam Hebræorum perutilem sibi uideri, ut bibliothecæ interferatur. Vbi (si per legem τὸ πρῶτον tantummodo uelint intelligere) necessum est, ut ipsos prophe-



tas, & alios hagiographos significarit uoce disciplinæ. Iam quod apostoli, & euangeliographi prophetas & alios iuxta Græcanicam uersionem citent, contra Hebræos facit. Non enim huic translationi tantum tribuissent honoris, si eam non sciuisent à præclaris illis duobus & septuaginta uiris profectam. Porro, quod uoce legis Hebræi dicunt solos quinque Mosi libros designari, neque hoc semper uerum est, quanquam id per antonomasiam sæpius fiat: alioqui frustra (quod tamen & à Christo, & euangelistis factum uidemus) nomen Mosi legi adderetur, cum sufficeret dixisse absolute. Christus certe nomine legis absolute sumpto, totam ueterem intellexit scripturam. Vt impleatur, inquit, sermo qui in lege eorum scriptus est, Odio habuerunt me gratis: quæ uerba non in libris Mosi, sed scripta sunt apud Psaltem. Sic alijs multis in locis inuenies, si non additum fuerit nomen Mosi, aut alia dictiuncula, quæ inter hæc distinguat. De qua, quæso, scripturæ partem puras Iacobum locutum, cum diceret: Quisquis totam legem seruaauerit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus: An quis neget, hunc locutum de noua etiam religione: Iam quod Christus dicit apud Lucam, Facilius est cælum & terram præterire, quàm legis unum apicem excidere: item apud Matthæum, Donec prætereat cælum & terra, iota unum aut apex non præteribit ex lege, quoad omnia facta fuerint: quis tam cæcus, qui non uideat, Christum hic non tam Pentateuchum quàm prophetas & psalmos intellexisse?

*Quas ob causas oportuit scripturas ante Christi aduentum transferri in aliam linguam. VI.*



Vam autem necessarium fuerit ut arcanæ literæ omnes in aliam linguam ab his uerterentur, satis docent hæ rationes, quas paucas è multis proferam. Nulla scriptura æquè facile corrumpi potest, ac Hebraica, tum propter multarum literarum summam affinitatem, tum propter punctorum, quæ Hebræis loco uocalium sunt, & alio situ aliam uocalem signant, facilem transpositionem. Nulla præterea lingua æquè laborat ambiguitatibus, non ob id tantum quod sæpe ipsis eisdem characteres, si addas diuersa puncta, diuersas res significant: sed ob hoc, quod cum ea lingua præ cæteris paucissima habeat uocabula, necesse sit per uoces planè easdem significari res plures, difficileque cognoscere, quo in sensu author uocem usurparit. Sed & quia post exortam ecclesiam futurum erat, ut paulatim ea gens deueniret ad optimarum rerum ignoracionem, adeo ut neque propriam linguam satis essent cognituri, in ijs præsertim rebus, quæ plebeijs hominibus essent reconditæ, aut usus rarioris: uoluit diuina prouidentia, ne aliquando sanctissimi idiomatis mysteria interirent, prouidere, ut cum ab Hebræis amplius non liceret, à septuaginta interpretibus disceremus genuinum & uerum scripturæ sensum. Videbat etiam omnium rerum prouidus Deus, Iudæorum quorundam pessimum animum: & horum

rum etiam scribas (quanquam illis Deus diligenter uetuisset, ne quid de scripturis immutarent) eò audaciæ et impudentiæ tandem processuros, ut loca innumera, ea præcipuè quæ de rebus loquuntur grauissimis, corrigere, ut ipsi dicunt, at re uera studio & data opera deprauare non uerentur. Et certum est, ante ætatem Hieronymi ab ijs iam hoc factitatum: nam ipse plusquam uiginti locis deprehenditur, dum uertit scripturas, codices sic deprauatos sequutus fuisse. Imò & ante sua tempora hoc esse factum, satis indicat ipse Origenes, cum dicere solet, illud tandem ex Hebraicis sumptum literis recipiendum, & admitendum, quod uertissent septuaginta. Sed longè antea particulas quædam præciderant, ut testatur Iustinus, cum Tryphoni Hebræorum nobilissimo doctore, loca quædam prophetica obijcit; quæ Iudæi à scripturis iam absceiderant. Sed & Hebræi hoc ipsum fatentur, factum ante natum Christum, post tamè septuaginta. nam Doctores, qui ætate Christi scripserunt, fatentur secutos se eiusmodi scribarum, ut ipsi dicunt, correctiones. Sed deprehenduntur etiam post ætatem Hieronymi, sic deprauasse multa. ut eum locum in Psalmis, quem Hieronymus uertit, Foderunt manus meas & pedes meos: ipsi, ne cogantur Messiam crucifixum agnoscere, unius uerbi mutatione sic peruertunt, ut significet, Sicut leo manus meas & pedes meos, subintelligentes Obseruauerunt. nec uicio sibi hoc uertunt: quin magis de hoc gloriantur, à scribis sumpto quodam prouerbio: Bonum est, inquit, literam unam auferre è lege, ut publicè sanctificetur nomen cæli. quo significant, ea ratione plura à se sic, ut ipsi dicunt, correctæ, ne scripturas ethnici homines deriderent, aut ex Iudæis plebeijs offenderentur, si diuini consilij celsitudinem, quod de genere humano liberando spiritus in scripturis aperuit, non possent comprehendere. Has ob causas necessum fuit scripturas, priusquam à Iudæis corrumperentur, in peregrinam linguam transfundi. Quod iam factum molestè ferentes, nunquam non hanc translationem inuidiose criminantur: diligentius quæ Pentateuchum (cuius uersionem libenter fatentur à septuaginta factam) perscrutati, tredecim loca peculiariter annotarunt, quæ ab Hebraico textu discordarēt: præter hoc, quod & ipsum scripturæ initium licentius uersum clamitent. Quæ res (ut obiter hoc dicam) ambiguitatem facit, an hæc Pentateuchi, quæ uersatur in manibus, sit translatio septuaginta, eo quod multo plura loca, quàm Hebræi annotarint, inueniamus in ea translatione ab Hebraico textu discordare: & contra, eorum quæ Hebræi annotarunt, multa non inueniantur in ea translatione.

*Iosephus de excidio Hierosoly.*

P 2 Post

Post septuaginta interpretum translationem, suas primum  
Hebræi scripserunt *Αδελφώσις*. VII.



Ed contemnant Hebræi, quantum uelint, septuaginta interpretum translationem: hæc certè translatio occasionem præbuit doctoribus ipsorū (ipsi Scribas uocant) ut cum prius rerum sacrarū interpretationes siue plebi, siue electis è populo, sed tantūmodo suæ nationis hominibus, magisq̃ uiua uoce, quam scripto, religiofissimè ueluti per manus tradere cōsueuissent, eas iam inciperēt etiā peregrina lingua liberius cōscribere, exterisq̃ hominibus cōmunicare. hæc scripta *Αδελφώσις* uocabant, hoc est secundas, iteratasq̃ legis explanationes, quo nomine Eusebius, & Hieronymus horū commentariorū sæpius meminerūt. quod nominis nō alia ratione cōmētarij illi sortiti sunt, quā qua septuaginta interpretes quintū librū Mosis Deuteronomiū uocarunt, hoc est alteram legem. nempe quòd quemadmodū Moses quatuor libros priores in hoc ultimo repetit, & explanat, ita per suas *Αδελφώσις* Scribæ ea, quæ à Mose & prophetis uiderentur non satis clarè expressa, populo dilucidius interpretarent. Primus omnium post septuaginta hoc opus aggredi ausus fuit Iesus filius Sirach, qui, ut suprā diximus, sub Euergete Philadelphi successore aui sui librum (quem uocant Ecclesiasticū) in gratiā regis è Græco conuertit. Post hunc fuit audētior hac in re temporib. Ptolemæi Philometoris Aristobolus, non ille cuius meminit principiū secundi Machabæorū, sed alius uetustior. Hic integros & doctissimos (nam præter Hebræicarum rerum peritiā, etiam Peripateticæ scholæ philosophus erat) in quinque libros Mosis cōmentarios dicto Philometori dicauit. Post quē dicūt, et quendā Rabbi Iodam, post hunc Rabbi Ibbā nō pauca edidisse commenta, quorū fragmenta etiam nunc extant. Sed omnium præclarissimè in hoc negotio laborarunt illi, quos schola Hillelis peperit, anno ante Christum natum circiter centesimo. Hebræi magnæ synagoge uiros uocant. Hinc enim prodijt Simeon Iohai, qui author est eius libri, qui inscribit̃ inuestigator arcanorū: et Iudas Simeonis, qui ad Antonium consulē Romanum misit libellū, cui titulus reuelator arcanorum: & Nehumia Haccane, qui filio scripsit libellū, cui titulus Nunciū arcanorū. in quo planè affirmabat, Christum intra annos plus minus quinqueaginta adfuturū. Ex huius scholæ sodalitiō prodijt & ille omnium iudicio præclarissimus Ionatas Vzielis, qui (ut & oriētales nationes res sacras sua lingua legerent) non minori ferè libertate, ac ipsi septuaginta, uniuersam cōnōnicā scripturam in linguam Chaldaicam transtulit, annos ante Christum natum circiter quadraginta. quo ferè tempore & Simeon Hillelis egregia quædam scripsit, quæ etiam <sup>40</sup> num reperiuntur: ille ni fallor, qui Christo quadagesimo die à natiuitate in ulnas accepto laudauit Deum. Post hunc uero, et huius filius <sup>40</sup> Gamaliel legis explanationes edidit, ad cuius pedes Paulus educatus <sup>insti-</sup>

Luc. 2.

Act. 22.

institutusq̃ fuit. Prætereo interim Iosephum & Philonem, qui coruscante iam euangelio nihil non Hebræicorum dogmatum disertissimè Græca lingua scriptis libris, citrà inuidiam cunctis toto orbe hominibus communicarunt.

Noui testamenti libri qui, à quibus, qua lingua, & quo ordine sint conscripti. VIII.



Actenus de ueteris instrumenti scripturis. Nunc ad libros, quos noua secum aduexit religio, transeamus. super quibus apud quosdam plus satis curiosos nō minor disceptatio est, ac de iam dictis apud Iudæos: dum nimis anxie inquirunt, non solum qui, & quot sint, uerum etiam qua lingua, & à quibus conscripti. horum desiderio ut satisfiat, quid ego hic sentiam, paucis dicam. Linguarum aliam esse alia præstantiorē, atq̃ ad animi conceptum exprimendum, uberiorem, uel etiam ipsi notū est, qui præter uernaculam addidicere solam linguam latinam. Verum inter omnes alias, quæcunq̃ esse possunt, hæ tres, nempe Hebræa, Græca, Latina, præstantiores sunt, quippe quæ etiam diuino iudicio omnium sunt perfectissimæ, & sacris rebus conscribendis aptissimæ. Nam quid aliud sibi uelit titulus ille Hebræicè, Græcè, Latinè cruci affixus, nisi quòd illis potissimum linguis Deus sacras literas tradi peculiariter uoluit, certe ignoro. de concionibus nō loquor. Dixerit aliquis, hanc ob causam id factum, ut quod scripserat Pilatus, tam Græci quàm alij, qui eò se contulissent, intelligerent. Si nulla alia sit causa, mirum certe, quare nō eadem opera Chaldæorum, & Parthorum idioma adiunxerit, cum hi, & Medi, eorumq̃ finitimi frequētiores essent eo tempore Hierosolymis, quàm aut Græci, aut Latini. Sed quanquā hæ tres maximè (ut iam dixi) sint idoneæ, & communi hominum iudicio præcipuè Hebræa, est tamen lingua Græca ante alias, sacris nouæ religionis conscribendis libris magis accommoda: nō solum quòd hæc semper fuit toti ferè orbi familiarior, sed etiam ob id, quia Deus iam olim curauerat ueterem scripturā à septuaginta in Græcam linguam transferri, ad quam, sicubi dubitaret Hebræus, ut ad Apollinis oraculū accederet. Huic sententiæ suffragatur illud, quod nouæ religionis præcones omnia sua Græcis literis mandarunt. Neque enim dubium est, (quia præter Lucam omnes erant Hebræi) si linguam Græcam nouæ religioni plantandæ non iudicassent magis idoneam, quin sua usi fuissent. Verum cum euangelium nō uni populo, ut olim lex uetus, sed omnium hominum nationibus esset exarandum: profectò eo idiomate id scribi oportuit, quod eo tempore magis erat toto orbe cognitum, Græco scilicet: quippe cuius scientiam omnes tunc affectabant, tam propter Atheniensem præclaram academiā, unde omnium nationū philosophi quotidie prodibant, quàm ob longè lateq̃ traductas ex Græcia colonias: & potissimum ob Macedonū olim monarchiā, quorum nepotes, non sine linguæ cognitione, adhuc

1047. 19.

Act. 2.

in omnibus eius imperij angulis morabantur. hac certe lingua usi sunt omnium confessione, Lucas, & Ioannes: Lucas uero omnium purissime. Sunt qui putant Marcum latinè scripsisse: sed eorum opinio iam dudum uincit, qui & hunc scripsisse Græcè affirmant.

At qua lingua Matthæus usus sit, maiori ratione multi dubitant. Sunt qui affirmant hunc Hebræis Hebraicè scripsisse: & Panthenum doctorem Alexandrinum sub imperatore Commodò, euangelizandi causa profectum ad Indos, hoc euangeliū relictum ibi à Bartholomæo Hebraicis scriptū literis, ad suos regressum secum detulisse. Sunt etiam qui asserunt, ipsum *πρωτότυπον* in sepulchro diui Barnabæ repertum. Hæc an uera sint, soleo plerunque dubitare, cum nemo scriptorum alicuius authoritatis scribat (quod equidem meminero) se illud unquam uidisse. nam quod Sophronius dicit, ad sua usque tempora Hebraicum euangeliū in bibliotheca Cæsariensi à Pamphilo seruatū, Hieronymus hoc non ad Matthæi, sed Nazaræorū euangeliū refert, quod & sæpe citat, Matthæi autem Hebraicè scriptū nunquā. Equidem certe nescio, quid Matthæum induxisset, ut hic potius, quàm alij, Hebraicè scriberet, cū ipsi Æthiopes, quorū erat apostolus, huius idiomatis omnino essent ignari: nec erat magnopere necessariū, ut scriberet Hebræis euangeliū, cū ipsi quotidiana fama eas res iam satis nouerāt. Nec, si Hebræis peculiariter scripserit, mirari debemus, quod Græcè scripsit, cum & Iudas, et Iacobus, & Petrus, ipsis Iudæis nō suo idiomate, sed Græcè scribāt. Quid quod multo minus hebraismi sit in Matthæo, quàm in illis: imò etiam minus, quàm in Ioanne aut Marco. Quod sint (ut Theophylactus) qui affirmāt euangeliū quod Matthæus scripsit, à Ioanne postea in Græcū uersum: hi mihi dicāt uelim, cum Ioannes tam multas Hebræas & uoces & phrasas in suo euangelio usurparit, quod omnium cōfessione Græcè scripsit, cur nō & in eo euāgelio, quod ex Hebraico idiomate uertit, eiusmodi & uoces & phrasas retinuisset? Nisi fortè una uox Racha, qua utit Matthæus, te moueat, ut ideo putes ipsum scripsisse se Hebraicè: quod argumentū quàm languidū sit, ex eo est intelligere, quod uocem gehennæ, quæ æquè aut magis etiam Hebraica, cæterisq; linguis incognita est, usurpet Marcus, Lucas, & Iudas, quos tamen nemo dicit scripsisse Hebraicè. Et æquè facilè quis dixerit, primū à Matthæo Græcè scriptū, deinde à Ioanne aut alio in Hebræorū gratiā translatum. Si quod argumentū adduci potest, quod Matthæus Hebraicis literis suum euangeliū composuerit, illud erit, quod non sequat septuaginta translatorū authoritatē, sed ueritatē Hebraicam. Verum utcumq; hæc sunt, illud certe quo Latini iam olim utunt, liquet nō ex Hebræo, sed Græco conuersum esse. quod uero nuper Hebraicè prodijt, tanq; Matthæi, nō esse eius, nec ipse titulus diligenter animaduersus dissimulat. Ante Lucam, euāgelia cōplures neq; falsò neq; ineptè scripsisse, indicat idem in procemio: sed sola hæc quatuor diuinā habēt authoritatē.

Sic

Sic et Paulum constat alias epistolas scripsisse, quàm illas quatuordecim, quæ pro sacris circumferunt. nam in priore ad Corinthios indicat, & antè se ad eos scripsisse. Illarum putant nonnulli duas esse supposititias: unius, quæ est ad Philemonem, argumēti humilitate: alterius, quæ est ad Hebræos, phrasas lenitudine offensi. quod ad priorem attinet, nō uideo quid habeant causæ, nisi fortè quòd superbissimi nequeāt ferre in ea epistola Paulinā modestiā, ubi pro seruo, nō sine furti suspitione fugituo, apud dominū intercedit, cū tamen quantū eius rei argumētum admittit, ubiq; ibi Paulinus spiritus emicet. Quod uero ad eam quæ est ad Hebræos, attinet, ut forsitan nō sit indigna Pauli eruditione, propter orationis tamē lenitatē ( fateor ) non respōdet feruido illi Pauli no spiritui. hac ratione moueant hi, qui hanc Clemēti, aut alij cuipiā ascribūt. sed & ad ætatē usq; suam Hieronymus ait, à Romanis hanc nō fuisse agnitā pro Paulina. Facile meo iudicio is hoc dubio se liberabit, qui diligentius Paulinas epistolas euoluerit. Scripsit, ut ibi uidere est, Paulus sua manu nisi unas literas, nēpe ad Galatas. hoc satis indicat literarū finis, ubi sic loquit: Videtis quanta uobis epistola scripserim mea manu. Cæteras scripsere amanuēses, ut testat ad Romanos: Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolā. Quarundā tamē calci affixit salutacionem sua manu, ut ad Corinthios: Salutatio manu mea Pauli, Si quis non diligit Dominū, &c. sic ad Colossenses. Hic uides, dictā di rationē Paulo fuisse familiarē, quæ duplex est. nam alio modo uir doctus dictat amanuēsi indocto, qui ex ore dictātis singula uerba excipit: alio modo doctus docto, & præsertim familiari, gnaroq; ingenij affectionisq; suæ, cui ueluti festinans ad aliud negociū, non uerba ipsa, sed sententiā duntaxat animi enarrat, ut is eandē seorsim redigat in scripta, quæ sit mox à dictatore recognoscēda, corrigenda, minuenda, augenda ue. Et priori quidem modo arbitror cæteras epistolas amanuensibus à Paulo dictatas, atq; ideo eas omnem Paulini spiritus uim & impetū, etiam in latinum uersas præ se ferre. Cæterum, si eam quæ est ad Hebræos, Paulus secūdo modo dictarit, quid mirū, si in epistola Paulinæ eruditionis nō sit Pauli phrasis: quippe quā scriba impar acumini feruoriq; Pauli, accepto ab eo orationis argumento, suo ipsius loquendi artificio ornarit? Sed & quæri solet, qua lingua hæc exarata primū fuerit. leuior quæstio, & à me (ubi agebam de euangelio Matthæi) satis explanata. Si Hebraicè sit composita, miror quid ueteris scripturæ testimonia secundum septuaginta translationem citet. ut interim taceam, quod minus hæc habeat Hebraismi, quàm ulla aliarum, quas tamen nemo dubitat à Paulo Græcè scriptas.

Quod uero ad nouæ scripturæ ordinem attinet, constat euāgelia quo ordine edita sunt, eo & constituta esse. Sed epistolæ Paulinæ curiosiores quidam inuestigant, quo ordine scriptæ sint. Equidem considerata Pauli peregrinatione, arbitror (si locorum, ex quibus scripsit, ra-

tionem habeamus & temporis) epistolarum quæ extant, primam esse eam, quæ ad Corinthios prior scripta est: secundam, quæ ad Titum: tertiam, quam priorem scripsit ad Theffalonicenses: quartam, quam postea ad eosdem: quintam, quæ ad Romanos est, omni sapientia plena: sextam, quæ posterior ad Corinthios scripta est: septimam, quæ prior ad Timotheum. Et has quidem omnes, priusquam Hierosolymis comprehenderetur. Romam uero cum duceretur, scripsit, ut mihi uidetur, uix ingressus Italiam, eam quæ ad Hebræos est. è Roma autem illam, quæ ad Colossenses, quæ ad Ephesios, & Philemonem, et has quidem è uinculis: sed solutus uidetur misisse ad Galatas, nempe stigmata memorans, non uincula. Sed & ad Philippenses è Roma iam senior, quantum uidere mihi uideor, nempe cum reuersus ex Hispania rursus litteretur Neroni. at eam quæ est posterior ad Timotheum, liquet conscriptam ultimam omnium, cum iam illi ætas esset quasi exacta, & dies resolutionis instaret. Verum mirantur quidam, cur alio ordine quam sint editæ, in sacro scripturæ uolumine habeantur. temerè & casu quodam eas ita congestas arbitrari, nephas omnino esse putant. Nam si sacris litteris ne apex quidam sit frustra appositus, quomodo ipsa ordinis ratio, quæ ut multum in omni re, ita & hic plurimum habet momenti, poterit tanquam numinis exorsu superuacanea uideri? Aiunt nonnulli, primitiuae ecclesiæ patres ad ipsarum literarum respexisse dignitatem, ut quæ dignius contineret argumentum, eidem priorem etiam locum attribuerint. Qui quam recte dicant nescio, cum ea quæ ad Galatas scripta est, meo quidem iudicio humiliter argumentum tractet, quam eam quæ ad Ephesios, Philippenses, & Colossenses. ea certe quæ est ad Hebræos, maximè omnium sublimes res tractat. Sunt qui putant, has iuxta eorum uirtutes ad quos scriptæ sunt (ut est in hac, quam illa natione, plerumque uirtus magis perfecta) gradatim ascendendo in ordinem redactas, ut qui inter eos essent maiore laude digni, nouissimum occuparent locum: ac propterea primo loco positam eam quæ est ad Romanos, quod hi essent ante alios magis increpandi. Nam hos, præterquam quod turpia obijciat flagitia, præterea in scitè arguit. Corinthijs non tam uitia, quam quod lenius aliorum uitia fouent, exprobrat. Galatas non tam arguit, quam commiseratur, quod uersutis pseudapostolis credidissent. Ephesij tantum admonentur, ut in apostolica fide pergant. Philippenses etiam laudat, quod falsos apostolos ne audire quidem uoluerint. Theffalonicenses uero in utrisque litteris magna laude prosequitur, quod non solum fidem seruassent inconcussam, sed & aduersus iniustas persecutiones fuissent constantes. Ad maiorem laudem attinet, quod Colossensibus scribens, nunquam sui aduentus facit mentionem, ut qui iam per se satis diligentes, calcari non indigerent. Quantum laudet Timotheum, de functione sacerdotali bene gesta, uidere licet in utraque epistola: ita tamè, ut iuuenilem animum, & leuem aliquam susceptæ gratiæ negligentiam, si non

Primus  
in epistola  
ad Rom.

si non illi obijcere, certe metuere in eo uideat. quod in litteris ad Titum minime facit. Hebræos uero laudat ante omnes, quippe qui non solum uincitorum casum dolerent, sed & ipsi cum gaudio persecutiones, bonorumque suorum direptionem æquo animo tolerarent.

Hactenus de epistolis Paulinis, nunc ad aliarum auctores transeamus. Hæ numero sunt septem, ob id canonicè dictæ, quod reiectis plerisque alijs, hæ noue scripturæ canoni sint ascriptæ. Prima, est Iacobi: duæ sequentes, Petri: tres, Ioannis: & ultima, Iudæ. De prima sunt qui dubitant, num sit Iacobi apostoli: quoniam se non apostolum, sed seruum Iesu Christi (quod nomen tunc penè familiare fuit omnibus ecclesiarum rectoribus) appellat. Verum quia scribit toti Iudæorum generi, innuit episcopalem super eam gentem sollicitudinem. Græcè hanc fuisse scriptam, nemo refragatur. Eadem lingua scripsit suas Petrus: quamuis sint qui ambigunt, num secunda Petri sit, sed stolidissimè meo iudicio. Nam si non Petri, certe nequissimi cuiusdam nebulonis sit, oportet, qui se Simonem Petrum, & Iesu Christi apostolum nominat, & priorem ad eosdem scripsisse, & Christi transfiguratione affuisse affirmat. Quod de phariseos discrepantia obijciunt, faciunt suo more. nam et Hieronymus id in interpretem reijcit, quod tum Petrus satis infeliciter est usus. Simili ratione quidam asserunt, duas postremas (nam tres sub illius nomine Græcè scriptas habemus) non esse Ioannis apostoli, at cuiusdam presbyteri, cuius sepulchrum Hieronymus scripsit ostendi iuxta sepulchrum Euangelistæ. Miror cur tam facile propter uocem presbyteri offendantur, cum & Petrus eo cognomine gloriatur: ut præterea, si ætatem spectes, peculiariter nomen hoc Ioanni congruere, quod omnium apostolorum diutissime uixerit, & epistolas has extrema ætate conscripserit. Eadem ratione dubitari posset, quis septimæ epistolæ author sit, cum se tantum seruum Christi, & non apostolum nominet. Nam quod addit fratrem Iacobi, dubium non aufert, cum (teste Egesippo) multi eius nominis fuerint Christi discipuli. Hæ septem, quo tempore scriptæ sint, incertum. hoc autem constat, Paulum multas iam emisisse, antequam Petrus exararet secundam: quia in ea honorificam facit mentionem epistolarum Paulinarum. Sed & suas uidetur Ioannes tardius scripsisse, & post euangelium. nam hoc indicant crebræ ad ea quæ in euangelio dixerat, allusiones. De Actis apostolorum non opus est ut dicam, cum hæc apud omnes apostolicam semper habuerint auctoritatem. stylus ipse facile prodit authorem, ut qui elegantissime inter ceteros euangeliographos Græcè scripserit.

Restat unus liber Apocalypseos, qui uulgò creditur scriptus à Ioanne, priusquam scriberet euangelium. hunc tamen dicit Hieronymus ne sua quidem ætate à Græcis receptum, imò eruditissimos argumentum huius libri, ceu fictum multis conuicijs infectatos: potissimum hanc ob causam, quod nihil haberet apostolicæ grauitatis, nec Ioannis modesti conueniret, ut qui hic non citra arrogantiam sapiuscule suum nomen inculcet, quod

quod nullibi in euangelio fecisse inuenitur. Qua de re quid sentiam, dicam liberè. Hic liber quanquam Græcè, ab Hebræo tamè conscriptus est. sumit enim, quod Hebræis familiare est, ab ipso titulo sui libri exordium: & hoc à uoce apocalypseos, Græca quidem, sed quam teste Hieronymo septuaginta interpretes primum inuenerunt, ut sermonis Hebraici proprietatem melius exprimerent. Interferit præterea Hebraicas quasdam uoces citra euidentem necessitatem: quod author non uideatur fuisse factururus, si fuisset germanè Græcus. Verum quod affirmant hunc librum non esse Ioannis apostoli, quòd in uetustis codicibus nomen Ioannis Theologi inueniatur huic præfixum, non hoc pro illis 10 facit. Ego enim hinc magnam sumendam coniecturam putarem, ipsum apostolum huius libri authorem esse, cum ab exordio nascens ecclesiæ, propter euangelij sui sublimitatem, à scriptoribus ecclesiasticis Theologus peculiariter sit appellatus: ita ut pro conditione argumenti iam euāgelographus, iam apostolus (ut in epistolis) iam theologus aptè nominet, ut hic in Apocalypsi, nimirū ob arcana & abstrusa Dei mysteria, quæ hic tractat. Vnde & persuasum habemus, quinque iam dictos libellos ab uno Ioanne conscriptos. nam quod nonnullos offendat diuersa ab euāgelio phrasis, miror certe mirum in modū, cum hic sit imitatus prophetas, & bonam Apocalypseos partem ab an- 20 gelo dictante exceperit: in euangelio nō item. quod attinet ad modestiā stili, certe non eam minorem agnosco in Ioanne hic, quàm in euāgelio, ubi sæpius in tertia persona ita de se loquitur: Hic est discipulus, quem diligebat Iesus: hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet, & scimus quod uerum est testimonium eius. qualia certe, & parum modesta ab ipso in Apocalypsi non dicuntur, ubi se fratrem nostrum, & seruum Christi appellat. Sed est de his tam curiosis quæstiunculis satis superq; dictum. inani enim opera, & stultè se fatigant, qui, ut prius dixi, hæc tam anxie inquirunt.

*Scripturæ sacræ quanquam paræ sunt authoritatis, una tamen pars altera & nobilior & dignior est. IX.*



Quoniam uero iam enumerauimus tam ueteris, quàm noui instrumenti libros: postulat ordo, ut dicam de ipsis scripturæ partibus. Nam ita demum fiet, ut & dignitatem, & scripturæ naturam profundius intelligamus. Quanquam enim uniuersa eandem ubiq; obtinet authoritatem, quippe quæ ab uno eodemq; spiritu sit profecta, & propterea tota eiusdem esse dignitatis uideatur: tamen quandam inter scripturæ partes esse differentiam, ut hæc sit illa & nobilior & dignior, facile is mihi concesserit, qui sacrorum librorum uaria argumēta, & eorundem uarium tractationis modum paulo 40 diligentius ponderarit. Nam quanquam omnes scriptores sacri simul ad eundem scopum tendunt, ac ob id omnes sic idem facere censentur, ut nulla dignitatis differentia inter hos esse posse uideatur: quia tamen spiritus

spiritus non omnibus idem, sed diuersis diuersum argumentum, alio tempore, alioq; modo suggerit describendū, dubium esse non potest, quin & argumenti maiestas, & reuelationis sublimitas, et aliæ id genus differentiæ (ut certe aliud alio & præstantius & perfectius est) ipsis authoris scriptis aliquam addant & dignitatem, & præstantiam. quam si ipsius authoris antiquitate metiaris, erit omnibus alijs præferendus liber Iob: quippe qui omnium qui hodie extant, uetustissimus est. Si uero rerum, quæ tractantur, uarietate: primas habebunt psalmi, nimirū in quibus, ueluti in quodā myrothecio, omnes scripturæ partes fragrent. 10 Si rerum compēdia æstimes: habet ea liber παραλειπομένων, qui singulis penè uerbis singulas tangit historias. Si iuuat conditi mundi primordia cōtemplari: id nullus æquè liber præstabit, ac Mosi primus. Si mundi tumultuationes alias post alias suborientes: Daniel in eo argumento mirus est. Si ut nouæ religionis uim indolemq; cognoscas: id nemo ipso Esaia apertius facit. Si ponderas regulas & normam instituentiæ iuuentutis: habes ad hoc maximè accommodas parabolas Solomonis. Si uaria uitæ exempla: liber Iudicum cæteris omnibus antecedit. Si quæris, quo te ad mundi contemptum componas: nemo hoc efficacius fecerit, quàm Solomonis Ecclesiastes. Si uero iuxta tractati ar- 20 gumenti excellentiam æstimes scripturam: profectò eiusdem canticum tenebit primas, ut quo nullus sacræ scripturæ liber tractet sublimiora. At hoc non solum fit in diuersis authoribus, uerum in eodem etiam sæpius usu uenire uidemus, ut pars partem uincat: hoc est, ut non eiusdem semper sint dignitatis, quæ ab eodem authore sunt conscripta. Moses enim cum absoluisset legem, quam à Deo Deut. 31. suscepserat describendam, eamq; in arca fœderis reponendam sacerdotibus tradidisset, totam eam ita quidem Leuitis & senioribus Israel commendauit, ut uix aliam rem æquè illis commendasse legatur. non enim solum Leuitis, neque solum uiris, sed & mulierculis, cum pat- Act. 15. 30 uulis & peregrinis, prælegi eam iubet, ut rerum, inquit, in scij audiant, discant, & timeant Dominum Deum uestrum. Nam totum ex æquo Pentateuchum Deus constituit Iudæis basim & fundamentum, unde uitæ suæ instituendæ regulas petant. Verum si ponderentur uerba eiusdem, ubi de aliquando eligendo populi Israelitici rege uaticinatur, Deut. 17. inuenire facile erit, ipsum Deuteronomiū ultimum legis librum, prioribus illis quatuor aliquo modo præstantiorem, atque plus cæteris esse commendatum. Cum enim eo in loco Moses uitæ instituendæ leges regi præscriberet, non iam totam legem illi ediscendam, ut mox plebi, sed ut solum Deuteronomij librum sibi faciat peculiarem, monet: nimirum quòd hic unus contineat strictim omnia illa, quæ in prioribus 40 fusius fuere explicata. Sic cum præceptū esset populo, ut Iordanē transgressus, erigeret ingētes aliquot lapides in mōte Hebal, quibus planè & dilucidè, ut habet textus, inscriberent omnia uerba legis: Iosue unā cum 10f. 9. populo

populo transgressus, cum præcepto diuino satisfacere uellet, non totam legem, sed solum Deuteronomiū scribi curauit: ratus, ut opinor, satis esse, meliorem legis partem exarasse. Huic tamen libro Deus prætulit canticum illud Mosi, quod cecinit iam iam moriturus. Nam cum quinque eius libros certis anni temporibus, & tantum festis diebus prælegi populo iussisset, ut ita pedetentim disceret timere Dominum: hunc Mosi hymnum uoluit præ cæteris omnibus scriptis, ita celebrem esse & familiarem, ut tam pueri quam senes memoriter tenentes, passim eum Domino decantarēt. Ex iam dictis satis, opinor, uidere licebit, quam longo interuallo in scripturis ueteris testamenti, pars sæpius parti antecedit, etiam si æqualem omnes obtineant authoritatem. nunc ipsa uideamus euangelia, ut quantum hæc omnem ueterem uincant scripturam (uincunt autem sine dubio longo interuallo) in aperto sit.

Dent. 31.

Euangelium autem (ut hoc obiter dicamus) uocatur omne id, ut paulo ante dixi, quod primi illi nouæ religionis præcones, aut uoce aut scripto tradiderunt. Ita sæpius Paulus de se ipso testatur, cum dicit, nihil aliud sibi esse commissum, quam ut annunciet euangeliū. Sic Christus hinc abiturus, quicquid ab apostolis orbi diuulgari uoluit, euangelium uocat. Ite, inquit, in mundū uniuersum, prædicate euangelium, &c. Sic liber Apocalypseos euangelium dicitur, etiam si futura uaticinatur. hoc satis testatur locus ille, quo legitur angelus uolare per medium cœli, habens euangelium æternū. Sed quid nam rei sit hoc lætum nuncium, quod per euangelium nunciatur, nōdum satis conuenit inter doctos. Quosdam uideo hodie in ea esse opinione, ut hoc dicant esse gratuitam peccatorum condonationē. Quod miror cur iam dicant, cum usque ab initio peccati fuerit remedium cōdonandę noxę fides futuri mediatoris: quod Petrus indicat, sub noua religione iam oportere per inuocationē fieri nominis Iesu, ut quinto libro fufius diximus. Per hanc enim fidem omnes usque ab initio patres placuerunt Deo, propter effundendum aliquando sanctificatoriū sanguinem. ea enim de causa Christus agnus dicitur occisus ab origine mundi. Equidem arbitror uocationem gentium, uires sathanę imminutas, idolorum subuersionē, oraculorum silentium, uictoriam superatę mortis, cœlestis regni apertionem, & alia huiusmodi meliori iure inter nouæ religionis læta nuncianda numeranda esse, quam gratuitam condemnationem peccatorum, aut aliud quippiam, quod commune fuit ueteri et nouæ legi: tametsi copiosiore quidem horum donationem oporteat acceptum ferre euangelio.

Rom. 1.  
Galat. 1. et  
1.2. Cor. 15.  
Marc. ult.

Act. 2.

Apoc. 13.

Ioan. 10.

Daniel. 12.

is fons est omnium aliarum donationū. Dixerat autem angelus Danieli, propheticum librum ad illud usque tempus clausum fore, donec Christus

stus aperiret mentem discipulis, ut intelligerent scripturarum arcana. Quod si uno uerbo uniuersam uim nouæ religionis cōprehendere uouerimus, dicendum erit, cumulum omnium bonorum, quorum mortalis homo capax est, lætum illud nuncium esse, quod euangelium affert: nempe illam uim, quam attulit spiritus die Pentecostes, ut quarto libro monstrauius. Et ne erres, etiam sub legis nomine lætum hoc nuncium frequenter intelligimus. Nam cum Paulus legem appelleret, quicquid nos stimulat ad agendum, adeo ut etiam improba carnis desideria ea uoce nuncupet: quid mirum, quæso, si nouæ religionis scriptura etiam hoc nomine uocetur, cum multa quæ in agendo & faciendo consistunt, præcipiat. De nouæ religionis ortu ita loquitur Deus apud Hieremiam: Dabo leges meas in mentem ipsorum, et in corde illorum scribam illas. Sic apud Esaiam, & Micheam: E' Sion exhibit lex, & uerbum Domini ex Hierusalem. Et alibi de noua religione Esaias, Et legem eius insulæ expectabunt. ut præteream multa alia loca, in quibus Christus nouæ religionis author legis appellatur. Est ergo lex communis nomenclatura tam ueteris, quam nouæ scripturæ: euangelium autem non item. Ne putes igitur piaculū, si nomen legis nouæ tribuatur religioni. Sed iam uideamus, quam longo interuallo distent inter se uetus lex & euangelium. Horum differentiam, Paulus in primis hac ratione ponderat, quod uaticinia omnia per prophetas, euangelia uero per Iesum Christum filium suum hominibus sit Deus locutus: euangelistę uero sic, quod ea hic utat Dominus noster loquēdi forma, quæ apud nullos alios siue sacros, siue prophanos authores reperire licet. Non (inquiunt apud Ioannem) sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Apud Marcum fufurrates aiunt, Quæ doctrina hæc noua? & similia. Verum alia ratio est his longè præstantior. Diximus, si meministi, libro quinto, uniuersam scripturam sacram primū respicere ad ipsius ecclesię ortum, deinde ad totius orbis instaurationem. quem ordinem ist tenere debet, qui intelligere uelit ueram, & genuinam scripturæ naturā. Non enim hæc nos tumultuariē ad summā sui ducit cognitionē, sed certa quadam ratione, iam hæc, iam illa proponit legenda, ut sic tandem ad id quod extremum habet, nos pedetentim quasi manu ducat. quod quoniam nunc facit noua scriptura multo perfectius, quam olim uetus (ut quæ Christum seruatorē iam præsentē annunciat, quem lex tantum promittebat: quæque ad ultimū illum Dei diem, & extremā operum renouationē, qua ecclesia consummabit, multo propius & uicinius respicit, quam uetus) certe bono iure quis nouam scripturā eo dixerit ueteri sublimiorē, quo præsentia ipsis futuris, & propinqua longinquis sunt habenda potiora. Nam quę lex ipsa multis signis & prophetis usque ad Ioannem prædixerat, ea euangeliū, si non re ipsa præstet, nō iam in speciem, sed quasi ante oculos posita exhibet. idque tanta faciunt quatuor euangelistę concordia, ut uel hinc, quod Petrus dixit de ueteri

Hier. 31.  
Esa. 2.  
Michea 4.  
Esa. 42.Esa. 33. &  
Psal. 9. &  
83.

Hebr. 2.

Ioan. 7.  
Marc. 1.

2. Pet. 1.

Q scriptura,

scriptura, non ex uoluntate hominis, &c. facile quis uideat, etiam omnino de noua dicendū esse. Nam quanquā ad prioris scripta subsequentiū quisque non solum noui aliquid adiecerit, sed sæpe fusius eadē repetierit, tam singulari tamen modo hoc ab his factū uidemus, ut nullibi neque eadem dicere, neque discordare inueniant, etsi id quibusdā prima specie uideri possit. Mihi certe si qua talis occurrat ornata diuersitas, statim apud me cogito, non aliā ob causam hoc factū, quam ut tædiū & fastidiū (modo sacrarū literarū ullū esse potest) leuet studioso et assiduo lectori. Nec turbat euangelicā hanc harmoniā, quod euangelistę, cum docēt in Iesu adimpleta fuisse omnia prophetarū uaticinia, hoc faciant diuersa ratione, quasi propriū quisque sibi scopū præfixisset. Etenim cū solenne erat Hebræis tria dignitatū genera inūgi, nēpe sacerdotū, regum, et prophetarū, idque in figurā magni illius uncti aliquādo uenturi, hoc est Messię, qui omnium et sacerdotū et regū et prophetarū foret supremus: Matthæus hoc sibi ex his docendū peculiariter sumpsisse uidetur, quomodo in Iesu impleta sunt, quæ prophetę de regia Messię dignitate prædixerant: Marcus, quæ propheticā eius dignitatē declarant: Lucas, quę illius respiciūt sacerdotiū: Ioannes omnes longo interuallo uincens, hoc unum agit, ut doceat Iesum fuisse humana forma uerissimum Deum, quos euangelistarum diuersos scopos ex illis potissimum licebit deprehendere, quæ scripserunt aut solī, aut cæteris diligentius. Illud liquet, scripturam Ioannis omnium esse excellentissimā, & ex tam excelsa reuelatione profectam esse, ut penē superet humanę mentis comprehensionem. His alijsque id genus modis scripturarum pars una, altera eminentior est, tametsi emanarint omnes ex diuina reuelatione.

*Vnde discerni queat, sacra quę sit scriptura, et quę prophana. X.*



Atis iam ostensum arbitror, quam dignitatem habeat per omnes partes suas sacra scriptura, ex diuini numinis reuelatione seu afflatu, unde illa primū profecta est. Superest igitur nunc, quod in hac re est præcipuū, ut scilicet expendamus, unde internosci possit, sacra quę sit, et quę non. Nulla ferē natio est, quæ non iactitat suos libros sibi à numine aliquo traditos: alij Hetruscā disciplinā: alij carmina Sibyllę: alij Apollinis oracula: alij Egeriæ, alterius uel dei uel deę respōsa: alij alcoranū: alij scripta alicuius ueteris uatis. Veræ autē religionis cultores his ferē solent indicijs & argumentis scripturas, quæ diuinā habere censent authoritatē, internoscere, nempe quod eas Esdras redegerit in suū canonē: quod custodiri consueuerint cum libris Mosi in arca fœderis: quod publicē legi per omne sæbarū: quod summa ecclesię authoritas (quę ratio apud Christianos primū ferē locū habet) eas declararit habendas pro sacris, aut (quod ego supremum existimo documentū) quia testimoniū obtinuerūt diuinę authoritatis præsentis miraculo comprobatum. Vt enim scriptura uetus suam nacta est authoritatem, per prodigia facta in monte Sina: ita nouæ religio-

religionis doctrinā diuinitus esse traditam, non solum in ipso ecclesię exortu ostensa prodigia, sed etiam ea miracula declararūt, quæ dispersi per orbē apostoli, in doctrinæ suę confirmationē omnibus exhibebant. In hoc igitur differt uetus à noua, quod illa ecclesię (ut huius figuras prænuñciauerat) dedit authoritatis testimonium, suamque propterea habuit ante ecclesiam natam. nouæ autem scripturæ authoritas tunc primum declarata est, quando communi ecclesię consensu fuit statutum, qui libri essent habendi pro uerē sacris: ne temere sua scripta, ut sacra, pseudoapostoli Christianis pergerent obtrudere. At argumenta illa omnia, nunc arcanarum literarum authoritatem nihil, aut certe parum confirmarent: quin potius hæc sunt earundem testimonijs fulcienda, ne ab his qui contradicunt, refellantur. Nam quæ sit ecclesia, quæ eius authoritas, quæ miracula prophetæ & apostoli fecerint, quæ in traditione ueteris & nouæ legis prodigia ostensa sint, cuius authoritatis fuerit Esdras, quæ scripturæ publicē legi, aut in arca recondi soleant, & omnia alia huiusmodi nos didicimus per scripturas ipsas: nequit ergo ex illis scripturarum authoritas probari, sed magis è contrario illa per has affirmantur. Quo modo ergo illis, qui de rebus ad inspiratam religionem pertinentibus planē ambigunt, sacrarum literarum authoritas erit persuadenda? Equidem non uideo alium modum, quam si ipsam scripturam his ob oculos ponas. habet enim ea quendam dignitatis suę splendorem, quo semper lucet, splendetque per se: quem si quis uidere cupiat, hunc ex collatione deprehendere oportebit sacrarum literarum cum prophanis, & multis inter eas differentijs. Primū, prophani scriptores ueluti data opera contra se dicere, & quasi conflagere inter se solent, non aliter ac si de omnire in contrarias partes disputare sibi quisque proposuisset: sacræ uero literæ etsi diuersis linguis, locis, tempore sint scriptæ, non solum tamen inter se congruunt, sed ne quidem à prophanis scriptis discordant, in his præsertim, ubi ipsi prophani non dissident, dissentiuntque inter se. Deinde ea est arcanarum literarum phrasis, ut licet singuli sacrarum authorum suam habeant eloquendi rationem, omnium tamen horum dictio non solum longo interuallo ab aliorum compositione distet, sed etiam diuinā quandam maiestatem, & non imitabilem dignitatem præ se ferat. Præterea quod nulla scripta æquē fuerint ab ingeniosissimis hominibus examinata & perpensa, ac ipsa sacra, nullis tamen hæreticorum arietibus, nullis ethnicorum impugnationibus unquam iacuerint substracta, ac semper ut palma, contra omnia pondera altius erexerint caput, non parum hac gloria ante prophanas literas splendescunt sacra, & micant. Tum ipsa argumenti nobilitas, quod literæ arcana tractant, clarissimam inter has differentiam ostendit: si modo Deus apud Esaiam uerē dixit, Non sunt cogitationes meę cogitationes uestre, nec uia meę





Græci fecerunt, hanc cum prima confunderet, ubique mandata transfert: quartam, iudicia: testimonia, quintam: sextam, iusticiam: uiam uerò, septimam: uerbum aut sermonem, octauam, semel eloquium: nonam, eloquium, & subinde uerbum: decimam, interdum ueritatem, interdum fidem. Sed quid discriminis sit inter hæc membra, uideamus. Sex priora res agendas significant: quorum tria, nempe ἐν πολλὰ, κρίματα, & δικαιοσύνη, naturalē rationem non superant. ἐν βλάσ enim, quæ Hieronymo sunt præcepta, homines præfectis suis debent: κρίματα, quæ ἢ qui sunt ordine superiores, subditis: δικαιοσύνη, quam in rebus commutandis, distribuendis uel inuicē debemus. reliqua tria sunt supra mentis humane captū. Nam quæ septuaginta uertunt δικαιοσύνη, ea sunt quæ ultra mentem humanā Deus uult sibi præstari ab homine: mizuoth, quam uocē septuaginta non uerterūt, & Hieronymus mandata traducit, ea comprehendūt, quæ præter captum nostrū uoluit Deus hominem homini debere: μαρτύρια, hoc est testimonia habent diuinas promissiones, quas ipse Deus pro sua bonitate uoluit se debere homini. Præter τὴν ὁδὸν, tria restāt membra, nempe ἀλήθεια, λόγοι, & λόγια, quorū primum ea comprehendit, quæ in credēdo consistūt, quare eam uocem Hieronymus fidem uertit. reliqua duo ad res sperādas spectant. dibus, quod septuaginta λόγον uertunt, ad res præsentis uitæ: amra, quod septuaginta uertunt λόγια, ad res uitæ nuncq̄ interituræ: ut ostendit Psaltes, cum λρηίς peculiariter attribuit iucunditatē, quam homo exprimere nō posset. Iam ὁδὸς horū omnīū æquē cōmunis est, quippe quā sit ingrediendū ostēdens, ut principalia illa dignē nanciscamur. Nam mādatorum, præceptorū, ueritatis, & uitæ, ciuitatis itē et habitationis pacisq̄ uiam Psaltes sæpe memorat. Harū partiū certū est alias sublimioribus, alias humiliorib. ingenijs magis cōgruere: ut uerē dictū sit, sacrā scripturam indolem habere profundissimi, sed tamen planissimi fluminis, in quo agnus natate potest, & elephas non pertingere fundum.

*Sacrarum rerum enarrandarum rationem aliam esse, quam prophanarum. XIII.*



Verum qui rectē scripturis uti uelit, erit illi considerandum, electi populi res gestas secus à spiritu illo primario sacrarū scripturarum authore, secus à prophanis scriptoribus aliarum nationum historias esse contextas. Nam hi, cum nihil aliud sint quàm homines, subinde aut obliuione, aut inscitia, sæpe etiā industria aut casu quopiam, falluntur & fallunt: ac coelestis ille spiritus ubique sui similis, semper uera dicit. Huius scripturas quisquis accuratius consideret, & prophanarum historiarū uarietatem cum sacris conferat, facile is agnoscat, ut demus æquē ueras esse, aliam tamen sacrarū, aliam prophanarū rerum enarrandarum esse rationem. Sacra enim historia ipsam rerum uniuersitatem usq̄ à primis temporibus ad ultima secula complectitur: contra scriptores prophani, quorum singuli aliquam

quam rerum partem, initium uerò nemo omnium describit. Sacra scriptura tam constanti ordinis connexionem rem absoluit, ut iure quis putet, omnes eos libros ab uno eodemq̄ authore conscriptos: non talis scriptorū series & cōnexio apud ullos prophanos inuenire erit. Nam ut præteream, quod sibi inuicem (ut supra diximus) ferè ueluti ex proposito aduersentur, etiam non tunc satis cohæret, cum maximè (ut putant) inter se conueniūt. Hanc sacrarū librorū mirabilem cohærentiā, libens acceptā ferrem naturali industriæ præclari illius concinnatoris Esdræ, nisi liber Nehemiæ, qui dicitur Esdræ secundus, ultra Nehemiæ et Esdræ ætatem sacerdotum genealogiam extenderet: & post huius etiam canonem, eiusdem populi historiarū libris Esdræ, & hinc noue religionis scripta ueteris populi libris pari modo quasi colligata cohærent. Nam libri Machabæorū, quibus res post Esdrā gestæ continentur, libro Nehemiæ per dictam sacerdotū genealogiam coniūcti sunt. hic enim ponitur leddea ille in sacerdotū genealogia ultimus, qui teste Iosepho, uixit temporibus Alexandri Macedonis, à cuius monarchia Machabæorum libri suum capiunt exordium. post Machabæos, propter sacerdotū factionē captis Hierosolymis, erexit regnū Herodianorum Pompeius, ut testatur idem Iosephus: à quo regno Mathæus & Lucas auspiciant euangelia. His quàm aptè cohæreāt apostolorū acta, tum apostolicæ epistolæ, ac dein liber Apocalypseos, qui res in ecclesia usq̄ ad consummationē seculi euēturas depingit, nemo non uidet. Sed non hæc præcipua inter prophanarū et sacrarū rerum enarrationē differentia est, imò longè alia ratione hæc illis nobiliores. Historiographi enim prophani in rebus gestis describēdis ea sola, aut certe diligentius enarrare solent, quæ aut homines in hominibus maximè admirant, aut eam nationē, cuius historiā contexūt, maximè commendāt: nō sic diuinus ille sacrarū rerū author spiritus. Quæ enim homo uehemēter esset admiraturus, quasi egregia animi et corporis facinora: spiritus plerūq̄ contēnit, eaq̄ sola ex omnibus gestis peculiariter seligit (quanquam sæpe minora, et prima specie omnino friuola) quæ præclaras res designēt, quæ aliquando sub noua religione essent euenturæ. Vt si quis miserabilem illam generalis diluuii cladem, quam persuadeat se cum Noe suis oculis intuitum fuisse, scripto mandare uelit, nonne is aliter rem depingeret, quàm Moses eam nobis descriptam reliquit? imò certe. Moses enim nihil aliud scribere potuit, quàm quod diuinus spiritus electo populo iudicasset necessarium: & uoluisset non minus firmiter credi, quàm si Deus præsens præsentibus fuisset locutus. contra, qui ex ingenita hominis industria eam rem describeret, eorum quæ Moses scripsit, pleraq̄ contemneret, multaq̄ alia, & præcipuè quæ naturalis ratio maximè ponderat, colligeret in unum. Sed hac maximè ratione scriptura sacra distat à prophana, quòd hæc dum res magnas exponit, ea tantummodo exhibet intelligenda, quæ ut res gestæ enarrantur:



in illis contrà, quamuis minimis, ut apparet, rebus, latent ubiq; grandia Dei mysteria: uerè, ut in prouerbio est, Alcibiadis Sileni. Quod certe præcipuum est, ad quod sacrarum literarum studiosus respicere debet: ut cum in aliquè scripturæ locum inciderit, statim inuestiget, quid sub nuda rei commemoratione lateat. Nisi enim animaduertas totam sacrâ scripturam, si non propalâm, sub figurarum tamè inuolucris, primùm ad ipsius ecclesiæ ortum, deinde ad totius orbis instaurationē (de qua libro quinto fusius) pedetentim suspirare, neq; sacrarum literarum dignitatem, neque quid eadem à prophanis differant, unquam satis intellexeris.

*Sacræ scripturæ sensus mysticus est, & multiplex. XIII.*



Vam rem haud bene perpendūt ij, qui hodie tam constanter affirmant, scripturæ sacræ sensum, sicut prophanarum literarum, simplicem esse: quicq; allegorias, quibus uniuersa ferè scriptura referta est, tanquam rem arbitrariam irrident, proq; somnio ducunt. quorum stupiditatē equidem satis nequeo admirari, cum uel solus Paulus, magnus ille allegoriarum magister, huiusmodi sententiam nusquam non arguat uanitatis. Etenim ut paucas proferam è multis, cum legis transitū maris rubri Paulo significare baptismum ecclesiæ: scaturientē ex rupe aquam, dona Spiritus sancti: ru-  
 1. Cor. 10. pem ipsam, Christum: duos Abrahæ filios, duo testamenta: nubem, manna, pascha, cultum sacrificiorū, cæteraq; quæ enarrātur in epistola ad Hebræos, aliud intus continere, quam prima fronte polliceantur, nonne omnia in figura contigisse illis, scripta autem propter nos, lubēs  
 1. Petri 3. concesseris? Succinit beatissimo Paulo Petrus apostolorum princeps, qui diluuium & arcam exponit de baptismo et fide, per quæ recipimur  
 1. Ioan. 5. in ecclesiam. Addamus quod & ipse Christus iubeat, ut scrutemur scripturas: indicans, intus latentem sensum eruendū. & compluribus in locis dignatus est ipsemet latens mysterium nobis aperire: ut de serpente erecto, de Iona propheta, quem absorptum balena tertio die reuomuit  
 1. Ioan. 3. erecto, de Iona propheta, quem absorptum balena tertio die reuomuit  
 Matth. 12. uiuū. Hanc scripturæ indolem qui fastidiūt, & consistunt in ipsa literæ superficie, præterquam quod ridicula & quasi fabulas quasdā (absit inuidia dicto) amplectuntur, etiam eadem opera Christi, apostolorumq; authoritatem, qui uniuersam scripturam docent mysticam, reijciunt. Si ethnico poetæ iniuriam facere intelligitur, qui poëma aliquod legens non inuestiget, quid sub ficta fabula lateat, quod ad detegenda arcana naturæ, aut ad mores uitamq; instituēdam attineat: quam quæso iniuriam faciet spiritui sancto, qui nuda historiæ commemoratione contentus, non contempletur quam admirabilis Dei sapientia occultetur sub rudibus uerbis: Vulgari adagio dici solet, qui nucleū esse uult,  
 40 frangat nucem. quod si ad alia, certe peculiariter ad sacram scripturam debet accommodari, ut quæ non prius aliquem suæ uoluptatis gustū præbeat, quam sub allegoriæ inuolucro conditum mysterium scrutemur.

mur. Mysticus enim sensus instar nuclei est, res quidem difficilis indagatu, sed quæ inuēta suauissimū habet saporē: historicus contrà, instar nucis, quæ foris nullius ferè, aut certè duri atq; amari gustus est. Hucre spicit Psaltes in epithalamio, ubi opes sponse describit: Omnis, inquit, *Psal. 44.* gloria filix regis, intus, sub filix nomine ecclesiam notans. Ad quæ patris sui uerba uidemus & Solomonem manifestè alluisse, ubi scripturā *Prover. 25* comparat pomis aureis, inclusis sculpturæ argenteæ. per sculpturam intelligens artificiosa illa opera, quæ multis cancellulis elaborata, procul uidentibus nihil præter formam externam, propius uero intuentibus, ac præsertim acutius contemplantibus exhibent per tenuissima foramina, quid lateat intus præclari. Compluribus locis hoc nos suo exemplo docent apostoli ac euangelistæ, qui in sacris testimonijs citandis non tam ad historicum, quam ad allegoricum sensum respiciunt. Moses iubet non esse alligandum os boui trituranti. quid Paulus: num *Deut. 25.* Deo cura est, inquit, de bobus? quasi diceret, non iam iuxta literam, *1. Cor. 9.* sed allegoricòs legem oportet intelligere: quare ipse hoc ad euangelici præconis stipendium refert. Idem cum probat legis obseruationes esse abolendas, adducit illud Geneseos, Eijce ancillam & filium eius. *Galat. 4.* Vide, quæso, quantū mysteriū sit in illis uerbis reconditum. Quis ad *Gen. 21.* eum modum hoc ausus fuisset interpretari, nisi tam certum haberemus authorem? Atque hæc est uera allegoria. Quid hic iam dicent, qui adeò facilem & expositam quotidie clamitant scripturam diuinam, ut à puero possit intelligi? Ne interim dicam, etiam si scriptura simplicem sensum haberet, ipsas phrasas, quas sibi habet scriptura peculiare, in tantum subinde esse à communi loquendi forma alienas, ut etiam nō uulgariter doctis magnum facebant negocium. Verum has phrasas credere par est, à spiritu sancto inuentas esse, non ob id solum ne porcis margaritæ, hoc est diuina ueritas indignis statim obuia esset: uerum etiam ut nostra oscitantia in huiusmodi difficultate excitaretur, *50* ad latens ibi mysterium perferendum.

Et ne singula persequens siam prolixior, in sacris literis non singuli loci tantum singulos sensus mysticos habent, sed unus sæpius plures, nec æque statim omnibus apertos. Qui legit de Eua è dormiētis latere *Gen. 3.* subtracta, Hoc nunc os ex ossibus meis: quid aliud legit præter historiam: Christus hoc ad indissolubile matrimonij uinculum transfert, ecce *Matth. 19.* mysticum sensum. Paulus uerò post Christum, eadem Adæ uerba *Ephes. 5.* ad indiuiduam augustissimamq; diuinitatis coniunctionē cum humanitate accommodauit, en alium sensum mysticū, primo illo longè sublimiorem, ac magis abstrusum. Cum legis de manna, qui multum col- *Exo. 16.* legerat, ei nihil superfuit: & qui paululū, nihilo minus habuit, quis huic non credit historiæ? Et diuus Paulus dum agit de subleuandis pauperibus Hierosolymitanis, ad suadendā inter Christianos mutuam beneficentiā, hoc adducit, his tamen iisdem uerbis mysticè etiam significari,

tantundem sub sacrae hostiae parte, quantum sub tota contineri, nemo credo orthodoxorum unquam negauerit. hi & alij similes Sileni latitant in literis arcanis, & saepius sub paucis uerbis complures. Huc alludens sapientissimus Solomon, cum admonet filium, ut se totum det sapientum doctrinæ: Descripsi, inquit, tibi eam tripliciter, uel (ut quidam neotericus uertit) multifariam, quasi diceret, si te arcanis scripturis legedis dederé uelis, sic te præpares oportet, ut non ipsa litera superficie sis contentus, sed usq; ad anagogen penetres, atq; itadiuinam scruteris sapientiam. Non huic dissimile est, quod legitur apud Danielelem: Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum usq; ad tempus statutum: plurimi transibunt, & multiplex erit scientia. Quid, quod scriptores ecclesiastici tam ueteres, quam neoterici, docent in scripturis, uel solam uocem præter significationem grammaticam, saepius triplicem parere sensum mysticum? Sion enim & Hierusalem (ut unam aut alteram exempli causa producam) quanquam præclaram illam Palestinæ urbem, ac eiusdem urbis eminentem arcem proprie significant, easdem tamen (si clausum Silenum explices) & unamquãq; notare fidelè animã, deinde totam hanc militarem ecclesiam, & deniq; illam futuram triumphauicem, quis sacrorum studiosus non animaduertit? Ad hunc modum licebit noui quoq; Testamenti historiam ad allegoriã, imò usq; ad anagogen trahere. Nam si rectè æstimes hæc Pauli uerba, Lex umbrã obtinet futurorum bonorum, non ipsam imaginẽ rerum: inuenies, quod Paulus dicit de lege ueteri, Hæc per allegoriã dicta sunt, hæc in figura contingebant illis, & similia, etiam hoc de sacra euangelistarum historia dicendum esse. Cum enim hic tria ponit Paulus, umbram, imaginem, ac ipsa futura bona: cumq; umbram ad legem ueterem, futura uero bona ad coelestẽ patriam pertinere certum est: aliud quid mihi des, quod ipsorum bonorum imaginem propius ac uicinius repræsentet, necesse erit. quid autem hoc aliud sit, quam euangelium, non uideo. Hinc uidere est expositores etiam euangeliorũ, et præsertim Origenem, Hilarium, & Ambrosiũ, nõ minus crebras allegorias ducere ex euangelio, quam Paulus facit ex ueteri lege. Hunc multiplicem scripturæ sensum minus mirabitur ille, qui nouit quã innumera sensa ex uno scripture loco eruant Hebræi. Hi enim, ut nos, duplex statuunt sacrae eruditionis genus. qui iuxta literam hærent, Talmudicos: qui uero ipsa scrutantur arcana, Cabalistas nominant. Verum alia est apud Hebræos ipsius artis cabalisticæ, alia apud nos allegoriæ ratio. hæc enim perpetua quaedam est metaphora, quæ percepto historico sensu, mox rem ipsam contempletur, quam litera tegebat: illa contra perpetuò, quanquam non in sensu literalì, in ipsis tamen literis consistens, toties iam recto, iam retrogrado ordine literas ipsas, uel his significatione numeri æquiuales transponit atq; coaptat, quoties tali modo aliam inde sententiam uenari poterit. Sed istud uerè Hebræorum proprium est, nec Latinis & Græcis

temerè

temerè imitandum, nisi omnino fuerit necessarium: ut in illo loco Apocalypseos, Qui habet intellectũ, computet numerũ bestia: hic (inquit) sapientia est. quod certe mihi uidetur ad cabalisticã artem pertinere. Huc etiam spectant, teste Augustino, Sibyllæ Erythraeæ carmina, de tum futuro seruatore conscripta: quorum si colligas literas primas, à quibus illi uersus inchoantur, has reperies uoces *ihoues xrisos uis beæ*. Sed an spiritus in sacra scriptura probet hanc cabalisticam sollicitudinem, ignoro: cum nec ipse Christus, nec apostoli ullam huius faciant mentionẽ. Hoc unum scio, anxiam hanc curiositatẽ impedire studia meliora, et ab inuestigandis allegorijs distrahere. Sed de his satis: nunc quale debeat studium esse sacrarum literarum, discutiendum.

Quale studium esse debeat sacrarum literarum. XV.



Agno errore quidam hodie solam nouam scripturam uersant, non secus ac si noua religio ueteres scripturas omnino aboleuisset: cum tamen uideamus et Christũ et apostolos, etiam quando cum ethnicis rem habebãt, ueterũ scripturarum testimonijs suam doctrinã confirmasse, et hoc unum curasse sedulo, ut omnia ostenderet in nouo testamẽto ita euenisse, ut uetus prædixerat. Leges seculares tradunt, si quis documenti alicuius mentionẽ faciat, quod non statim proferat, nullam inde fieri euictionẽ: sic uix noua scriptura fidẽ facit, nisi ueteri adiuncta. Hoc sanè Paulus intellexit, cum diceret, Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta esse, ut per consolationẽ scripturarum spem habeamus. item, omnia patribus contigisse in figura, scripta autem ad nostram correptionẽ, in quos fines seculorum deueniunt. Rursus, cum uerbo generalitatis, omnem scripturam utilem dicit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum. nam eum ibi ueterem intellexisse scripturam, ex eo liquet, quòd ibidem Timotheum laudet, quia ab infantia sacras literas didicisset.

Sed operæ precium fuerit inuestigare, utra debeat tradi prior, noua an uetus. Hoc Christus satis clarè ostendit, cum eum qui doctor futurus est in ecclesia, iubet depromere e thesauro suo noua & uetera: quo uerborũ ordine docet, noue scripturæ dogmata proponi debere, tanq; res quæ conuincẽde sint: deinde ueteres scripturas ad illorũ siue corroborationẽ, siue declarationẽ adducendas. Quia tamen in noua multa fiunt ad typũ, quem lex præfigurauit, erit illi qui per se discere uult, uetus discenda ante nouam: quòd hanc rectius et iucundius intellecturus sit, si prius ueterem sibi fecerit familiarẽ. sicuti qui Theocritum, Hesiodum, Homerum iam legit, cum ad Maronem pergat, quæcunq; hic ex illis mutuatus est, facilè deprehendet, & profundius intelliget. Sed et alioqui iucundissimum est, præclaris præsertim ingenijs, considerare, quot signis & uaticinijs res sub noua religione gestæ fuerint prænunciatæ in lege: & quanquam diuersis ætatibus, locis & linguis, amabili

tamen

Apoc. 13.

auct. si quis  
in aliquo.  
C. de eden.  
Rom. 15.

1. Cor. 10.

2. Tim. 3.

Matth. 13.

Prover. 22.

Dan. 12.

Heb. 10.

tamen concordia & consensu. Sed est, inquires, scriptura noua facilius simpliciorque, quam uetus: ideoque ab illa potius tanquam à faciliore, studium sacrarum rerum inchoandū. Est fateor stylus ipse, & phrasis orationis in euangelijis quidem simplicior, & ea quæ euangelia docēt, magis nota, propterea quod ea nobis quotidie occurrunt: sed quid dicemus de apostolicis epistolis? Imò & Ioannes tametsi humillimo utatur dicendi genere, quis tamen non statim clamat sensum esse & perdifficilem, & obscurum? Verum sint sacræ noui testamēti literæ propheticiis clariores: fateri tamen oportebit, eam esse inter has & illas rationē, quæ est inter speculum chalybeum & solem: ut sol quidem noue, speculum autem chalybeum ueteris scripturæ symbolū sit. nam ut per se chalybs parum lucis habet, calor autem nihil: sic lex uetus etiam nūc iudæis friget, utpote quibus ad hunc diem usque, cum legitur Moses, aut alius prophetarum, uelamen cordibus impositum est. radijs autem solaribus illustratus chalybs, non solum lumen et calorem recipit, sed eadem tunc recipiuntur. Ad quem modum si uetus nouæ scripturæ applicetur, fiet hac coniunctione, ut mens siue lectoris, siue auditoris, amplius quam si nouam scripturam aut prius aut solam adduxisses, illustretur.

Sic quo ordine libri siue ueteres, siue noui legantur, maximè refert, ut enim omni in re, ita hic is magnum habet momentum. Equidem arbitror mirè conducere ad res facile intelligendas, si rerum gestarum seriem, temporisque ordinem sequamur. Erit itaque inchoandum ab eolibro, quem Moses scripsit de rerum omnium genesi & exordio. Hinc liber Iob, eo quod hæc historia acciderit ante exitum Israel ex Ægypto. tum quatuor reliqui Mosi libri legendierunt. Post quos historiographi per ordinem, tam nō quos Esdras præterijt, quam quos ipse redegit in canonem, reuoluendi: nempe Iosue, Iudicum, Ruth, & quatuor Regum, cum oratione Manassis. Deinde Tobias: & post hunc duo Paralipomenon. post quos tandem legatur is liber, quem Hebræi inter apocrypha numerant, et inscribitur tertius Esdræ. mox primus Esdræ: deinde Iudith, Hester, & Nehemias, qui dicitur secundus Esdræ: postremò libri Machabeorum. Hic iam iterum atque iterum repetendus liber Psalmorum: deinde prophetici omnes, non eo quidem ordine, quo uidentur constituti in biblijs, sed quo prophetas superius digessimus, & eorum ætates & tempora persecuti sumus. Nam uniuscuiusque prophetæ scripta arbitror collatione rerum sui temporis, reddi multo luculentiora. Erit igitur post Hieremiæ prophetiam epistola Baruch legenda, & epistola Hieremiæ: & post Daniele is liber, qui dicitur quartus Esdræ. Post propheticos sapiens euoluendi libri diuinæ Sapientiæ, & primum Prouerbia Solomonis: dein is qui inscribitur Sapientia, tum Ecclesiasticus Sirach: postea Ecclesiastes Solomonis: postremò huius Canticum, tanquam uniuersæ scripturæ ueteris apex & fastigium.

Sic & nouæ scripturæ perdiscendæ, nemo negat sumendū esse exordium

diū à quatuor euangelijis, eo ordine quo & scripta, & in biblijs constituta sunt: tum historia legenda natæ propagatæque ecclesiæ, quam Lucas conscripsit, & uulgò Acta uocant apostolorum. De epistolis apostolicis alij aliter sentiunt. Sunt qui uolunt canonicas legi ante Paulinas, quod reperiantur eæ in uetustis codicibus ante Paulinas constitutæ, ea serie qua in biblijs uulgaribus ordinantur. Paulinas autem, quidam hoc modo legendas censent. primū eam, quæ ad Romanos: deinde, quæ ad Galatas: post, quæ est ad Hebræos. tum quæ ad Ephesios, Colossenses, Philippenses: hinc quæ ad Corinthios, & Thessalonicenses: 10 mox priorem ad Timotheum: tum eam quæ ad Titum, & posteriorem ad Timotheum: denique ad extremum, eam quæ ad Philemonem. Equidem arbitror Paulinas iucundius legi, & luculentius intelligi, si eo ordine cognoscantur, quo Paulus eas scripsit, nimirum ut cum incremento in dies florecentis ecclesiæ, Pauli quoque spiritum perspicias in negotio euangelico magis in dies flagrantem. Inter canonicas puto primū uoluendas eas, quas Petrus scripsit: deinde literas Iudæ, quod hæc illius argumento mirè respondeant. post, ea erit legenda, quam Iacobus: tum tres illæ, quas Ioannes dicitur scripsisse: postremò uero omnium Apocalypsis, plena mysterijs & inuolucris. Hic mihi 20 aptissimus uisus est ordo scripturam uniuersam perdiscendi. Quam quibus non uacauerit perlegere totam, seligant sibi ex ueteri testamento Esaiam (quia nullus sit euangelio confirmando æquè accommodus) & ex nouo libros Lucæ, hoc est eius euangelium, & Acta. Sed ut & plebs & pueri habeant, quo Deum nostrum laudent, cum horum bona pars neque legere omnia soleat, neque quæ legit, intelligat: uideor mihi uidere, nihil posse commodius his proponi, quod sibi facere debeant familiare, quam sint ipsi Psalmi Dauidici: ut quod ueteribus erat canticum Deuteronomij, hoc nunc nouæ religioni initiatis psalmi, quorum aliquot præcipue alphabeticos à puellis etiam lallandos cuperem, non secus ac Grammatici uolunt decantari ab ea ætate, Homerij ac Vergilij, tametsi non intellecta, carmina. imò & Christi ætate Psalmus, qui Hebræis est decimus octauus supra centesimum, licet alphabeticus non sit, adeo tamen fuit pueris illius gentis usitatus & tritus, ut hunc sedenti in asello Christo canentes, uigesimumquartum & quintum eius uersiculum iterum atque iterum repeterent: Obsecro Domine salua, obsecro Domine bene prosperare, benedictus qui uenit in nomine Domini. Hæc de ordine, quo uelim scripturas sacras legi. Nunc dicemus, quo animo accedendum ad sacrarum scripturarū 30 lectionē. Quoties ad hanc rem aggredimur, hæc debemus etiam atque etiam cogitare, sacras scripturas unicum esse ecclesiæ propiciatoriū, unde oporteat diuinam uoluntatem consulere: Christum etiam sacrarum scripturarum unicum scopum, ut qui sit agnus ille, qui solus aperit signacula libri clausi: uniuersæ scripturæ hunc esse epilogum, quod Chri- 40 stus

stus superata morte æternum regnet: argumentum uerò esse de ecclesia, quomodo ea à Christo condita & propagata, & tandem consummanda sit. sed & neminè rectè posse scripturam intelligere, nisi eo spiritu sit afflatus, quo ea scripta est: nec aliquem hæcenus uniuersam scripturam intellexisse, pedetentim tamen iam has iam illas partes aliquando fore intelligendas. Hæc sunt, quæ debet etiam atq; etiam animo uoluere is, qui sacris literis legendis se dedere uelit.

Superest iam alius labor, isq; non paruus: hic est de ordine, quo scripturarum sensa sunt eruenda. Primum enim in scripturis eum sensum examinare, & enodare oportebit, quem uerba ipsa prima fronte præ se ferunt. Hoc non dices facile factu, si consideres eum, qui hoc aptè facturus est, oportere non solum tenere communes illas rhetorū ac grammaticorum figuras ac tropos, uerum etiam si non linguas ipsas, phrasais saltem, ac ipsarum metaphoras: Hebraicæ præterea gētis (ex qua utrunq; testamentum prodijt) prouerbia, comparationes, topographiā in super locorū ubi res gestæ sunt, temporis conditiones & circunstantias, et si locus obscurior sit, collationes similium in sacris scripturis tum uerborum, tum sententiarum, tum locutionum. Hic est quem sensum literalē uocamus, qui basis est omnium, et quo solo si qui cōtradiciunt, se facile patiuntur conuinci. hunc ubi inueneris, alia oportebit ex re intellecta per ratiocinationē colligere: cuius industriæ exemplū nobis Christus & apostoli sæpe monstrarunt. ut ex hoc, quod scriptura Deum uocare solita est, Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Iacob, Christus ostēdit animorum immortalitatē. & ex illo Dauidis, Dixit Dominus Domino meo: probat Messiam esse Deum, et filiū Dei. ex eo quod Moses scripsit, Non ligabis os boui trituranti: Paulus colligit, euangelistis deberi stipendium. Hunc laborē non paruū, neq; puerilē is intelligit, qui ea rectè perpēdit, quæ scripsimus libro primo de serie complexionū, quæ ex eisdē proloquijs possunt aliæ post alias in infinitū deduci. Vbi in hac exercitatione tibi satis uideris sudasse, suauior quidē, neq; tamē minor labor restat, ut ex uno quoq; sensu literali plures eruas allegorias, mysticosq; sensus: qui si non ualeant ad conuincendum eum qui omnino renititur, nam ad hoc propriè ualet (ut dixi) sensus literalis: trepidantem tamen confirmant, auscultantem uerò, & eum qui literalem sensum iam tenet, incredibili afficiunt uoluptate, & summa illa uitæ huius beatitudine, quæ describitur psalmo primo. Hæc de studio sacrarum literarum.

*Directricem Christianæ religionis, non esse solam scripturam sacram. XVI.*



**H**ic nunc inquirendum, quæ sit uis & efficacia sacrarum literarum, unde maximè omnium earum dignitas æstimanda est. Christus quodam loco gradus quosdam & quasi processus constituit diuinæ certitudinis in rebus religionis. primo loco statuit testimonium Ioannis baptistæ: hinc mox sua subiungit opera,

opera, sed paulo altiori dignitatis gradu locata. Ego, inquit, habeo testimonium maius testimonio Ioannis: Opera enim, quæ dedit mihi pater, ut perficiam, testantur de me. Sed his cœleste illud patris sui testimonium anteposuit. addit enim: Et qui me misit pater, ipse testimonium perhibuit de me, nempe cum Christus baptizaretur, & se transfiguratum tribus discipulis exhiberet. quod & Petrus unice magnificat: *2. Pet. 1.* Acceperat, inquit, à Deo patre honorem & gloriam, uoce ad eum delata huiusmodi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, &c. quibus tamen omnibus & antiquior & ualidior est ipsa scriptura, teste Petro ibidem. nam continuo subiungit: Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui dum attenditis ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis, &c. Ideoq; Christus postquam Iudæis paternum de se testimonium citasset, aliud uelut adhuc ualentius ad rei confirmationem adducens: Scrutamini, inquit, scripturas, quia uos uide mini uobis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt quæ testantur de me. Quin alibi clarè negat, miraculū posse dari, quod tam moueat hominem, ac sacræ literæ. Cum enim epulo patrem Abrahamum deprecaretur, ut resuscitatum à morte Lazarum ad fratres mitteret, qui eos eiusce rei commonefaceret, ne & illi ad similem cruciatum traherentur: respondit Abrahamus, Mosen habent & prophetas, quod si illos non audiunt, neque si quis ex mortuis surrexerit, credent. Nam ipsius rei *ἰστοριῶν*, quam si coram sic uiderent, minus moueret, quàm certa sacrarum literarum testimonia. Cum enim se Christus præbuisset à morte conspiciendum plus quàm quingentis fratribus, non tamen sic omnes ei adhæserunt, sed centum et uiginti duntaxat: & illi non tam ob id quod oculis suis eum à morte triumphantē conspexissent, quàm quod recordati sermonis Iesu, inciperēt credere scripturis atq; ideo solet Christus, quibus rediuiuū se ostēderet, suam resurrectionem per scripturas, tanq; per summum omnium testimoniorum confirmationem. cum enim cōspecto eo, discipuli existimarēt se spiritū uidere, certius ipsis testimonium tradens: Contrectate, inquit, me, et uidete, quia spiritus carnē & ossa non habet, sicut me uidetis habere: & cum nec sic credidissent, petit eduliū, & oblatā partē piscis assi comedit. quod tamen haud esse satis illi uisum fuit, nisi omnibus his adderet et testimonium scripturarum: Hæc, inquit, sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quod necesse foret impleri omnia quæ scripta sunt, &c. Quare & Petrus discipulorum fidem postea consueuit non tam memoria rerum quas uiderāt, quàm scripturarum testimonijs cōfirmare: Scriptum est, inquit, in libro Psalmorum, Fiat commoratio eius deserta, &c. Quin etiam cum ad prodigia diei Pentecostes conflueret multitudo, quibus Christum pater usq; ad eò tunc glorificauit, ut postea nunquā tam gloriosa & illustrata facta ei exhiberet, ut quarto libro ostēdimus: non tamē ea Petrus satis per se ualida putauit, nisi eorum fidem qui ea coram

uiderant, scripturarum in super testimonijs, ueluti præstantiore adhuc miraculo corroborasset. non tam hoc agens, ut miracula ea exponeret, quàm ut olim ea sic euentura prænunciatū fuisse, ipsis esset persuasum. Hic uides, canonicā scripturā principem locum tenere omnium miraculorum, quæ usq; à condito mundo Deus fecit, facturusq; est: nihilq; esse in rerum uniuersitate, nec esse posse, quod ueritatis diuinæ authoritatē certius, quàm ea attestetur. quæ et in hoc cætera miracula excellit, quòd cætera, momētanea, sola scriptura perpetuū quoddā sit miraculū. Rursum, quòd illa assiduo usu pedetētim amittāt admirationē sui: scriptura ipso usu uim indies, ac lucē clariorē accipiat, & in maiorē trahat admirationem. Tanta est lux, & tam admirabilis splendor canonicæ scripturæ.

Sed quid est ne igitur scriptura una, & suprema ecclesiæ gubernandæ authoritas: non, quamuis omnis sententiæ in religione principatū (ut iam dixi) tenere uideatur. fit enim sæpius, ut ita obscura & ambigua ea sit, ut explanare se non possit, sed potius alium desideret interpretem. Hic iam uideo quosdam mouere labrum, & stomachari mihi, quasi adimam suum scripturæ honorem & authoritatem. Sed hi me parum audiant. In mathematicis, ut arithmetica & geometria, ea est rerum colligatio & continuatio, ut præpositis paucis & per se notis principijs, cætera ex ijs necessaria & euidenti complexione deducantur. Hæc in sacris literis non est. quæ si esset, non ea nunc in religione exorirentur dissidia: aut non certe plura, quàm in arithmeticis: sed omnes (nisi planè essent stupidi, ut per se nota non intelligerent) rebus religionis libenter assentirentur. Reperiuntur, fateor, in sacra scriptura, deductæ sic ex principijs complexiones, sed eæ numero sunt perpauca: cætera uero omnia uicem habent principiorum. Hæc bipartita sunt: alia per se probabilia, aut etiam per se nota, quæ utraque communia sunt tam naturali, quàm inspiratæ religioni: alia (quorum ingens sylua est), nulla quidem sui probabilitate nituntur, sed ob id tantummodo firmiter assentimus omni uero esse ueriora, quòd ea credimus diuinitus esse reuelata. Est igitur in literis diuinis inuenire tres scripturarum classes: quarum minima eas tractat res, quæ sunt siue probaliter, siue euidenter per se notæ: maxima, quas oportet credere duntaxat, nec ratione comprehendi possunt: reliqua classis habet eas res, quæ ex superioribus deducuntur. Et de his postremis certum est, quòd eas oporteat ex scripturis per sua principia probari & exponi: eas uero quas primo loco constitui, possibile non est, aut certe non magnopere necessarium, per alias scripturas expediri & illustrari. In medijs ergo propriè locum habet illa quæstio, an ubique sui interpretes scriptura sit. Et multos esse huiusmodi scripturæ locos obscuros, difficiles, & perplexi sensus, angelus olim de prophetis dictis, & Petrus de Paulinis epistolis, & Christus ipse de scriptis Danielis, nedū res ipse de alijs multis testant. in quibus certe, si uocis unius significatio ambigua sit, potest quidē ea aliorum

Dan. 12.  
2. Pet. ult.  
Matth. 24.

locorum

locorum collatione, ubi eadem uox reperitur, exponi. sed quid facias, si dictio occurrat, quæ nullibi amplius reperit, quales Hebræi multas numerant: Quid, si non uox ipsa, sed uocis trāslatio, aut locutionis figura sit obscurior, ut est forsan trāslatio uerbi *Vrere*, qua Paulus utitur: et figura castratis semetipsum, quam usurpat Christus: Quid si itē metaphora, quæ licet sæpe alias occurrat, in omnib. tamē locis eandē parit obscuritatē: Adde, quòd potior pars uocum Hebraicarū est ambiguae significationis, & aliæ ab alijs interpretib. in aliū sensum translatae. Sed ut de uocibus ipsis nulla sit dubitatio, uox tamē & locutio simpliciter ne, an figuratè accipi debeat, poterit quis petulāter contēdere: ut hodie fieri uidemus de his Christi uerbis, Hoc est corpus meū. nam nō ipsa scriptura, sed cōmunis sic loquentiū usus, quid uox aliqua aut forma locutionis significet, docet. Omitto quòd res ipsas, unde in sacris literis rerum comparationes & similitudines sumunt, discere oportet ex prophanis scientijs, quæ de his rebus tractant. Sed demus tibi, nullū esse scripturæ locū tam rarū & obscurū, quin habeat similis locutionis & formæ loca aliqua, quæ mutua collatione sese declarēt et interpretent: tamē si uerum fateri ingenuè uelis, uenies tandē ad eum, quo nullū de hac materia inuenies in scriptura lucidiorē. At huius sensum genuinū, cum in diuersas sententias trahi possit à peruiacibus, per quem scripturæ locum explicabis quæso, cum clariorē inuenire non est: Opus est igitur maiori aliqua authoritate, quæ eius scripturæ interpretes sit futura, & huiusmodi torquendi scripturas peruiaciam compescat & cohibeat. Quæ autem hæc sit, id sequenti libro inuestigare aggrediemur, alia ratione, quàm per scripturas sacras, ut in fine tertij libri polliciti sumus: nempe ex ritibus, hoc est ex Christiani populi comprobatis obseruationibus.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

## 30 DE INSTAURANDA RELIGIONE LIBER NONVS, QUI EST De sacris ritibus.

Quomodo primum nati sunt ritus. I.



40

Is sum est iam diu quibusdam, multa fieri pro more in ecclesia, quæ scripturis repugnāt: multa etiam, quæ quamquam non repugnāt, quorū tamen fundamēta nō sunt in scripturis posita. de his mira hodie inter eruditos contentio est. Alij enim omnia quæ præter scripturā sunt, abolenda censent: alij seruari uolunt. Illi scripturā habent, unicam Christianæ religionis regulam, ad quam omnia rerum iudicia sint dirigenda.

R 3 da.

Act. 17. da. Discipulis, inquit, Thessalonicēsis laudi ascribit, quod cū omni animi prōptitudine scrutabant scripturas, num ea ita se haberēt, quę docuisset Paulus. Cum mitteret suos Christus ad annunciandū euāgelium, iussit tantūmodo, ut ea docerēt quę ipse pręcepisset. Hęc & eius modi in suę sententię confirmationē illi adducūt. Alij contrā, usq; adeo multū tribuunt ritibus, ut spiritū uerū ecclesię moderatorē asserant nō solū per scripturā, uerū etiā per ritus loqui, multoq; certius quā per scripturā, ecclesiasticū cœtum per eos moderari. & non posse religionē sine ritibus consistere, aiunt ab ipsis aduersarijs probari, quando his sublati alios substituūt nō æquē bonos, aut quos nō dixeris propius 10 quā illi sint, ex scriptura desumptos. Quin etiam hoc addūt, non esse idem repugnare scripturis, et fundamentū quorundā rituum haud esse positū in scripturis: sed neq; debere id protinus uideri ex scripturis non profectū, quod aduersarij tale iudicauerint, sed de hoc ecclesię censurā esse expectandā, & interea id tolerandū. Hęc controuersia singulis prope modum de religione quæstionibus se immiscet hac tempestate, creberimaq; est omnium controuersiarum: quam si rectē uelimus discutere, primū perpendere quę indoles & natura rituum sit, oportebit.

Ritum definiunt, quod sit laudabilis atque probatus mos, publicē introductus absque scripto. Differt autem is multum à more, consuetudine, usu, alijsq; huius significationis uocibus, quanquam hęc inter se connexę ligatęq; sint. Namque usus uocabulum late patet. omnis enim actio, usus dicitur eius facultatis, quę actum ipsum suppeditat, qui si crebrō iteretur, aut frequentetur, accipit nomen consuetudinis. Consuetudine autē firmatū animi institutū, mos dicitur. hic, si probatus est, et absq; scripto receptus, ritus appellat. Verū scripturā sacram intellige. nam receptas patrum traditiones etiam appellatione ritus cōprehendo: qui si ad curam, cultumq; diuinum pertineat, ceremonia est.

Ritus autem uetustissimi sunt, & quasi cum homine nati. Concessit enim natura, ut infantes statim ut ex utero prodire, eam animi partem, quę sensum habet molestiæ & iucunditatis, parenti suę indicent, significantq; actione quadam motus atque uocis: ut cum animi affectum sermone prodere nondum possint, uoce inchoata & naturali actione, aliorum animantium ritu loquantur. postea sermonem adiunxit, perfectiorem humanę mentis interpretem: quo tamen animi conceptum proferre homo commode non posset, nisi actione quadam corporis & uocis esset adiutus, quę ingenium, mores, & animum loquentis, nescio an etiam apertius quā sermo ipse, indicaret. Ex huiusmodi actionibus nati sunt ritus, muta animi eloquentia: hisq; rationibus, quam uim rerum optimarum mens humana contineret, homines 40 primū effingere utcunq; tentarunt. quę uite ratio longo tempore durauit, usq; eò dum scripturę usus inuentus sit: unde primū scripturę regulę, quę pręscripta uocamus, nate sunt. imò longo tempore post in-

uentam

uentam scripturam hoc à multis seruatū fuit. Pythagorici enim philosophi nullam doctrinę suę partem literis consignare unquam uoluerunt, quod eò euenire sibi persuadebant, ut quę literis mandassent, minus memorię traderentur. Sic Cretenes, Lacedæmonijq; cum toti penē Græcię cum gloria imperarēt, nullis legibus scriptis, sed mutua imitatione uitę pro legibus usi sunt. Fuit Atheniensibus, populo alioqui florētissimo, aliquando exprobratū, quod scriptitandis diligentissimā, custodiendis uero legibus admodū paruā operā dedissent. Ideoq; pleriq; philosophorū legem animatā, quę tum uerbo tum exēplo implet, 10 inanimatis, hoc est scriptis legibus pręferunt. Sic Socrates reipub. bene institutam dicebat, cum ciues nō ipsas porticus plenas scriptorum, sed in animis recōdita iura haberēt. Quin et Christus orbis ille doctor, semel tantum, aut ne semel quidem scribēdo docuit: ea enim quę pharisæis adulteram accusantibus depinxerat in terra, mox euanescere, ut uix mereantur scripturę appellationem. Multa uero etiam fletu & fremitu, alijsq; modis ab eo tradita & indicata, sacrę literę testantur. imò etiam ueterem populum mirabili rituum ratione, sine scripto, Deus gubernauit, annis bis mille quingentis.

Quo loco & dignitate habitū fuerint ritus ab exordio rerum. II.

20



Vanti autem fecerit Deus per ea tempora rituum obseruationē, ostendit, cum res gestas Abrahami recenseret, ob quas se traditurū posteris pollicet Palestinę possessionē. Dabo (inquit ad Isaac) posteris tuis uniuersas regiones has, & benedicent in semine tuo omnes gentes terrę, eo quòd obedierit Abraham uoci meę, & custodierit pręcepta & mandata mea, & ceremonias legesq; seruarit. hęc enim cum diceret, nondū erat lex scripta. Qui uero tunc ritus fuerint, Moses postea eorū magnā partē declarauit. Nihil enim primi homines scripto mādare, sed per manus rerū cognitionē, si 30 quam uel inuenissent, uel diuinitus accepissent, inter se tradere et docere consueuerāt. inuenerūt autē præter multa alia præclara, etiam rerū celestium disciplinā. Atq; eam ob causam (ut quidā arbitrant) lōgior ætas ijs fuit cōcessa, ut plurium rerū cognitionē longo usu addiscerēt, inuentamq; posteris ueluti manu traderent. Fuerunt autē præsertim in diuinis rebus inuestigandis, eruditiores cæteris omnibus, Adamus & Mathusalē, ut Hebræi affirmāt. Adam uixit cū Mathusalē annis quadringentis duobus, & quadraginta: cui, & alijs, quicquid lōgo usu didicisset, ne non ad hominū notitiā ueniret, aut omnino periret, tradidit. hic quę ab Adamo acceperat, & suo ingenio præterea excogitarat, Noe 40 nepotē docuit: quę deinceps hic posteris suis, et præsertim Abrahamo, cum quo annis uixit penē sexaginta, cognoscenda dedit. Vnde tandem in electo populo artes ritusq; innumeri extiterūt, ijs nō dissimiles, quos multa post secula Moses literis mandauit. Adam enim filios suos

R. 4 docuit,

docuit, ut Deo aut pecus aut fruges immolarēt: & nemo ambigit, quin eandē sacrificij formam ipse obseruarit, quam filijs præscripsit. A quo tempore consuevit etiam Deus flamma, aut simili signo externo cœlitus indicare, cuius sacrificium sibi gratum fuisset. quo enim alio modo

*Gen. 4.* Cain cognouisset, ad fratris sacrificiū Deum respexisse, suum uerò ab eodem reiectū: In muneribus Deo offerendis etiam tunc certam orationis formam præscis fuisse, ut postea sub lege, ex eo liquet, quod scriptura

*Gen. 4.* narrat Euam, cum primogenitū päreret, inuocasse tetragrammaton illud ineffabile, legi familiarissimū. quin huiusmodi inuocationis formā

*Gen. 4.* ab Enos Adami nepote institutā publicē, primo libro docuimus. neque

*Gen. 8.* tum temerē quouis loco, sed certo, & in eum solū usum destinato, sacrificatum fuisse, uidere est in altari, quod Noe ex arca egressus sacrificijs erexit. Variæq; tunc sacrificandi formæ erant. nam cum Noe de tanta rerum mutatione summā, quam posset, reuerentiā Deo exhibere uellet, holocaustū obtulit, odoratusq; est Dominus odorē suauitatis: quod

*Gen. 4.* sæpe dicitur sub lege Deus fecisse. Abel adipem gregis immolauit: quæ hostia tempore legis, tum pacifica, tum pro peccato fuit. quin & animalium iam tum delectus erat, ut hæc idonea, alia sacrificijs nō idonea censerentur. Nam egressus Noe ex arca, de mūdīs, inquit scriptura, obtulit, & immūda duntaxat, quot propagationi essent necessaria, iussu Dei ar-

*Gen. 4.* cæ induferat. Sic primogenita iam erant sacrificijs dicata: sabbatumq; diuino cultui destinatū. Alio quoq; animo & modo electi, alio præuaricatores terram habitabant: hi ad perpetuā nominis sui memoriā ciuitates erigebant: illi tanquam peregrini, nihil in terris æstimabāt magni, aliaq; obseruatione hi, quā illi, matrimoniū coluerunt. Nam nepotes Cain plures uxores, quod sub lege postea concessum fuit, aluerunt: ceteri sua, & unica contenti fuere. & plura alia tam ante, quā post diluuium sunt introducta, quæ hic referre longum esset: & quorū maxima pars, quia scripta nō sunt, nos latet. Nam ut Berofus testatur, perlustrauit Noe cum uxore sua, trecētis et quingentis annis, omnem terram, ut suos nepotes ad decimam usq; generationē inuiferet, artesq; quæ uiris, quæ mulieribus congruerēt, doceret: multo uero magis diuini cultus ritus instituit. Sed & huius monita, docet scriptura, posteros statim cōtempnissse, & solum penē Abrahamū paternæ sapientiæ et pietatis fuisse hæredem.

*A tempore Abrahami rudimenta Mosaicarum institutionum paulatim introducta. III.*



**N**unc Deus ex omnibus mortalibus elegit, quippe ex quo populū sibi esset erecturus, quem peculiaribus legibus, ut ait propheta, moderaretur. hunc usq; eò, dum creuisset ad eam multitudinem, quæ condendæ synagoge sufficeret, futuræ legis rudimentis exercuit, & ijs moribus qui in synagoga seruandierāt, magis indiēs assuefecit. Statim enim circūcisio data est in signū

*Gen. 17.* fœderis

fœderis inter Deum & se: primumq; solis familiaribus, postea alienigenis, quos lex profelytos uocat. Hinc altaria lapidea erigi cœpta sunt, & primum olei, deinde etiam libaminis infusione consecrari in usum quotidianum. sed & loca per circuitum ad id dedicarūt: Abraham nemus, Isaac tabernaculū, & Iacob nomē loco fecit Bethel, hoc est domus Dei. Tunc et selecti ex toto cœtu, qui sacrificarēt: ut sacerdos Melchisedech, sacerdotes Ægyptij, sacerdotes Madianitæ. Certa quoq; ratio uestium iam tum fuit in eum usum introducta: ut uestis Iacob, qua cum à patre benediceretur indutus erat: et uestis Ioseph uariiegata. Tempora quoq;

10 ad preces fundēdas certa erant: nam mane surrexit Isaac ad iurandum, & inclinato iam die ad meditando egressus est. Sed & pro alijs precandi iam tum fuisse consuetudinem, ostenditur, cum precibus Abrahami sanatur domus Abimelech. Mox etiam alia Dei nomina inuocari cœpta, quā prius. nam cum prius nomen ineffabile, & Elohim, quod iustum signat, ferē fuerant in usu, à cæde regum reuer-

20 ti uictori. postea immolauit uictimas iudici patris sui Isaac: & nomen suum cum nominibus patrum suorum Abraham & Isaac, super filijs Ioseph inuocandum docuit: illum ritum, qui sub lege frequentissimus fuit, instituens, quo Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, tanquam ad animorum immortalitatem attestandam, inuocabant. Tunc & formam sacrificij introductam uidemus à Melchisedech, quæ Mosaico sacrificio proximē accedebat. Deo enim excelso obtulit panem & uinum, eo ritu, quo hostias pacificas Moses descripsit faciendas ex placenta similaginis, & libamine uini. Cum uero Abraham uaccam, capram, turturem, & pullum columbarum Deo obtulit, totam penē Mosaicorum sacrificiorum materiam expressit. Ipsam uero rationem sacrificandi idem præfigurauit, dum diuisis in duas partes quadrupedibus, partem parti opposuit, aues uero nō diuisit. Cum uero per partes sic constitutas uisus est furnus et fax ardens pertransire, rudimentum uides cœlestis ignis sacrificia sub lege consumentis. Idem cum filium iussus immolare, filio saluo arietem maçtat: formam expressit sacrificij, quo oblati duobus hircis, alterum sacerdos maçtabat, alter mittebatur in desertum. Imò & uota iam tum solita fuisse precibus adiungi, ostendit Iacob peregrinaturus in Mesopotamiam. Quin uoti solutionē exegisse Deus uidetur, ubi iubet, ut ad suos reuertatur Iacob.

40 Decimarum etiam usum nō solum Iacob, cum decimas (ut modò dicebam) daturū se spondet, si domū rediisset: uerum etiam Abraham cū decimas prædæ offert, testatur. Habebat etiam tunc paterna et sacerdotalis benedictio suam efficaciam: suscipit enim benedictionē Abraham à Melchi-



Gen. 27. et 28. Qualis uerò tunc ritus, & uis iusiurandi fuerit, ostendit Iacob, cum non contētus simplici assertionē, fratrem inducit ut iuret super uendito primogeniti iure. Periurij autē uindicē homines etiam tum Deum agnouisse, Laban testatur, cum solum Deum (licet plures essent præsentes) testem adhibet contracti fœderis. Sic Abraham, cum iurat regi Sodomæ. rursus, cum idem & Isaac fœdus contrahunt cum rege Palestinæ. Verum cum Abraham seruū adiurat, ut filio quærat uxorem, peculiam iurisiurandi formam uides, cum iubet famulo, ut manum ponat subter femur tandiu, dum iuramentum præstet: unde & creditum est, Plinius. genibus quandam religionem inesse. Habita est etiam tum differentia inter uxorem & concubinam. uxores enim suæ gentis, concubinas uerò seruilis etiam conditionis ducebant patriarchæ, sed non nisi consensu uxoris, quòd aut ipsa sterilis esset, aut iam parere desisset: ut cum ex uxore non possent, saltem ex ancilla liberos susciperent. ut tamen hæc sciret, si uxor uellet, etiam antequam peperisset, se ædibus eniciendam. Latius harum differentiam explicat scriptura, nempe ubi concubinarum filijs munera, uxorū uerò solidam hæreditatem relicta esse narrat. item ubi iubet, ut ex relicta uxore propinquior defuncto semen suscipiat: & ubi adulterium iudicat, si ea, dum expectat propinqui maturam ætatem, commisceatur cum alieno. Cura quoque sepulturæ tunc est introducta. Abraham enim empto agro, cui spelunca adiuncta erat, completis funebribus exequijs uxorem sepeliuit, in quod sepulchrū & ipse & Isaac reconditi sunt: imò & Iacob procul ex Ægypto in hoc illatus est, luctu quidem octo, pompa autem funebri quadraginta dierum. Quin & annum lugubrē indicat scriptura tum solitum fuisse obseruari, quando luctum de morte materna, Isaac consecutus optatas nuptias, scribitur deposuisse. Hos, & his similes ritus obseruarunt posteri Abrahamæ, plus tribus seculis, sine scripto; antequam ullæ leges à Mose publicarentur.

*Præter legem scriptam ritus erant multi, quibus populus Israeliticus gubernabatur. IIII.*



Ed forsan uisum est nonnullis, nec immeritò, propterea legem à Deo traditam, ut reiectis omnibus ritibus, iuxta scriptam legem populus amplius gubernaretur. Verum longe secus affirmat Philo. hic enim primo libro *περι τῶν νόμων* teste Eusebio scribit, præter legis sanctiones innumerabilia alia fuisse seruata ab hoc populo, quæ scripto non essent contenta. quorum etiam aliquot exempla producit: nempe liberos captiuos à parentibus, uxorem à uiro separari non solere, mortuorum sepulchra non uiolanda, aquarum fluentia non secludenda, atque alia id genus multa. quæ licet non scripta, uetus populus adeò stricte (ut Philo dicit) solitus est obseruare, ut septimo quoque die, cum pro more lex diuina recitaretur, prædicatis

ctis etiam ritibus recitatis grauius sit maledictū, qui & hos non seruasset. Quin etiā Paulus ipse ad Timotheū, quæ de lanne et lambre adducit, quos scribit Mose improbe restitisse, nō ea ex literis sacris, sed uulgo receptis Hæbræorū cerimonijs (qui ritus sunt) habet. ex quibus sumpsit et apostolus Iudas uaticiniū Enoch, & pugnam Michaelis cū diabolo de corpore Mose. Ioannes etiā Damascenus Hæbræorū ritus agnoscit, cū quod de solo Pentateucho præceptū fuit, de omnibus scripturis sacris obseruatū dicit, ut omnes simul in latere arcæ reponerent. cuiusmodi tū obseruationes tū sententijs Iosephus penè innumeras memorat, nō scriptas in libris sacris. Nec mirū. nam ut Hæbræi affirmant, cōparatione casuum in portis emergentiū, uix habuit lex scripta millesimæ quæstioni sanctionē certam, adeò plures causæ occurrerent alia decidende ratione, quàm iuxta legem scriptam. Sed & *Ἀποστολικῶν* Hæbræorum, de quibus libro superiore, inter ritus certe numerandæ sunt, aut sunt saltem e ritibus ortæ. Vt præterea longè plures fuisse prophetas, quàm scripserint: eosque qui scripserunt, consentaneū est uerbis & factis plura, neque forsitan minus præclara docuisse, quàm mandarint scriptis. Et quam huius gentis scriptores iactant cabalā, nonne illa planè tota fuit ritus, uidelicet uiua uoce duntaxat delectis quibusdā hominibus tradenda? Certe plura ante legē fuisse obseruata, quàm in lege scripta sint, ipsa etiam scriptura confirmat, cum inter genera obseruationū, quibus Abraham Deum coluit, primo loco numerat mismoth, quæ septuaginta uertunt *ἡ ἡσυχία*: latinorū alij uigiliam, alij custodiam, alij obseruationē. hæc David quoties scripturæ membra numerat, non agnoscit: nec à Mose, quæ illa sint, explicantur. Et ut semel finiam, cum lex scripta angelorū ministerio tradita sit, Deusque interim patribus illis, et Mose non pauca præfens reuelarit: quis non fatebitur, præter doctrinam scriptam, ritus etiam, per patres à Deo institutos, scriptis legibus non inferiores?

*Ecclesia solis ritibus primum creuit. V.*

**I**dem usu uenit in noua ecclesia constitueda. Prædixerat enim propheta Hieremias, nouā legē nō iam in tabulis lapideis, sed hominū cordibus scribendam. quod satis etiā res ipsa de se testatur. nō enim primi euangelij præcones ex uarijs prophetarum libris, aut studio diligenti, docendæ legis intelligentiā primum nacti sunt, sed repētino spiritus impetu ea illis infusa est: quo etiā seruiore eandem cæteris credentibus tradiderunt, prædicantes assidue euangeliū uiua tantū uoce: ut ecclesia ante euangelia scripta (nam Matthæus quantum primus omnium, nō tamē ante annū octauū post Christū assumptū scripsit) magnam in multitudinē creuerit solis ritibus, & uiuæ uocis traditionibus. quas omnes quia non cōplexus erat Matthæus, adiūxit mox suū Marcus euangeliū: in quo nō solū explanat dilucidius quæ Matthæus scripsit, sed et quædam ab eo ommissa supplet. Sed an putabimus, nouæ religionis præcones non plura, nec prius fuisse populo interpretatos suauis-

1. Cor. 15. suauissima illa conceptionis, natiuitatis, infantiaeq; miracula, quàm ea Lucas scripsisset, idq; anno ad minus post Christum assumptum decimo quinto: Imò Paulus multa Christi gesta habet, quæ nemo illorum, imò neq; postea ullus scriptorum memorauit: ut sunt inclytæ Christi rediuiui apparitiones, quas in priore ad Corinthios epistola enarrat: et Act. 10. uerbum illud Christi ad præfectos Ephesiorum, Beatum est potius dare, quàm accipere. Sic & unumquenq; aliorum apostolorum de Christo prædicasse, quæ non sunt scripta, testatur Ioannes, qui omnium ultimus sexagesimo quinto post Christum assumptum anno, euangelicis dogmatibus quasi extremam manum imponens, subiunxit: Sunt et 10 Ioan. ult. alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singulâ, nec ipse (opinor) mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Quod certe non ea ratione dixit, quasi cæterorum Christi siue operum, siue uerborum mortales non forent capaces: nam aliquot Christi dicta Papias ab ore Ioannis, & Ireneus ab ore Polycarpi, qui ea à Ioanne audiuerat, in scripta redegerunt, quæ neq; à Ioanne, neq; ab alijs sacris prophanisq; scriptoribus sunt scriptis mandata. Hoc Papias testat in proœmio quinq; librorum, quos de explanationibus sermonum Domini scripsit. Considerabam, inquit, quid Andreas, quid Petrus dixissent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes, quid Matthæus, uel alius 20 quilibet discipulorum Domini, quid etiam Aristion, & senior Ioannes discipuli Domini loquebantur: Non enim tantum mihi libri ad legendum profunt, quantum uiua uox usq; hodie in suis authoribus performans. Hæc Papias.

*Præstantiorem partem doctrinae suae apostoli non scripserunt. VI.*



Ed demus, ea dicta & facta Christi ab euangelistis enarrata, quæ nobis necessaria & satis sunt. De cultu certe, moribusq; instituendis, liquidum est apostolos multa necessaria docuisse quæ non scripserunt. Thessalonicensibus 2. enim scribens dicit Paulus: State, & tenete traditiones, 2. Thess. 2. quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram: palam indicans, se præter ea quæ scripserat, non minus præclara, imò præclariora solo sermone docuisse, cum sermonem prius quàm epistolam nominat. Idem ut ex primis literis liquet, Corinthijs rationem, qua dominicæ coenæ memoria celebrari debeat, uerbo tradidit. Quin etiã alia nonnulla pollicetur, cum ad eos rediret, se dispositurum: quorum cum nullo libi in alteris literis ad eos scriptis meminerit, & nefas sit mendacij nomine Paulum cuiuspiam suspectum esse, fateri oportebit, uerbo quædã, eaq; non uulgaria, ab apostolo instituta, quæ ad rem tam grandem spectarent. Et ausim affirmare, plura Paulum atq; præclariora docuisse re ipsa & exemplo, quàm scripto aut uerbis: quod de Christo nemo dubitat. Nam euangelistæ omnes (ut satis ex ipsorum scriptis uidere est, &

Lucas

Lucas in exordio Actorum testatur) plus ad factas res, quàm eius dicta respiciunt. primum enim faciendi uerbum ponunt: Quæ (inquit Lucas) coepit Iesus tum facere, tum docere. Sed & Ioannes hoc multo manifestius indicat ultimis euangelij sui uerbis: Sunt autem et alia multa, quæ fecit Iesus: non quæ dixit, aut docuit. Imò etiam ipse Christus non tam uerba, quàm facta sua solitus est commendare: Si, inquit, non facio opera 10 Ioan. 5. 16. & 15. patris mei, nolite credere mihi. & iterum: Si mihi non credatis, operibus credite. Pari modo Paulus, etiam suorum scriptorum subinde, & uerborum sæpius meminit, frequētius tamē et diligentius opera sua in mentem 10 ijs reuocat, & proponit: quin etiam, hoc cum facit, sæpius quæ illa sint, non explicat. ut ad Corinthios: Hortor uos, ut imitatores mei sitis. & iterum, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. et alibi, uitæ suæ rationem 1. Cor. 4. & 11. pro regula instituendorum morum proponit: Estote, inquit, imitatores mei fratres. & paulo post, Quemadmodum habetis nos pro exemplari. Et alibi, Ipsi scitis quo modo oporteat imitari nos. Item: Non inordinatè 2. Thess. 2. gessimus nos inter uos, ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. alibi uerò, totam uitæ suæ consuetudinē signum esse uult, quod à falsis apostolis sit discernendus. Ex his & similibus patet, quanta diligentia multos instituerit ritus, qui scripto non sunt mandati. Ne hoc mirum debet uideri de Paulo, quippe qui aliorum omnium more hoc fecerit. Nam si (ut quotidie deprehendimus) plura commodius docemus exemplo & uerbis, quàm scripto, cur non libenter fatebimur Paulum, cæterosq; apostolos plura, imò etiam præstantiora docuisse uitæ suæ consuetudine, & familiari sermone, quàm literis scriptis?

*Quod pro temporis & rerum conditione, pedetentim apostolorum & eorumq; successoribus perfectior euangelicæ doctrinae cognitio data est, & semper dabitur. VII.*

30 **A**T forsan dices, apostolos uerbo & factis ea tantummodo docuisse, quæ tunc præsens rerum conditio postulauit: ea uerò sola quæ scripserunt, uoluisse posteris tradita uideri. & propterea non ritus illius seculi, sed sola scripta ad posterum pertinere, istud manifestè alienum est à uero. Eam enim humanitatem, quæ Aegippus scribit Petrum & Paulum Romæ exhibuisse Simoni mago, quis negauerit, tamen in sacra scriptura non memoret, nunc tamē nobis quoque imitanda: Verum ut concedamus, quæ ille de apostolorum actis scripsit, nihili pendenda esse: hoc tamē non impedit, quin credere liceat, præter scripta, apostolorum aliorumq; piorum hominum ritus multos fuisse, qui ad posterum peruenerunt. Instante enim passionis tempore, hunc in modum alloquitur suos Christus: Adhuc multa habeo quæ uobis dicam, sed 40 Ioan. 16. non potestis portare nunc. indicans, uniuersa quæ docuerat, tamen si plura essent, ut Ioannes docet, quàm ut scribi possent: pauca tamen esse præ illis, quæ postea erat docturus. nec illis uerbis ea intellexit, quæ mox rediuiuus inter eos agens docuit: sed ea potius, quæ digressus

S ad

ad patrem per spiritus sancti reuelationes inspirauit. quia subiungit: Cum autē uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnē ueritatē. Harum autē reuelationū semina quancūq; apostoli acceperint ipso die Pentecostes, ut quarto libro docuimus: ipsam tamē rerū cognitionem nacti sunt. pedetētim, ut quinto libro ostēsum est. neq; em̄ Petro et Paulo spiritus reuelauerat eiusmodi rerū cognitionē uniuersam, cum ipsi decederēt. Vixit post hos lōgo tēpore Ioannes euangelista, cui tunc nō contēnendæ res reuelatæ sunt. sed neq; ea quę hic scripsit, tam facilia sunt, ut nō uideat. postea opus fuisse reuelatione. Quin & post mortē Ioannis ortæ sunt alio tēpore aliæ hæreses, ad quas conuincēdas nō minus opus fuit reuelatione spiritus, q̄ ad conuincēdos Ebionē et Cerinthū, aduersus quorū hæresim Ioannes suū scripserat euangeliū. Non em̄ supremis precib. Christus pro solis apostolis, sed pro ipsorū etiā successoribus rogauit: nec spiritum misit ijs solis, sed ut ad finē usq; seculi huius in ecclesia maneret, & perpetuò quę necessaria essent reuelaret.

*10an. 17.* Pro alia em̄ et alia hominū cōditione, opus est modo hac, modo illa morum institutione: et pro humani ingenij uarietate, nouisq; quæstionib. excogitatis, opus est nouis quotidie disceptationibus, & propterea nouo diuini spiritus munere: quo modo apud apostolorum successores multa religionis dogmata disputata, et certò definita uidemus et credimus: ut est duplex in Christo uolūtas, una in duab. naturis *ὑπόστασις*, spiritus sancti à patre filioq; processio, uirginis matris perpetua integritas, angelicā creaturā simul fuisse conditā cum mūdāna, Pascham celebrandam altera sabbati, et id genus innumera. quę cum per scripturas haud possent satis probari, spiritus certe reuelauit, eadem planē autoritate, qua sacra ipsa scripta & prædicanda, & profitenda sunt.

*Ritus, controuersiarum omnium, & præsertim sacrarum supremus censor. VIII.*



**S**i dicas, hæc omnia subtiliter esse deducta ex scripturis diuinis, spiritus sancti afflatu, qui non ob aliud adest suæ ecclesie, quàm ut semel scripta, doceat perpetuò intelligere: aut si inde nequeant deduci, ea tum nullo modo ad religionem pertinere. Hic iam planē te cōfirmas, usum & ritum sequi. Nam cum tibi non sint tam subtiles oculi, ut uideas, qua hæc ratione ex scripturis deducta sint, profectò cum affirmas, eo quod ad religionem pertinent, ex scripturis deducta esse: hoc ipsum, nempe esse ea ex scripturis deducta, te non potuit alius magister docere, quàm recepta de ea re opinio. Sed planē reñciamus hæc omnia, nihilq; ea dicamus ad religionem pertinere, donec uel omnibus, uel maiori ecclesie parti, uel tibi saltē sit manifestum, qua ratione sint ex scripturis deducta. Istud si tibi permittamus, nō hoc faciet (ut quidā putāt) ut hinc fateri cogamur, solā scripturam esse sui interpretē, nec patrum autoritatem & ritus scripturæ esse censes, sed potius hæc contra te erunt. Cum enim post apostolorū discessum

discessum multa suppositicia circumferrentur sub apostolorum nomine, quis alius hæc discreuit à genuinis, quàm patrum autoritas: qui de his decernentes, alium magistrum sequi non potuerunt, quàm ecclesie ritum, per quem libros sacros à prophanis fecernerent. Sed sicubi occurat scripturæ locus aut obscurus, aut ambiguus, ut cum dubitatur scriptio recta ne sit an deprauata, locutio simplex ne sit an figurata, hic ne sensus sit an ille: si non sit alius locus (ut sæpe usu uenit, & à me libro superiori doctum est) qui de ea re clarius tractet, quis alius eius cōtrouersie iudex erit, quàm publicus ecclesie consensus, qui ritus est:

*10* Imò ausim dicere, omnem disceptationem, quæ potest siue in sacris siue in prophanis rebus nasci, si ipsamet non est de ritibus, necessariò de uolui tandē ad aliquam de ritibus quæstionē. Omnis enim disceptatio, aut est de facto, aut de iure. Quæstio quæ circa factum uersatur, consistit in testimonijs hominum: quæ circa ius, illam oportet scripto aut consuetudine terminari. Si ius sit consuetudine docendum, iam uides totam rem uersari circa ritum: si scripto, profectò quid scripto uoces significet, oportet publica cōsuetudine, hoc est ritu didicisse. Quod si uero res in hominum testimonijs consistat, siue ea scripto proferantur, siue sermone, uides rursus uocum cognitam longo usu significationem supremum iudicem esse huiusmodi controuersie. Quæ res ea de causa maiorem præbet difficultatem in controuersijs religionis, quod neq; uoces rerum sacrarū eandem, quam apud uulgus, significationē: neq; oratio eisdem loquendi figuras cum oratione uulgi, sed propriū ritum habet, iuxta quem controuersie rerū sacrarū sunt terminandæ.

*Præter dictos ritus esse quoddam tertium genus rituum. IX.*



**S**uperius ostensum est, quomodo multi ritus in ecclesia fuerint, antequam quid scriptis esset mandatum: mox adiunximus, & alios statim ritus post scripturam, uelut umbra corpus, subsequutos, pro necessaria rerum Christianarum

*30* conditione. nunc dicturi sumus de eo rituum genere, quod nullam omnino cum scripturis communionem habet, quippe qui scribi haud possunt. Veniant hic ea in mentem, quæ quarto libro dicta sunt, nempe ecclesie in primo exortu, seminarium esse inditum donorum naturam superantium, quorum cunq; mens mortalis particeps esse posset. Inter hæc dona reuelationes sunt diuinæ, quibus uarij uarijs modis (ut ex sacris literis patet) afflantur. Sunt autem inter eas, quas effari posset hoc munere donatus, sunt quas non posset. ut cum per nouum lumē, aut per noua spectra eæ res humanæ menti ostendunt, quarum non sunt uocabula inter homines: aut cum adeò etiam admirabilia reuelant, ut

*40* uulgus hominum intelligere, aut etiam mens humana, quid sit hoc, exprimere haud queat. Nec mirum cuiquam hoc uideatur, cum idem in humanis cogitationibus, quę effabiles sunt, usu ueniat, ut bona pars uerbis nequeat satis exponi. Nam ueteres tragici, mediocres animi

motus, uerbis: uehementiores autem, nutibus & corporis actione potius, quam lingua significari, scriptū reliquerūt. Licebit ergo triplicē hic uidere reuelationē. infima est eorū quæ uerbis explicare cōmode et plane possumus, quæ pariūt præscripta: alia eorū quæ uerbis nō possunt, aut ut possent, gestu tamē et actione aptius significant, unde propriē hi ritus: tertia uero earū quæ nullis rationibus effari licet, ac propterea omnem et scripturā et ritum superant. sunt enim hæc nihil aliud, quam æternæ beatitudinis, seu gaudij incōprehensibilis rudimenta hominū quorundā. quo munere qui afflati sunt, solū hoc apud se sentiūt, nec ita proferunt ut uulgus ea intelligat. quæ quia non attinent ad ecclesiasticam cōmunitatē, ritus proprie nuncupari non debent. Verum quos hic uestigamus ritus, ij media ex classe oriunt, nempe ex ijs reuelationibus, quas admiratione animi, & corporis actione utcunq; exprimimus, ut omnes ferē doctorū hominū de Deo cogitationes. hinc Hebræis nomen ineffabile: atq; hoc est supremū ritū genus. Nam cæteri de quibus suprā, aut sermone aut exēplis satis declarant: hi uero (quoniā admirabili nouitati uoces desunt, quibus eam efferamus, aut ingenij humani fragilitas eam sublimitatē non penitus comprehendit) uerbis quidem nō possunt, facto tamen externo utcunq; significantur.

*Verbi quā scripti, & rursus operis quā uerbi efficacior doctrina. X.*



Nest propterea omnis generis ritib. singularis quæ dā uis, quam præscripta nō habent. Est em̄ ritus ueluti silēs quædam, sed actiuosa comœdia: quemadmodū Plutar chus dicit poëma esse ueluti loquentē quandā picturam, imō multo significantius rem exhibent ritus, q̄ arte licet confectū poëma, uel pictura. Verum ij ritus qui sermone docent, peculiare quandā uim retinuerunt ex eius sermone, qui ritum primus introduxit. huius enim quanta sit uis, ex eo liquet, quod Demosthenes interrogatus ordine, de prima, secūda, ac tertia uirtute orationis, pronuntiationē semper respōdit, indicās omnē omnino orationis uim depēdere à pronuntiationis efficacia, hoc est uocis et corporis digna moderatione. unde etiā uulgare dictū, *Uia uox magis afficit.* quæ uis cū desit scripturæ, nō potest hæc aliter mentē authoris explicare, quā uti statua corporis lineamenta: elocutioni uero addit ea quasi uitam, ut anima corpori, si modo appositē adhibita sit. multum enim hac in re artificium ualere ostendit *Aeschines*, qui de oratione Demosthenis à se quamuis cum laude auditorū prolata, *Quid si bestiam, inquit, audissetis sua uerba resonantem? Habet enim ratio pronuntiandi uiuū quid, quod auribus: alterū, quod oculis subiectū est.* Nam aliter afficiet cæcus si à *Pericle*, aliter si ab inferioris artis oratore orationē audiuerit pronuntiari: ita & surdus, si uideat Demosthenis orātis gestus, hoc est frontis & oris, oculorū ac uultus, manū pedumq; & (ut semel dicā) totius corporis accommodatā orationi

orationi actionem, aliter afficietur, quā si inferioris industriæ ignauū aliquem oratorem uideret differentē. Quod & ij rectē animaduertunt, qui optant Christum uidere miracula operantē, & Paulum audire prædicantem. Eos uero ritus, qui imitatione benefactorum cōstant, nemo dubitauerit multo cæteris esse efficaciores, si modo uetus ac uulgatū uerbum uerum est, ut certe est uerissimum, exemplum efficacius docere, quā præceptum: et plus hominū moueri uitę cōsuetudine, quā uerbis. hic uides, quomodo res ipsa nos fateri cogit, ea quæ Apostoli facto suo monstrarunt, efficaciora fuisse ijs quæ docuerūt uerbo, & hæc rursus ijs quæ literis sunt ab iisdem consignata. ac proinde etiam minorem religiosorū dogmatum partem in epistolis, concionibusq; Apostolicis posteritati esse relictam. Quid, quod & ea quæ scriptis mandata sunt, potius ex ritibus, quā ipsis scripturis percipiamus. Nā habent ritus quasdam in se circumstantias, quas nemo uerbis apte expresserit: quæ nō secus, ac incessus & uestitus corpus humanum, rem aliquam ornāt. Ex his oritur ratio laudis et uituperij. eadē enim actio sic facta, laudē meretur: secus facta, uituperāda est. Has, ut dixi, circumstantias nemo commode uerbis expresserit. Experimur quotidie, q̄ nequeamus conflictū, quem oculis uidimus, uerbis ita describere, quin aliquid semper sit, quod nos ipsi (etiā si Demosthenica nobis esset faciūdia) desideremus. Quare solēt sacrarū rerū scriptores, difficiliōres alicuius rei circumstantias, cū aptius nequeāt, ordinis uocabulo designare: ut quādo reginā *Saba* dicit scriptura, post alia *Solomonis* sapiētissima opera, admiratā ordinē ministrantiū: intelligit hic sub uoce ordinis, omnē id quod plus regina uiderat, nec poterat uerbis narrari. Sic *Paulus Corinthijs* iubet, ut omnia decēter, et secundū ordinē fiant: et *Colossensibus* scribit, *Quamuis carne sim absens, tamē spiritu uobiscum sum, gaudēs et uidēs ordinē uestrū.* Si igitur alicuius rei scriptæ & agēdæ in mentē auditoris imprimere, & quasi in animo signare uelis, nisi uerbis addas agēdi formulā, qua omnes ipsius rei circumstantias perfectē depingas, frustra laboraueris. alioqui facile fieret, ut actionem inepta circumstantia uiciaret imitator, cum tamē imitatione pars cuiusq; artis magna cōtineat, teste *Fabio*. qui (ut ego arbitror) nō omnino male dixisset, si affirmasset, artē omnē imitatione cōtineri. Nam hinc exēpla, ritū fontes descendūt: quæ id, quod sit obscurius, magis dilucidū reddūt atq; ita perspicuū ante oculos ponūt, ut iam res scripta tentari manu possit.

*Ritus à quibus, & quomodo in communitatem religionis introducantur. XI.*



Ides quā sint necessarij ritus, adeo ut hominum societas sine legibus forsitan possit, sine ritibus uero consistere nequeat. Nam cum quæq; societas suum habeat scopum (ut superioribus libris dictum est) certasq; regulas quasdam, quibus ad scopū ducitur: has certe si uerbo aut scripto tradas, nihil om-

nino feceris, nisi imitationis formulam præscribas, ut modò ostensum est. Hanc ut religionis communitati cōstituas, erit difficillimum: quippe quæ futura est tanto difficilior, quanto eminentius fuerit id, quò peruenire properas. Quo em̄ actio sublimior, eo minus facile imitari atq; exprimere eam possumus. attamē nulla in re usq; adeò opus est imitationis regula, ut in religione. Videndum ergo, qui eam nobis primùm præscriperint: tum, qui ueri sint ritus ecclesiastici, in aperto erit. hi, quemadmodum scriptura sacra, ab apostolis suam originem trahunt, quanquā etiam multis nō apostoli, sed eorum discipuli initia dederint, qua in re excelluisse uerisimile est ecclesiarum rectores, qui ex apostolorum absentiu scriptis formam, modumq; uiuendi assumentes, atq; ita (quod ait Petrus) forma gregis facti, subditos usq; ad imitationem sui pertraxerūt: ita ut ex unius hominis quotidiana uitæ cōsuetudine, publicus tandē mos, q; ritus est, factus sit. Tales præfecti apostolorū tempore multi erant. Nam legunt quidam tunc tanto nouæ religionis feruore correpti, ut multa præstarēt, quæ erant præter præscriptū, quos si ne dubio plebs in multis imitata est: & è contrario fieri potuit, ut plebeius actionem aliquam sæpius tunc iteraret simili animi feruore, et reliquum populū, etiā præfectos ad eius imitationē inuitaret, quæ ritū pareret. Huius generis ritus, eo quòd ex cōsuetudine orti sunt, quam tandem præfecti approbarunt, solemus receptos usus appellare: illos, quoniam ex præfectorum instituto in consuetudinē deuenierunt, proprie nuncupamus traditiones. Horum tamē ritū non tam apostoli, ecclesiarumq; rectores erunt dicēdi authores, quàm populus ipse, licet illi hos primùm introduxerint. Non enim illico ritus fuit, quod ab apostolis uerbo, scripto, aut etiam exēplo propositū fuit, ut imitatione populus exprimeret: imò neq; quod iam populus imitari, & adumbrare ceperit: sed id tandē, cui mutuo imitationis studio inflammati homines sese longo usu assuefecerūt. Nam licet ecclesiarum præfides summā acceperint à Deo potestatem, paterfamilias à natura, princeps à populo, & alij aliunde: autoritatē tamen instituendi ritus, neq; Deus, neq; natura, neq; hominum arbitrium alicui uni homini concessit, imò nec concedere potuit, sed hanc sibi populus ex ipsa rei natura propriam habet. Hoc Tiberio innuebat Pomponius. Cum enim edictū ille uerbum apud Latinos non receptū inscripsisset, & grammaticis conuocatis Capito antiquū esse diceret, et si nō esset, futurū certe iam inde, ut ciuitas in gratiā Cæsaris, id uerbū inter antiqua reponeret: Pomponius ingenuè hoc reprehendit, Tu, inquit, Cæsar ciuitatē dare potes hominibus, uerba et lingue usum dare non potes. et recte quidē. Non em̄ magistratus, sed uniuersitas populi: nō edictū, sed obediētia: nō studiū & alacritas, sed mora ipsa atq; publica imitatio ritū tandē profert, imò uerius exordium tantummodo præbet ritui instituendo. Gradatim enim fit ritus: & primùm mens eius, qui alios ad imitationē sui inuitat, considerāda

da est. Fieri enim potest, ut quis quid agat, et sibi faciat familiare, non tamen alterius exemplo inductus. ut si quis nouā quandā formā præscribat, qua familiā suam gubernet, nescius interim sic quoq; facere uicinū. aut ut ille ab hoc discat, quod tamē hic non ea mente fecerit, ut imitationis formulam hoc esse uelit: ut si quis pro differente ab alijs agri sui natura, nouam colendirationem sibi excogitet, quam cæteri mox imitentur. Sed fit etiam, ut quis experiendi duntaxat, non protinus statuendi causa quid agat. Nemo horum omnium dicendus est ritui alicui dedisse initiū. nam solum is qui longa et quotidiana exercitatione quid agit, eo animo ut suę societatis homines ad se inuitet, consuetudinēq; eius rei introducat, is inquā uerè dicit primùm dedisse futuri ritus causam. Is em̄ perinde facit, quasi proposuerit hanc quæstionē, sit ne is usus publico bono cōmodus, à singulis discutiendā: hunc uerò q; imitant, et quasi fingūt, n̄ de ea quæstione deliberāt, et quid hic faciendū, exquirūt et experiunt. n̄ dē cū iam in eo, quasi in re laude digna perseverant, decernūt ueluti communib. suffragijs, eiusmodi usum honestū esse, et cōmunitati utilē. qui postquā in eū numerū peruenerint, ut legi sufficerēt, ea de referēdā, quæ lex omnes obligaret, quidni tacito, sed tamē omnib. manifesto cōsensu n̄ dē ceteros obstringūt. Nam si legē, quę scripto promulgatur, aut uoce, propterea ferè recipimus, quod ducti aliqua cōiectura speramus eam utilē reipub. futurā, cū tamē re ipsa id experti nondū simus, nec iustū de ea deliberandi spaciū detur, et potius magistratus eā sua autoritate suadeat, q̄ uolūtatis nostrę libertas: quid quęso de ritib. erit censendū, de quib. instituēdis quisq; quāto uelit tēpore, et tranquillo animo inquirat et cōsultat: et cū lōgo usu doctus, certò scit hos ritus cōmunitati cōmodos, tunc tandē statuit, et de ijs decernit. quapropter nō est in rebus humanis cui libētius parēt homines, nec cui firmiter debeāt parēre. Verū illud notius est q̄ ut admonere debeā, si ritus dici debeat, oportere si non totius, potioris saltē populi consensum accessisse.

De ritibus olim non minor patribus, quàm de scripturarum integritate sollicitudo. XII.

**I**llud constat, plerosq; ritus ecclesiasticos ab Hebræis atque ethnicis sumptos fuisse. Nam cum difficile esset relinquere consuetudinē, quę altera natura est, ac propterea primiecclesiæ institutores etiā noxias cōsuetudines aliquātisper inuiti tolerarēt, dubiū nō est, quin hi postea eas quę nihil haberēt uicij, aut à quibus id quod haberent, facile poterat abstergi, libenter admiserint. Sic uidemus Paulum, cum idololatriā incūctanter tolleret, aram tamē ignoti Dei Atheniensibus reliquisse, atque etiam laudasse. Habuerunt ethnici etiam alios quosdā cultus ex naturali religione, quorū aliquos lex nouæ religionis (ut primo libro ostendimus) non sustulit. Sed & eum cultū, quē Hebræorū natio exhibuit ab omnibus seculis omnium creatori, certum est nouæ religionis regulis nihil aduersari. hos autem,

1. Cor. 11. aliosq̄ id genus mores ostēdit Paulus se etiam in ecclesiā introduxisse, cum de facie mulierū tegenda disceptans dicit, Nos (suæ nationis homines significans) consuetudinē talem non habemus, neq̄ ecclesiæ Dei. Sed & oportere nouo, rudiq̄ populo formando ritus undiq̄ collectos  
 d. 12. c. no- uit. accōmodare, testatur ille, qui Britannorū apostolo iussit, ut non Romane solū ecclesię cōsuetudines, in qua ipse fuerat enutritus, sed aliarū etiā ecclesiarum mores perscrutatus, quicquid in qualibet inueniret, quod Deo plus posset placere, id ipse suis tyronibus traderet obseruandum.

In quibus tradēdis, quanta sollicitudine patres curarint, ne populus admitteret interim ritus aliquos inconcinnos, liquet ex illa contētionē, quæ primā ecclesiā mirè uexauit, super die celebrādę Paschę. Cū em̄ nihil habeamus certi in scripturis nouę legis de Pascha, sit ne ipso die dominicę resurrectionis, an quintadecima luna celebrāda, manifestū est eam quæstionē ad ritus omnino pertinere. Cumq̄ in eo ritu discordarent olim inter se Asianę, Aphricanę, et occidētales ecclesię, uix credibile est, q̄ diu multumq̄ uniuersalis ecclesia laborauerit, priusq̄ tantulā in uno ritu discrepantiā redigere potuit ad usum uniformē. Quanta igit̄ diligentia existimandū est, cæteros ritus quotquot eo tempore nati sunt, ab ipsdē expensas esse, & examinatos: In quā rem sequentiū quoq̄ temporum rectores mirè intētos fuisse, scripta ipsorū declarant, & nominatim Chrysostomi & Augustini, q̄ passim in concionib. magna uehementia morū corruptelas, qui suo tēpore ecclesiā inuaserant, reprehendunt.

Iidem conquerunt, & præsertim Augustinus, ritū licet non improborum, intolerabilē tamen tum multitudinē, tum grauitatē inualuisse sua ætate: adeo ut diceret, Christianorū conditionē iam tū peiore statu fuisse, q̄ olim fuerat Hebræorū, quos Deus quasi studio uoluit ceremoniarum multitudine premi, quid is diceret, si uideret mores præsentēs. Nam negari nō potest, præter innumerabilē tolerabiliū ritū multitudinem, innumerabiles etiā corruptelas irrepisse. Cui malo equidē nullum uideo remedium, nisi primum magna sagacitate repulsis uniuersis corruptelis, catalogus auctoritate summi iudiciū constituat̄ ecclesiasticorum rituum, hoc est eorum quos diuinus spiritus introduxit. Sicut enim inter scripturas, ita etiam, imò multo magis par est, & inter ritus distinguere, ut quos tanq̄ Deo authore institutos adorare oporteat, & quos humana industria probi, improbi ue homines introduxerint, discernant Christiani. Primo igitur loco, quomodo ueri ritus cognosci debeant: deinde quo modo tollendæ sint morū corruptelę, tractabimus.

Vnde cognosci queat, quis uere ritus ecclesiasticus sit, quis non. XIII.



Ante omnia erit reuocanda in mentem moris definitio, quam in huius libri principio posuimus: nempe quod sit, consuetudine firmatū animi institutum, qui mos si publicē probatus est, & absq̄ scripto receptus, appellatur ritus.

Verum

Verum quoniā animi institutū non semper idem est, sed aliud sola probabilitate, aliud firma et certa innitit̄ ratione: etiā uarię hinc in religione exoriētes sententię simili interuallo distant inter se. Nam quæ sentētia duntaxat probabilis est, ritū parit non uerē ecclesiasticū, sed qui tantū pertineat ad pias opiniones, hoc est ad cōmunes animi sententias religioni affines, quę uerō firma est et certa, atq̄ eā habet stabilitatē, quę decet religionē inspiratā, hæc tandē uerē parit ritum ecclesiasticū, siue is cōsiliij sit, siue præcepti. Exēplo res apertior erit. Solet cū ex sacris scripturis quæstio aliqua difficilior proponit̄, ea à doctis ultro citroq̄ disputari, priusq̄ de ea certi qd statuāt, in qua disputatione sepe usu uenit, ut tāta probabilitate eorū animos hæc quæstio percutiat, ut in quā partē magis confessa sit, uix queat discerni. Hic ergo cū quadā uacillatione (quoniā utrinq̄ propè uera uidet̄) non autē firmē decernūt, huiusmodi itaq̄ opinionē si uniuersus populus recipiat & amplectat̄, res certe est nō cōtemnenda, & ecclesiasticū perturbaret cōtū, qui hac probabili ratione haud esset cōtentus. nō tamē statim ea opinio uerē ad ipsam religionē pertinet: eo quod nō firma & certa, sed probabilis tantū, cuius uerisimilis ratio reddi potest, sentētia sit. Talis est forsan ea, qua uirginē matrē dicimus ab initio non sanctificatā solummodo, ut Hieremias & præcur-  
 10 for, sed ab omni labe præseruatam. Quare neq̄ possunt ritus, qui ex id genus opinionibus profecti sunt, propriē ecclesiastici nuncupari, sed affines duntaxat Christianę religioni. Sunt enim ex ijs sententijs, quas  
 20 primo libro uocauimus ueritates scholasticas: quarū tamen contēptu, ostendimus libro tertio, tranquillitatē perturbari Christianę reipub.

Alij ergo sunt ritus, quos uerē ecclesiasticos appello: ij sunt, quos nō minus constanter ac firmē populus Christianus amplexatur, ac sacrā ipsam scripturā. hos enim æquē atq̄ sacras literas, spiritus diuinus tradidit. Quæ em̄ spiritus post edita scripta apostolorū docuit, docebitq̄, necesse est ad ecclesiasticos ritus pertinere: atq̄ propterea hi etiam uocabulo uerbi Dei intelligunt̄, ut docebo, ubi quorundā obiectionibus satisfaciā. Verum hi quo modo cognoscendi sint, magna est hodie inter doctos disceptatio, nec facile ab aliquo docentur. Sunt qui putant, hos doceri cōmodius haud posse, quā si singularū *disiunctiōnib.* præfecti cōueniant, & inter se exponant, quis cuiusq̄ patrię ritus sit. Sed est meo iudicio alia, haud minus idonea ecclesiasticū ritum monstrandi ratio, si ueterum scripta de his examinemus. Hanc rationē si rectē fueris profectus, nescio an ulla sit hoc tempore de religione controuersia, quam non dissoluas. At non est hæc ita obuia & facilis, ut uideo multos arbitrari. Non enim hac in re uetustas scriptorum, uel eorum numerus, uel  
 30 etiam eruditio, sed magis publica auctoritas spectanda est: quia hac Christus ceu organo utit̄ ecclesię suę gubernandę. Luculentius quoque testimonium præbent ritibus eæ, quas ueteres præfecti ad populum ediderūt, siue epistolę, siue homilię. Nam in cōmentarijs priuatā  
 40 sæpe

sæpe opinionem doctus docto non tam asserit, quam penitius adhuc examinandam proponit, quam tamen bona eruditorum pars non raro iam repudiavit, sed non semper maior authorum pars probando ritui satis fuerit, præsertim si ij omnes eiusdem ætatis, aut loci sint, quos in testimonium adduxeris. horum enim testimonio, unius tantum loci, uniusq; ætatis consuetudinē docebis: quare & testes, ut uocant, sunt singulares. Aptissimè autem & omnium facilimè docebis ritum ecclesiasticum, si ueteris alicuius authoris scriptum in medium proferas, quod omnes aut certe principum ecclesiarum præfecti, diu multumq; uersarunt: & cum hi quoq; non pauca scriberent, hoc tamen nullibi condempnarunt. Non enim uideo fortiorē rationem euincendi generalem temporum omnium consensum, quam si cogaris agnoscere, scriptum hoc omni tempore omnibus doctis, omnibusq; ecclesijs fuisse familiare: & licet alij alia refutarint, hanc tamen sententiam à nemine unquam impugnata, reuocata uel in dubium.

Iam præter hæc duo rituum genera tertium est. ij ex quali animi instituto profecti sunt, ignoratur. Nam cum superiorum exempla (ut natura comparatum est) inferiores temerè & sine animi consilio imitentur, sit sæpius, ut licet ritus publicè iam sit introductus, posterij tamē nesciant, quò spectarint illi qui primi huius fuere authores. Hos, quoniam eos ecclesia suscepit, non minus seruare oportet, quam illa præceptorū præscripta, quorum nulla ratio reddi potest. Non enim oportet (inquit iuriconsultus) eorum quæ constituuntur, rationes inquiri: alioqui multa ex his quæ certa sunt, subuertuntur. huiusmodi sunt ritus, quorum nescimus certam dare causam, aut institutionis rationem. Verum si ex his sunt qui manifestam uim habent ad exhortationem uitæ melioris, hos cur non optemus esse quam plurimos? si uerò indifferentes sunt, id est si neque à malo auertunt, neque inducunt prorsus ad bonum, & tamē ijs usqueadè homines occupentur, ut meliora negligant: tum certe in his locū habet diui Augustini querela. Sed & de illis bono iure conquerimur, qui ad uitam faciunt formandā, si pari gradu æstimentur cum ijs qui propriè ad religionē pertinent. Quin de summis illis, hoc est ecclesiasticis ritibus, ferendum non est, ut hi tanta æstimatione habeantur, ut præ ijs minus curentur ea quæ in libris diuinis scripta sunt.

At hæc uicia crebrius inueneris in ritibus peculiariū ecclesiarum, quos quisq; populus sibi proprios introduxit. horum discrimē eo modo percipiendum, quo ritus generales. Nam ut non æquè cito omnes ecclesiæ sacram scripturam intelligunt, neq; pari diligentia tractant: ita euenit, ut cum de una eademq; quæstione disceptarit quæque ecclesia per se, alia huius quæstionis ueritatem probabili consecutione, alia uero euidenti repererit: alia per paralogismum, seu falsam ratiocinationē in errorem ducta, alia uel errantis uel rectè sentientis ecclesiæ ritum temere

mere, & sine animi cōsilio imitata sit: alia rursus de ea re nihil cogitarit. Vides hic ritū eadē de re mirabilē diuersitatē. Horum quoq; eos, qui habent manifestā uim exhortandi ad meliorem uitam, quid causæ est cur repudiemus? sin eorundē multitudine, aut difficultate diuertamur (ut inquit Augustinus) à studio rerum meliorū, iam perniciosi sunt, & ex eo numero quorum inutilē multitudinē & præposterum usum, ac curam diuus Augustinus notauit.

*Refutatio quarundam obiectionum. XIII.*

**I**llud uero, quod scriptura sæpe dicit, uerbo Dei nihil addi posse: non solum oportet de sacra scriptura intelligere, sed de ritibus etiam, & eorundem fonte, hoc est locupletissimo illo omnium bonorum seminario, quo Deus ecclesiam in ipso exortu ditauit. Illius enim æstuantis ignis scintillæ sunt ritus ipsi, ut scriptura: nempe ex uberrima illa & absolutissima diuinæ ueritatis lege profecti. Et certe non uideo, cur id quod dicitur, uerbo Dei nihil addendum esse, tantum debeat intelligi de sacris scriptis. Nam & hoc de suis admonitionibus scripserat Solomon, quod nihil amplius esset requirendū, posterius tamē maior pars ueteris testamēti fuit conscripta. Et Paulus cum anathema dixisset, si quis aliud euangeliū prædicasset, præter id quod ipse Galatis annūciarat, Timotheū tamen plura, & ea non contemnenda docuit: ad hunc enim ultimas suas literas scripsit. Si dicas, illa non fuisse addita euangelio, quod non essent alia, hoc est contraria euangelio: dicam ego itidē, ritus eos non esse euangelio additos, quia contrarij non sunt scripturis euangelicis. sic tamen non expresserimus mentē Solomonis & Pauli: quia neq; illæ ueritates repugnāt euangelio, quas sola humana industria peperit, quas tamen haud dicemus annunciari posse pro euangelio. Quando ergo scriptura dicit, uerbo Dei nihil addi posse: intelligere debemus, nihil pro uerbo Dei annunciari oportere, quod ex ipsa semēte, quam ueritatis spiritus fecit in ipso exortu ecclesiæ, natū non fuerit. Sola enim ea quæ ex hac nata sunt, siue sint scripturæ, siue ritus, decet annunciari pro uerbo Dei: & ut olim ex ea scripturæ, & ritus non pauci orti sunt, ita perpetua sobole alij post alios ad consummationem usq; seculorum nascentur, quos fateri oportet comprehendi omnes sub uerbo Dei.

Hoc patres cum acute perspicerent, scripserunt, in illis rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, morem populi Dei, & instituta maiorum pro lege esse tenenda: ecclesiasticarumq; consuetudinum contemptores, æquè ut diuinarū legum præuaricatores, coercēdos. Man sit enim spiritus sanctus in ecclesia, scriptoribus sacris iam sublati è uuis. Quæ autem ille interim locutus est per electum populum, ut sunt ritus, cur ea uellet minoris haberi, quam ea quæ per unum aliquem electorum? Ipsa enim natura docet, certius esse habendum quod uniuersi sentiunt, quam quod unus duntaxat. Oportet ergo eam reue

ff. de legib.  
l. & ideo.

22. d. c. in  
his.

reuelationē quam spiritus exhibet per Christianæ reipublicæ uniuersitatem, habere pro augustissima, certissimaq; omnium reuelationum. Quapropter si Alexander de prophanis cōmunitatibus rectē scripsit, ne quid contra consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam reuocabit præses prouinciæ: non abs re iussit & Paulus Thessalonicensibus, ut se subducant ab eo, qui citra ordinem conuersatur. Diximus superius, nomine ordinis ritus intelligi, de quo ne dubites, subiungit: & non iuxta institutionem, quam accepit à nobis. nomine institutionis traditiones, hoc est traditos à se tum uerbo, tum exemplo ritus designans. & mox apertius, Qui non obedit sermōni nostro: ne intelligas de solis scriptis locutū. Et ut scias eum nō solum de sublimib. illis ritibus loqui, ponit interim exemplum hominis ociosi, nihilq; operantis: qui nimirum peccabat contra ritum eum, quem Paulus suo exemplo docuerat, operando manibus die ac nocte.

Et hoc est illud genus rituum quod scriptura palam approbat & confirmat, dum spiritum ueritatis nobiscum dicit mansurū in æternū, omnemq; nos docturū ueritatem. Ideoq; quæ in scriptura sacra de uerbo Dei dicuntur, atq; etiam illud omnium nunc ore iactatū, Verbum Domini manet in æternum: debet bono iure etiam de ecclesiasticis ritibus intelligi. Et quæcunq; nos ritus aliquis facer sperare iubet, tam ea certa habere debemus, quàm eas res, quas scriptura sacra docet. Sed nec eos ritus qui in credendo consistunt, facilius aut liberius mutare licet, ac ipsa diuina scripta: qui uero in agendo, licet illi eandē retineant semper uim, eorum tamen agendi formæ, & circumstantiæ interdum uariantur, pro alia siue temporis, siue hominum conditione. sicut & cultus scripturalis forma obseruata fuit sub lege, alia sub euangelio: alia item nascēte ecclesia, alia ecclesia iam stabilita. Nam etsi res agēdas, quas Christus proprio ore promulgauit, nec ritus nec scriptura potest mutare: tamē quia apostoli de scripto suo ipsimet sæpe aliquid derogarūt, ut de esu immolati & suffocati, non uideo quid causæ sit, cur non possint et horum posterī, qui eadem fungūtur autoritate, idem præstare. Sic enim scripto Pauli, quo is uetat nouiciū præfici ecclesijs, derogatum fuit in Ambrosio. De credendis uero rebus, quicquid duntaxat usitatum est, et si is ritus communi ecclesiæ consensu atq; autoritate admissus sit, eum necesse est tam firmum esse & immutabilem, quàm ipsa Christi ore promulgata doctrina. Tanta est uis & autoritas ecclesiasticorum rituum, ut Mariam assumptam esse in coelum (quod nulla scriptura, sed ritus tantum docuit) tam firmiter credere oportet, quàm (quod Lucas scribit) Christum fuisse à nube in coelos susceptū. Sed iam quo modo mores corruptela deprauati debeant restitui uideamus.

Quomodo

Quomodo corruptela malæ consuetudinis tollenda. XV.

**Q**Va in re illud in primis animaduertendum, ritus non ex initijs, quibus orti sunt, hoc est, neq; ex auctore, à quo conditi: neq; ex forma & modo, quibus instituti, sed ex fructu quem faciūt, censendos esse. De auctore, in primis certum est nihil referre (quod & de scriptura diximus) probus an nequam, ethnicus an religionis cultor ritum instituerit, quia nouit Deus etiam per iniquos homines utilia proferre. Ratio autem, quæ olim ritum introduxit, nunc uix cognita est: & alioqui parū habet momenti ad hoc, ut ritus noxius sit, aut laudabilis. scopus uero quò author spectabat, difficulter nunc potest inueniri. Si enim de legibus, quod ius est scriptum, ille dixit, Non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationē reddi posse: hoc certe multo uerius de ritibus erit dicendum. Legi enim dum cōditur, ferè solet legislator rationem, quæ eum mouet, adscribere: cum uero populus ritum pedentim instituit, rationem secum quisq; cogitat, & sæpe aliam is qui instituit, aliam ñ qui imitantur: & imitantium sæpe quisq; suam, interdum etiam falsam, cum tamen ritus qui inde nascitur, bonus est. fit enim, ut quis specie recti deceptus, ritum inducat utilem quidem, sed non tam utilem quæputat. Fit etiam, ut ex hypocrisis fucosq; sanctimonie ritum quis optimū proponat: imò & ex dolo malo potest ritus, quem specie mali deceptus institutor malum putat, non malus nasci. Illud etiam fit non rarò, ut ex malo initio profectus malus ritus, successu temporis mutata rerū conditione fiat moribus hominum accommodus. Qui ergo uelit ritum, bonus ne an malus sit, examinare, eum oportet presentem fructum qui ex ritu prouenit, etiam atq; etiam considerare. non enim meretur ritus nomenclaturam, si humanæ societatis incolumitatem non stabiliat: quales sunt ñ qui commune bonum nec adiuuant, nec impediūt. & forsitan ñ quocq; uideri possunt impedire, qui commune bonum minus promouēt, quàm facerēt ñ qui his sublati possent substitui. Cæterum ñ tantum merentur uocari corruptelæ, qui commune bonum manifeste impediūt. Debet enim omnis ritus, donec contrariū liqueat, laudabilis censerī. Ea itaq; qua uidemus homines planè pertrahi in assensum erroris, hæc tandem uocāda est corruptela. quin ea quocq; quæ in assensum quidem ueritatis ducit, sed eius quā Deus uult ignorari: ut diem extremum propè aut procul abesse. huiusmodi enim cogitationes, etiam si fortè ueræ sint, non minus tamen trahunt in perniciem, quàm ñ qui in assensum planè falsi.

Ideoq; iudicium de ritu, corruptela sit nec ne, ad supremum ecclesiæ tribunal deferendum est. Hoc enim tametsi non possit ritum efficere, ut paulo antè ostendimus, cum tamen autoritatē habeat de dogmatib. religionis, quæ sana, quæ deprauata sint pronuntiandi, fateri

T oport.

ff. de legi. l. non omnium.



oportet, debere etiam de ritibus, qui salubres, & qui perniciosi sunt, ab hoc iudicari. Facile uero corrumpuntur ritus, certe facilius quam obseruatio legis: ob id, quod rituum populus ipse author, conseruatorque fit, ideo & uulgi. hic autem quicquid contrectat, solet ferè contaminare, hoc est circumstantiam aliquam aut addere, aut detrahare contra decorum. Est uero statim nascenti corruptelæ occurrendum, eo quod non debeat paruum æstimari, quicquid quantumuis parum deflectit à religione, præsertim inspirata, ut libro primo ostendimus. Sed non est tam facile ritum deprauatum restituere & corrigere, ut corruptam legis obseruationem. nam quæ mens fuerit legislatoris, uerba ipsa legis ferè declarant, modumque docent, quo ea sit ad mentem legislatoris reducenda. In ritibus uero, quia eius mens, qui ritum induxit, non ita potest posteris patère, non est talis regula, ad quã possint ritus deprauati restitui. At nihil etiam difficilius, quam ritum tollere: iam enim superius ostendimus, his homines libètius parère, et nulla alia re fortius constringi, ut si hos tollas, naturã auferre uelle uidearis. Quapropter si potest deprauatio corrigi circumstantiæ alicuius subtractione, aut adiectione, non debes ritum prorsus abolere, sed magis uitio sublato, utilem ritum confirmare & stabilire. Neque uero ex abrupto faciendū, sed sæpe tempus opportunū expectare oportet. Sæpe enim error latentior perplexiorque est, quam ut uulgi protinus intelligat. est certe statim præparandus animus uulgi, & illico fundamenta saltem iacienda, quibus incipiat pedetentim deprehendere errorem: quæ dum nequit agnoscere, tantisper ritus ille tolerandus est. Hac de causa apostoli tam diu tolerarunt ac obseruarunt cerimonias Mosaicæ legis: contra, idololatriam ignorantiamque ueri Dei protinus extirparunt. Omnino uero rectoribus curandum, ne ingeniosiores è plebe hac in re ipsos anteuortant: quia magnus contemptus nascitur, magnaque aduersus præfectos de inertia ex postulatio, si quem morè olim præfecti introduxerunt, uel permiserunt, plebei senserint (priusquam præfecti errori corrigendo manum admouerint) iam olim corruptum esse. qua præfectorum negligentia uidemus hodie plerisque locis euenisse, ut plebei patientis erroris impatientes, repentino tandem publicoque impetu aggressi sint, cum magna etiam clade publicæ authoritatis, eos ritus penitus extinguere & abolere, qui alia uia aut emendari, aut restitui potuissent. Vbi uero hoc factum non fuit, certe magna ibi trepidatione de ritibus, qui seruari, qui tolli debeant, ambigitur: unde religionis magna pars concutitur & labefactatur.

Hanc tamen siue multitudinem, siue difficultatem, siue etiam uitia rituum non potest populus rectoribus suis, sed potius sibi ipsi debet imputare, quod (ut superius diximus) ritus siue instituendi, siue tollendi, solus populus author sit. Spectat quidē ad rectores, populum

erra-

erratorum monere, sed intolerabilium duntaxat: debent autem tolerare, donec ex correctione prægrandis utilitas secutura sit. nam unius alicuius ritus mutatio inicit suspicionem, quod & reliqui simile uitium habeant. Quando uero omnino error non est tolerandus, eo minus letet mutatio, quo mollius facta fuerit. mollissime autē fit, tacita consuetudine: durius uero, per contrariam consuetudinem: sed durissime, si aperte contraria lex statuatur. Et postrema hæc uia eligenda uidetur, si etiam uulgi errorē deprehenderit. Quod si eum tantum modo optimates plebis senserint, media uia ingredienda erit, ut rectores simul cum optimatibus, qua hora perniciosus mos exerceri consueuit, eodem tempore & loco contrarium actum, absque expressa erroris reprehensione, publicitus exercent. Si uero optimates nondum animaduertent, aut induci nequeant, ut sentiant: tamen ecclesiarum gubernatores, qua hora ipsi tanquam choragi perniciosum morem exercere consueuerant, aut sese absentent, aut alio negotio occupentur: aut (quæ comodissima uia est in moribus, quorum ipsi non sunt choragi) ea hora plebem aliquo alio actu teneant occupatum. quo modo maiores dicuntur ethnica plerisque superstitiones sustulisse, introductis in harum locum religiosis quibusdam exercitationibus. Sic enim scribunt purificatæ Virginis matris, & cathedræ, uinculorumque Petri solennem memoriam institutam. Verum qui iam purgandi, qui penitus abolendi sint ritus, nemo unquam satis intelliget, nisi cui fuerit notissimum, quantum à primitiue ecclesiæ consuetudine præsentis mores degenerarint. qua de re sequenti libro disputabimus.

LIBRI NONI, QUI EST DE  
SACRIS ritibus,  
FINIS.

T 2

RERUM ET VERBORUM.

in hisce libris memorabili-  
um Index.

LOCORVM ALIQVOT INTER EXCVDEN-  
dum per operarum incuriam deprauatorum,  
emendatio lectio.

Pag. 2. uers. 32. prudentia 4. 22. fortè legend. præposuere 9. 27. fortè legend. augustissima &  
92. fortè, annuit quidem ut possimus 14. 6. nanciscatur 15. 1. fortè, possit 18. 21. præstantissimam &  
24. quaneq; iucundior 26. 31. fortè, possint 31. 43. ciuibus, 32. 2. respiciant? 36. 23. Peccat 37. 21.  
inter & 22. Qui uero 47. 15. prædicare: atq; ostendere, 53. 15. succurrere 62. 9. Eo enim 67. 8.  
pleriq; 69. 4. 2. pepigi 72. 10. indicabant 73. 10. fidem, ut fides & 32. cum hinc 74. 37. hæc oratio  
75. 39. fortè legend. ex tam parua schola 81. 4. 2. quod & Paulus 88. 4. 1. attribuenda 93. 3. pedeten-  
tim 94. 1. uidisti, ecce & 12. ad Timotheum scribens, 97. 21. Ecclesiæ 101. 3. interrogantib.  
quid & 21. attribuendum 102. 33. permittentes 104. 37. uocati sint & 39. uiderant uictorem,  
106. 34. magistratu 107. 8. disitam, & 21. fortè, potuerunt 108. 4. fortè, præbuit 108. 24. ni-  
hili habebuntur 109. 22. Hoc Paulum 112. 37. uidentur 114. 39. testantur) 115. 26. Dei) 121. 29.  
scintilla 128. 36. intra sue 134. 32. Iudei, 139. 32. alius alij 140. 12. nisi hunc 146. 17. ponatur  
numerus capitis XXII. 150. 4. 1. Benefacite 152. 28. audierit. Sed 154. 43. fortè, sancierint 161. 25.  
prædicant 165. 32. de tribu 166. 11. arguunt 185. 26. oluscula: perf. 196. 32. pro-  
babilitèr 198. 26. est, & absq; 205. 32. Egesippus

**A** Bacuk quo tempore claruerit 155. 22. inde  
162. 24  
Abdias quo tempore prophetauerit 158. 36  
162. 12  
Abdiæ locus 70. 3  
Abraham ad quid peculiariter à Deo  
electus 200. 40.  
Abrahæ filiorum allegoria 188. 21  
Abrahæ sacrificia cuiusmodi 201. 29  
ab Abrahami tempore rudimēta Mo-  
saicarum institutionum paulatim  
introducā 200. 37. inde  
abusus cuiusq; rei eo perniciosior, quo  
usus utilior 43. 12  
Academici in religione qui 33. 11  
Academicorum fluctuatio 20. 30  
accidens magno sacerdoti ipso expia-  
tionis die non accidere, quid 87. 5  
accusationis Christianæ forma quæ  
153. 15. inde & 154. 10  
Acta Apostolorum autoritate planè  
apostolica scripta 177. 35  
Actorum Apost. locus 68. 26. inde.  
& 69. 9. & 82. 30. & 94. 1. & 98. 29.  
& 114. 20. inde  
actionis Christianæ forma quæ 153. 15  
actionis genus populare cuiusmodi.  
28. 16  
actiones personales & ad ecclesiasticā  
administrationem pertinere 138. 34  
ad Actiua uitæ consuetudinem om-  
nes nasci 118. 35  
actiua uitæ præfectus à Deo Iob. 119.  
17  
actiua uitæ studiosos cur pedibus affi-  
milarit Paulus 120. 14  
actiua uitæ typus Martha 118. 30. &  
119. 3. & Iacobus. ead. 31  
Adami eruditio 199. 35  
Adami uerba prima, eorumq; sensus  
6. 13  
Addo prophetæ uisiones 162. 39  
Adonai nomen quando, usurpari cœ-  
ptum 201. 18  
cum Aduersario disparis religionis  
quomodo agendum 155. 22. inde  
in Aenigmate uidere quid 158. 36  
æquiocario uitanda in quæstione  
proposita 59. 14  
Aeschinis de Demosthenis pronun-  
ciatione testimonium 208. 36  
affectio, religionis pars 2. 41. & 3. 4  
affectiois cruciatus 40. 1  
affectuum in oratione mouendorum  
rationes in Areopago prohibita.  
60. 30  
Aggeus quo tempore floruerit. 162. 31  
Aggei locus 80. 9. 30. & 87. 20  
Ahiæ Silonitis prophetiæ 162. 38  
in Albios bellum 33. 24  
ἀλιβεα 185. 17  
Alexandri Maced. regis obitus. 91. 43  
allegoriæ à Paulo notatæ cuiusmodi.  
188. 19. inde  
allegoriæ eadem nobis, quæ cabalæ  
Hebrais ratio 190. 37  
allegoriarū neglectores, iniurij 188.  
31  
allegorijis uniuersa ferè scriptura sacra  
referta 188. 15  
altaria lapidea quomodo primum ere-  
cta 201. 2  
ambigens quomodo ex discrepante fi-  
at itemq; trepidus euadat 50. 22  
ambigentes qui 37. 31  
Ambrosius etiam nouicius ecclesiæ  
præfectus 216. 32  
amicitia idem in societate, quod sol in  
mundo 18. 7  
amicitia omnium præstantissima quæ  
18. 25. 32  
amicitia quomodo firmior 18. 28.  
amicitiam tranquillitate foueri, diffi-  
dio tolli 18. 10  
amoris septuaginta nomina synago-  
gæ ab Hebræis attributa 88. 40  
Amos quo tempore claruerit 162. 22  
amphibologia in quæstione proposi-  
ta uitanda 59. 14  
anathema. uide Excommunicatio.  
T 3 anathematis

I N D E X.

anathematis poena etiam in futura cri- mina à Paulo constituta	145.35	ἀποστολῆς	115.6
anathematis uaria esse genera	144.22.	apostolatus ecclesiasticorum ordinum	
anathematis uis præcipua quò spectet	145.39	fons	114.10. inde
ἀναθήματα	144.2	apostolatus rei nauticæ magistratus.	115.
animarum curam citra delectum qui- busuis committi	40.29	apostolatus gradum discipulorū gra- dū abolito successisse	114.27
animalis morborum influxus	120.43	apostolica authoritas	114.40. & 115.12
animalium immundorum uisio Pe- tro exhibitā, quid	93.26	ἀποστολῆς	115.4
anīmi humani ad rerum nouarū dete- riores plerunq; procliuitas	54.1	apostolus dictus etiā Christus	115.9
anīmi humani inconstantia	47.37	apostoli Christum prædicare prohibi- ti, subinde maius eundem prædican- di robur adepti	106.10. inde
anīmi cruciatus corporeo maior	39.42.	apostoli etiam apocryphis uis contra Iudæos	107.16
isq; duplex, eod. inde		apostoli etiam post acceptū spiritum S. illiterati & idiotæ	92.33
animorum cogitationes ultro occur- rentes plerunq; falsæ	48.1	apostoli noua lingua omnibus intelle- cta uis, ipso Pentecostes die	69.32
animorum immortalitas inuocationis formula attestata	201.24	apostoli quomodo spiritu sancto reple- ti dicantur	83.31
animorū immortalitas præcipua Chri- stianæ philosophiæ pars	98.6	apostolorū appellatio cuiusmodi	115.
animorum immortalitas quomodo à Christo ostensa	194.23	II	
annus acceptus Esaiæ, & Psaltæ an- nus benignitatis, quid	83.37	apostolorum dogmata æquæ ac Chri- sti doctrina, obseruanda quæ.	136.30
annus lugubris quando obseruari cœ- ptus	202.26	apostolorum Petri & Ioannis simplex ruditas	92.22
Apocalypsis Ioannis non temerè intel- ligenda ab omnibus	94.34	apostolos accepto spiritu profecisse pe- detentim	93.3. inde
Apocalypsis mysterijs & inuolucris plena	293.19	apostolos aliorum etiam scripta uersal- se	94.23
Apocalypseos liber à quo, & quando scriptus, & qualis	177.38. & 178.2.	apostolos interdum etiam scripto suo derrogasse, et quatenus id ipsum etiā num posteris eorum liceat	216.29
inde		apostolos præstantiorem suæ doctri- næ partem scriptis non mandasse.	204.25. inde
Apocalypseos liber, euangeliū	180.20	apostolis & eorum successoribus pe- detentim data euangelicæ doctrinæ cognitio	205.26. inde
Apocalypseos uox à Septuaginta in- terpretibus primū inuenta.	178.5	apostolis qui ordo seruatus in traden- da religione noua	95.18
Apocalypseos locus	76.25. & 80.7.	ἀποστολων γῶγος facere quid	143.25
&	94.35. & 167.14. & 191.1	aquæ scaturientis ex rupe allegoria.	188.20
Apocryphorum loci etiam Christo & Apostolis usurpati	167.4. inde	Arabia foelicis appellatio unde	107.8
apocryphis etiam uis contra Iudæos Apostoli	107.16	arca allegoria	188.26
ἀποκρύφια principium noua dogmata	41.17	Areopago concessa oratio cuiusmodi	60.30
apostata Christiani nominis qui, & cuiusmodi in eos actio competat.	34.20	ante Argonautarum navigationem	Deb.

I N D E X.

Debbora uerbis usa	184.35	Baali quid	81.23
arguere quid	152.5	Baptisatum se credens, cum non sit, ecclesiæ semimembrum	121.40
Aristeus	169.21	baptismus alius in poenitentiam, alius in remissionem peccatorum	104.8
Aristides è philosopho Christianus	107.31	baptismus ecclesiasticæ unionis signa- culum	121.36
Aristoboli in pentateuchum cōmen- tarij	172.25	baptismus in quibus imprimat signa- culum	122.22
Aristoboli duo	172.22	baptismus neq; morionib. adultis sub- trahendus, quemadmodum nec in- fantibus	122.18
Arnobius ex oratore ethnico Christia- nus	107.34	baptismus professionis Christianæ character	103.34
Arriana hæresis	103.3	baptismi ceremoniæ non eadem etiā Apostolis	96.28
artis cuiusq; magnam partem imitati- one constare	209.32	baptismi infantium commendatio. inde	122.13
artium rariora axiomata	7.42	baptismi Ioannis & discipulorum Chri- sti non eadem quæ posterioris, ratio ac uis	103.35
artium traditio cuiusmodi ueteribus obseruata	199.30	baptismum qui simulatè susceperunt, cuiusmodi sint	122.9
articuli religionis	13.18	Barnabas quomodo plenus fide ac spiritu sancto dictus	83.24
assensus probabilis cuiusmodi	8.43.	Barnabas leuites Cyprius quomodo ecclesiæ additus	106.18
&	9.1. inde	Baruch librum cur Hebræi non inter sacros numerent	165.43
assensuū triplex differētia	8.23.31. et 9.3	Beli historiam temerè à sacris excludi. 166.	6
assentiri & credere, non idem	51.14	Beli imago à Nino erecta	166.12
Assuerus rex	165.36	benedictionis paternæ & sacerdotalis efficacia apud priscos	201.42
Assyrijs etiam Pentateuchus Moſis obseruatus	163.16	D. Bernardi locus	24.1
Atheniēs. academiæ celebritas	173.40	Berosi uetustas	184.24
Atheniensium in scribendis legib. dili- gentia, seruādīs autem negligentia	199.6	Bezeleel quomodo spiritu Dei reple- tus olim dictus	83.24
Augustinus ex Manichæo Christia- nus	107.41	Biblia à Iudæorum scribis multis in lo- cis deprauata	171.2
authoritas ecclesiastica cuiusmodi de- beat constitui	117.38	biblia à quo primū in Chaldaicam linguam uersa	172.38
authoritas fallax quomodo compe- scenda	105.37	bibliorum à Septuaginta uersorum quanta esse authoritas debeat	169.21
authoritas publica, ecclesiæ gubernan- dæ organum	213.40	inde, &	170.2. inde
authoritas publica rerū humanarum summum bonum	124.30	biblia cur uerti in aliam linguā ante Christi aduentū oportuerit.	170.23.
axiomata	7.7	inde, &	171.29
axiomatum religionis apud pietatis studiosos quotidie subnascentium usus	11.6. inde	biblia Hebraica & Græca coniungen- da	169.18
axiomata religionis inuenta cur pau- ciora	7.41	da	
axiomata religionis quæ eorumq; diuersitas, ead.	7.34. II		
axiomata religionis quæ cēsenda	8.4		
axiomatum religionis inspiratæ pro- batio cuiusmodi	8.16		

I N D E X.

